BIBLIOTHECA GRAECA

VIRORUM DOCTORUM OPERA RECOGNITA ET COMMENTARIIS IN USUM SCHOLARUM INSTRUCTA

CURANTIBUS

FRIDERICO IACOBS

ET

VAL. CHR. FR. ROST.

A.

POETARUM

VOL. VI.

CONTINENS

PINDARI CARMINA

EDENTE

LUDOLPHO DISSENIO,

PROFESSORE GOTTINGENSI.

GOTHAE ET ERFORDIAE

SUMPTIBUS GUIL. HENNINGS.

MDCCCXXX.

PINDARI CARMINA

QUAE SUPERSUNT

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS SELECTIS

EX RECENSIONE BOECKHII

COMMENTARIO PERPETUO ILLUSTRAVIT

LUDOLPHUS DISSENIUS,
PROFESSOR GOTTINGENSIS.

SECT. II.

COMMENTARIUS.

ADIECTAE SUNT TABULAE DUAE GEOGRAPHICAE DELINEATAE A CAR. ODOFR. MUELLERO.

GOTHAE ET ERFORDIAE
SUMPTIBUS GUIL. HENNINGS.
MDCCCXXX.

COMMENTARIUS

IN

PINDARI CARMINA.

CARMINA OLYMPICA.

CARMEN OLYMPICUM PRIMUM.

INTRODUCTIO.

Hiero, Syracusarum rex inde ab Ol. 75, 3., mortuus Ol. 78, 2., tres Olympicas victorias reportavit, unam ante regnum celete Ol. 73, 1., alteram hanc Ol. 77, 1., tertiam quadrigis Ol. 88, 1. Atque eo quidem tempore, quo hoc carmen scriptum, etiam in potentiae suae summo fastigio erat post devictum initio anni Thrasydaeum. Erat rex et bellicosus maxime et ludicrorum certaminum studiosissimus; amabat etiam musicas artes, et adibant aulam eius celeberrimi Graeciae poetae: Pindarus, Simonides, Bacchylides, Xenophanes, Epicharmus, Aeschylus; idem tamen morum fama minime integra, quum aliis vitiis tum superbiae obnoxius. Vide de his omnibus Boeckhium in Introductione et ad v. 13 seqq. Carminis argumentum hoc est: Post prooemium, in quo de praestantia victoriae Olympicae dicitur et de Hieronis regia laude, transit poeta ad Pelopis et Tantali fabulas canens, ut Pelops inde a partu amatus sit a Neptuno et, quum dii aliquando apud Tantalum Sipyli coenarentur, ab eo puer raptus in Olympum: quum autem ita subito evanuisset Pelops, ab invidis vicinis inventum esse mendacium de nefaria coctione eius humeroque consumpto, tum restituto ex ebore. Tantalum eo tempore diis dilectissimum fuisse, eundem tamen postea, quum ferre felicitatem non posset, furatum diis nectar et ambrosiam aequalibus convivis apposuisse; quo crimine factum esse, ut in poenas incideret gravissimas, filius autem remitteretur ad mortales. Hic sic redux in terram mox adulta aetate Hippodamiae coniugium cupit. Implorat igitur auxilium Neptuni, a quo accepto curru celerrimo vincit Oenomaum et potitur

Hippodamia, gignit stirpem praeclaram et adhuc pro heroe colitur Olympiae. His narratis Pindarus ad Hieronem redit, auguratur victoriam curulem et hortatur ad modestiam. — Videamus nunc de consilio et vera ratione harum rerum. Monet Boeckhius optime, antiquitates Olympicas quum ter tractaret Pindarus Ol. I, III, XI, factum hoc esse in iis carminibus, quae in Italia et Sicilia canenda essent, ubi talia minus nota quam in Graecia magnopere placere debuisse. Monet idem hoc in carmine Hieroni regi regias res Pelopis, Tantali, Oenomai proponi, quod ipse etiam verum habeo, nisi quod huius rei rationem distinctius explicari posse crediderim. Ac primum quidem in narratione de Pelope maxime conspicuus est amor Neptuni; hic inde a partu amavit infantem humero eburneo ornatum, et rapuit mox puerum in Olympum, postea vero iuveni velocissimum currum dedit et victoriam curulem nobilissimam. Ac tam celeber erat in fabulis hic cursus, ut etiam in proverbium abiret *Λύδιον ἅρμα*, cf. Fragm. Pind. 119. et Welckerum ad Philostrat. Imagg. p. 389., nec maior laus contingere posset curribus ludicris, quam si illi velocitate similes essent. Iam vide Hieronem: Vicit celete et meditatur curulem victoriam, quam poeta manifesto respicit de Pelopis celerrimo curru et certamine canens. Porro, quid est quod de Neptuni amore eximio in Pelopem narrat, nisi hoc quoque propter Hieronem facit? Nimirum in familia Hieronis cultus deorum Triopiorum domesticus erat, cf. Boeckh. ad Schol. Pind. p. 314. et Müller. Dor. I. p. 262. 400., inter quos quum Neptunus esset, etiam Hiero, opinor, a tenero carus fuit Neptuno familiari, qui eum equestri studio imbuit. Nam magnopere deditum fuisse Hieronem rei equestri, *ἱπποχάρμαν βασιλῆα*, satis constat, qui multas victorias e Graecia reportavit. Vide nunc quam apte omnia conveniant. Canit Pindarus hoc carmine illustrem fortunam Hieronis, Pelopi vetusto similis. Ut Pelops rex fuit in Elide celeberrimus (nosti Tyrtaei illud: *Οὐδ᾽ εἰ Τανταλίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη*), sic Hieronis laudatur regia potentia in Sicilia; Pelopem Neptunus olim amavit, nunc idem Hieroni a tenero favit eximie, atque ut Pelopis currus clarissimus, clarissima victoria Olympica, sic Hiero, quo nemo hodie per Graeciam harum rerum studio clarior, nunc celete vicit in Pelopio curriculo

et mox, ut speratur, curru celeri vincet, quo absolvetur dei benignitas. Verum enim vero idem ad superbiam inclinabat. Quod igitur saepe alias sed paucis monere solet Pindarus, abstinendum esse a superbia nec ultra humanam sortem quidquam quaerendum, hoc nunc vel inprimis ei faciendum videbatur, quum Hiero prosperrimo rerum successu uteretur, et nova speraret a deo. Hinc intexuit fabulam de Tantalo, qui, maxime amatus a diis, quum ferre fortunam non posset, nunc miserrimam poenam pendit, suaviter ceterum tegens consilium, quasi quae de Tantalo narrantur nonnisi propter Pelopis historiam allata sint. Ac de Tantalo idem sentit Boeckhius. Simul vides coctionem Pelopis tolli debuisse, ut omnia hic Hieronis rebus similiora fierent. Meminerit igitur Hiero modestiam servare in summa prosperitate sua; caveat, ne Tantalo similis fiat, cui Pelopis fortunam fata dederunt; ne poenas luat, ut iste, sed laudem habeat post mortem, quemadmodum Pelops, illustris Pelopidarum gentis auctor, Olympiae hodieque colitur heroicis honoribus. — Ceterum monente Boeckhio carmen cantatum Syracusis in domo regia inter convivium, praesente tum Pindaro et fortasse etiam aliis claris poetis.

EXPLICATIO.

V. 1 — 17. **Prooemium carminis. Paratur hymnus Hieroni regi potentissimo ob victoriam celeberrimo Olympico certamine reportatam.** — Principio nobili, formam quod attinet, apud Pindarum nihil similius exordio carminis Olymp. X. *Ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτε πλεῖστα χρῆσις, ἔστιν δ' οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων παίδων νεφέλας. Εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι, μελιγάρυες ὕμνοι ὑστέρων ἀρχαὶ λόγων τέλλεται καὶ πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς.* Nempe Olympicum certamen per se **una** tantum illustratur comparatione solis; praecedentia praeparandae Olympiae laudi inserviunt, quum nimis nudum fuisset tale principium: *εἰ μὲν ἄεθλα γαρύεν ἔλδεαι* seqq. Ac similiter Pindarus et alii omnes scriptores saepe sententiam, de qua agitur, praeparant et illustrant, quum alibi tum in principiis, ubi maxime opus nunc interrogatione, ut initio car-

minis sequentis, nunc generali praemissa sententia sequentem ut speciem complectente, quemadmodum Sophocles fecit initio Aiacis iterumque v. 134 ibid., nunc oppositione aliarum rerum aut personarum, ut hoc loco et Ol. X. Add. Ol. IX, init. et v. 48. Nem. III, init. VIII, 37. al. Sensus igitur: Alia in aliis generibus praeclara, ut aqua et aurum; sed inter certamina nihil Olympico ludo nobilius, ut in coelo nihil insignius sole. Quare structura prooemii ornata quidem, sed plana, nec quidquam inest eius audaciae, quam multi hic sibi reperisse visi sunt. — V. 1. vim proverbii *ἄριστον μὲν ὕδωρ*; monente Boeckhio meo, sic illustrat Aristoteles rhet. 1, 7. *καὶ τὸ σπανιώτερον τοῦ ἀφθόνου (μεῖζον), οἷον χρυσὸς σιδήρου, ἀχρηστότερος ὤν· μείζων γὰρ ἡ κτῆσις διὰ τὸ χαλεπωτέραν εἶναι. ἄλλον δὲ τρόπον τὸ ἄφθονον τοῦ σπανίου, ὅτι ἡ χρῆσις ὑπερέχει. ὅθεν λέγεται, ἄριστον μὲν ὕδωρ.* Sed ut equidem censeo, dicitur *ἄριστον ὕδωρ*, quia saluberrimum habetur. Vide enim quam pulcre haec aquae et auri commemoratio accommodata sit convivio praesenti, poculis aureis mensas ornantibus et aqua vinum temperante; unde quovis pignore contendam neminem convivarum de Thaletis placito cogitasse, quod multi cum Scholiis inferunt incommode. Pindarus e praesentibus rebus talia petit de more. Ac quum Aristotelica ratio ieiuna videatur ipso Boeckhio iudice, qui eam probavit, nunc contra nobile proverbium est et vere antiquum, ex ipsa veterum vita ductum, ubi vel vino admiscebatur aqua. — Sequentia construe sic: *ὁ δὲ χρυσός, αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτί, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου (διαπρέπει)*, in qua collocatione verborum ne claudicaret et infirmior evaderet primaria sententia, Pindarus bene addidit *ἔξοχα*. Ornavit autem auri commemorationem alia addita comparatione, ut paullo amplius fieret principium. — V. 6. *θαλπνότερον*. Tertium comparationis, quod dicunt, non esse in splendore solis et ludorum, ut ante in lumine ignis et auri, ex ipso hoc comparativo patet; nec poterat bis eadem comparatio poni. Sensus: Ut nihil per coelum praeclarius fovente solis sidere, sic Olympico ludo nihil nobilius, h. e. ut sol calore nihil habet simile in coelo, sic Olympia nobilitate nihil inter ludos. Quum enim Olympia post solstitium aestivum celebrarentur, comparatio haec plane non habet quod mireris, im-

mo optime ex ipso praesenti tempore ducta est, ut facit plerumque Pindarus. Consulto vero poeta *θαλπνότερον* dixit, non *θερμότερον*, alterum enim iucundum, alterum iniucundum. *ἐρήμας αἰθέρος*, vacuus et desertus aër, e perpetua aëris vacuitate petitum. *Ὀλυμπίας*, contractius dicendi genus, usitatum in constructione comparativorum aliisque comparationis formulis. cf. Matth. Gr. p. 848. seqq. ibique laudatos. — *μηδ' αὐδάσομεν*, futuro tempore, nec pro *αὐδάσωμεν* accipio. Corripuisse Pindarum vocales, ut Homerus fecit, est quod dubitem, nec locum video qui opponi possit, nisi forte Ol. VII, 3., ubi tamen etiam futurum recte dici potuit. — V. 8. *ἀμφιβάλλεται.* Vario modo explicant viri docti. Thierschius: instruit se et ornatus procedit per artem poetarum, quemadmodum etiam Welckerus metaphoram a vestitu petitam putaverat. Heynius ad. Iliad. T. VI, p. 628. et Huschkius ad Tibull. 1, 6, 62. et Boeckhius in Expl. ad h. l., adlabitur, obiicitur mentibus et infunditur, ut sonus circumfusus auribus. Similiter Gurlittus. Wakefieldius videtur cepisse pro agitatur mentibus, quum compararet Aristoph. Lysistr. v. 28. Denique nuper Tafelius: Disseminatur hymnus per omne spatium mentibus, ut arcubus. Mea sententia haec est: Ut latine dicitur amplecti animo et complecti, quorum hoc est multa s. magna comprehendere, illud cupide suscipere animo et versare, similiter graece *ἀμφιβάλλεσθαι* et *περιβάλλεσθαι διανοίᾳ, μητίεσσι* dici potuit, veluti ap. Isocratem Philipp. p. 118 Bekk. est *περιβάλλεσθαι τῇ διανοίᾳ τὰς πράξεις*. Nunc *ἀμφιβάλλεται* passivum est. Iam vide sensum simplicissimum: Hymnos s. laudes et materiam hymnorum poetae e ludorum locis suscipiunt et amplectuntur mentibus, ut canant apud victores. Quare verto: Unde nunc praeclarus hymnus prehenditur doctorum mentibus, quo canant Iovem in domo Hieronis. Neque *ὅθεν* habet quod durum sit graece. Est genus constructionis illud, quo verbum motum a loco significans brevitate dicendi suppletur sensu; cf. ad Pyth. IX, 29. — V. 9. *σοφῶν.* Videntur enim plures tum in aula regia affuisse cum Pindaro poetae. Quum igitur posset sic dicere: Unde nunc mente mea suscipitur hymnus in praesentia ceterorum poetarum, qui carmen Pindaricum una cantabant, melius rem ad universum chorum transtulit, nunc honoris causa *σοφῶν* nomine

appellatum. — V. 10. *Κρόνου παῖδα*, Olympicorum ludorum praesidem et victoriae auctorem, quare dictum pr. victoriam canere a Iove concessam. Habetur autem convivium in oeco virorum, opinor, qui ex Homero notus. Ac pulcre verba; *ἀφνεὰν μάκαιραν ἑστίαν* magnificum apparatum hospitalis convivii respiciunt, quo nunc excipiuntur canentes. — V. 12. *θεμιστεῖον*, h. e. sceptrum regis ius dicentis, ut monet Boeckhius, *ἀμφέπει*, tractat. Erat vero tum, notante eodem, summa Hieronis in Sicilia potentia. — V. 13. *δρέπων* s. *ἀποδρέπων* pro *δρεπόμενος*, cf. Pyth. I, 49. IV, 130. VI, 48. — *κορυφὰς ἀρετᾶν πασᾶν*, cf. N. I, 34. Ol. II, 13. VII, 4. al. Non igitur dicit omnes virtutes habere Hieronem, sed principes omnium virtutum s. decora summa carpere. Intelliges nominatim certaminum nobile studium, hospitalitatem erga poetas et artium musicarum amorem. — De v. *ἄωτος* cf. Buttm. Lexil. T. II, p. 15., Musices flore, h. e. carminibus lyraeque cantibus pulcherrimis. De praepos. *ἐν* compara Pyth. V, 102. Nem. XI, 17 et 28., neque enim abundat. — *Ἀγλαΐζεται*, ornatur, ut Athen. XIV, p. 622. c. Sensus: ut est insignis, celebratur etiam talis et ornatur a nobis. Denique quod post *δρέπων* verbum finitum positum, de eo conf. Pyth. III, 53. Isthm. III, 12. aliaque hic laudantem Boeckhium. Indicativus ubique fortior est et nervosior, quare vigorem affert haec ratio placetque quum alibi tum in fine periodorum, ut fortius insistat oratio. — V. 16. *οἷα* cf. Fragment. 103. Add. Pyth. VI, 21. et Boeckh. h. l. — *παίζομεν*, canimus. — Vides poetas, qui saepe in conviviis et comissationibus familiariter coniuncti celebrarent regem illustrem. cf. Boeckh. Quidni igitur etiam nunc affuerint? Immo hic ipse locus more Pindarico propter praesentis temporis similitudinem positus est.

V. 17 — 100. Media pars carminis, tota fere mythica. Progressus a laude victoriae mox Pelopis fabulam proponit, interposito loco de Tantali superbia poenaque. — V. 17. *Δωρία φόρμιγξ* est, cuius tensio Dorium modum habebat, cf. Boeckh. d. Metr. Pind. p. 256., ac significat poeta simul illustrissimam se eligere harmoniam, quum Doricum nomen ceteris illustrius sit, cf. ad Ol. VIII, 30. Patet autem nunc demum citharae cantum audiri coeptum, quum ante-

cedentia ad solam tibiam cantata essent. Hermannus Δωρίαν φόρμιγγα interpretatur poesin Doriam; sic sensus esset: Age sume nunc Doriam poesin, quod non intelligo, quum talis iam in prooemio sit. — ἀπὸ πασσάλου suaviter, quum etiam in Hieronis oeco cithara penderet, ut olim in heroum oecis; ut illi epico cantu delectabantur, sic Hiero pro diversitate temporum lyricis carminibus chorisque. — V. 18. Πίσα, urbs olim celebris apud Olympiam et caput regni, saepe pro Olympia posita; hic memorata propter Pelopem regem, ad quem transire vult. — Φερένικος nomen nobilis equi, nominatum etiam Bacchylidi in Schol., et infr. Pyth. III, 74., si idem ibi equus est. — χάρις, gloria. — φροντίσιν de curis poeticis, canendi studio, cf. Nem. X, 22. — ὑπὸ-ἔθηκε, subiecit, quum memoria Pelopis et admiratio Pherenici currentis animum Pindari abriperet ad cantum. Videtur enim tum praesens fuisse Olympiae. — V. 21. Παρέχων, exhibens, conspiciendum praebens; cf. Aesch. Pers. 22. Aristoph. Ran. 613. — ἀκέντητον, Hom. Il. XXIII, 387. — κράτει προςέμιξε, genus dicendi Pindaro usitatissimum, cf. Nem. I, 18. II, 22. Isthm. III, 3. Adde πέλασον infr. v. 78. et Doederl. Specim. Edit. Sophocl. p. 83. — κράτος, victoria. — V. 23. ἱπποχάρμαν, cf. Introd. — λάμπει δέ οἱ κλέος seqq. Sensus: Splendet autem regi gloria non ignobili loco, sed in egregia Pelopis nobilissimi colonia, qui a Neptuno amatus est seqq., atque ita transit ad fabulam. Πέλοπος ἀποικία urbs Pisa consulto nunc dicitur magnificentius, quum laus victoriae petatur e nobilitate loci, et potuit etiam recte dici, quoniam, non multis licet comitibus stipatus, regnum tamen consequutus est Pelops. Nam si non esset rex factus, sed in aequa iura cum suis receptus civis inter cives vixisset, vix poterat apte Pisa colonia Pelopis dici. Potius ἐποίκους tales homines nominasset. — V. 25. τοῦ μεγασθενὴς seqq. Accedimus hinc ad fabulam de Pelope, quem ferebant quondam dissectum et coctum a patre Tantalo convivantibus apud se diis appositum, sed re cognita restitutum Iovis iussu a Mercurio aut Rhea, pro quibus Pindarus Parcam nominare creditur. Quum autem deesset humerus sinister a Cerere consumptus, eburneum additum. cf. Scholia ad h. l., Nonni Dion. XVIII, 27. seqq. et Lycophr. 152. seqq.

Aristid. Orat. d. Smyrn. T. I, p. 272. Hanc fabulam Pindarus impiam dicit et aliter explicat. Fuisse convivium deorum apud Tantalum, ibi Neptunum amore incensum secum duxisse in Olympum puerum pulcrum, qui quum frustra quaesitus nullibi reperiretur, a vicinis invidis inventam istam fabulam.. Inspiciamus nunc propius poetae verba. Ex Pindari mente quum non consumptus sit humerus nec novus a Parca suppletus eburneus, quomodo tamen dicit: τοῦ ἐράσσατο Ποσειδᾶν, ἐπεί νιν-κεκαδμένον? Statuunt interpretes omnes poetam hic primum vulgarem fabulam ponere, quam deinde neget. Sed vide quid nunc dicat Pindarus ex hac ratione: „Hiero vicit in nobilissima Pelopis colonia, qui amatus est a Neptuno, propter humerum eburneum, quem tamen non habebat." Inest huic loco laus Olympiae et Pelopis, in qua re certa et vera exspectamus, nec potest una pars laudis vera esse (τοῦ — γαιάοχος), altera falsa (ἐπεὶ-κεκαδμένον), ubi serio laudes, nec licet vera et falsa continua oratione iungere, nullo discrimine facto. Quare ego aliam explicationem proponam. Etenim eburneum humerum Pelopi fuisse tam vulgata traditio fuit, ut non probabile sit hoc a Pindaro negari potuisse, quod vulgo statuunt. Narrat Scholiastes, τούτου φασὶ καὶ ὑπόμνημα τοὺς Πελοπίδας φέρειν λευκότητά τινα κατὰ τὸν ὦμον, cui adde locos laudatos a F. Iacobsio ad Philostr. pag. 388, testantes idem. Ac vide de notis corporis generi alicui propriis Musgrav. ad Soph. Electr. v. 1233. Cautius igitur statuemus minime negari a Pindaro rem hoc modo firmatam, sed aliter explicari. Censet natum esse puerum cum eburneo humero. Ac quum ex ipso Pindaro constet Parcas in partu adesse inprimis egregiorum, illustrium puerorum, cf. Ol. VI, 42. Nem. VII, 1., ego ita intelligo locum: Vicit Hiero in nobilissima Pelopis colonia, qui a Neptuno amatus est inde a prima infantia, quum Clotho recens natum sustulisset e lebete, eburneo humero splendentem. Est igitur λέβης usu Homerico pelvis, in qua lotus erat infans post partum. [Epitheton καθαροῦ nunc non simpliciter ornat, sed cogitare nos cogit de lebete, quem vulgaris fabulae inventores fingebant, ob caedem pueri μιαρῷ. F. I.]. — Nunc veritate breviter indicata, v. 28. sic pergit: „Sunt mirae „res multae, atque in his interdum etiam ultra veritatem quae-

„dam exornata fallunt: ut nunc in Pelopis fabula verum miraculum humeri eburnei falsis commentis auctum et super veritatem „ornatum est. Ego vero dico ab invidis excogitatam coctionem seqq.“ De hac ratione narrandi, ex qua verum primum breviter ponitur, deinde confirmatur et explicatur, vere Pindarica vid. Dissertationem huic libro praepositam. — V. 28. βροτῶν φάτιν, narrationem, famam fallunt, h. e. fallunt homines, ut corrumpatur fama. ὑπὲρ τὸν ἀλαθ. λογ. iunge cum δεδαιδαλμένοι. — V. 30. χάρις cf. Ol. XIV, 5. Videtur autem dea intelligenda propter verbum ἐμήσατο. — ἐπιφέροισα τιμάν, auctoritatem afferens rebus, ut credantur, cf. Pyth. IV, 278. — ἁμέραι seqq. cf. Ol. XI, 55. et Xenoph. Hist. Gr. III, 3, 2. et de plurali ἁμέραι cf. Blomfld. Aesch. Agam. v. 1656. — V. 35. μείων, ne dicat οὐδεμία, minore saltem culpa errabimus bona fingendo. Est hic usus comparativi non infrequens. cf. Pyth. I, 82. Soph. Ai. 264. Hom. Od. III, 69., ubi vid. Nitzsch. Notabis inprimis etiam modeste, caute, religiose loquentes eo uti. — V. 38. Σίπυλος, urbs sita ad montem eiusdem nominis in Lydia, postea terrae motu vastata, de qua re est bona Tafelii annotatio. — φίλα epico more. — ἔρανον appellat etiam Euripid. Helen. v. 395. — εὐνομώτατον, h. e. non cruentum caede filii. Seriores quidam bono consilio Tantalum mactasse diis filium suum fingunt, τὸ φιλόξενον αὐτοῦ ἐνδεικνύμενον, cf. Tafelium p. 33. Tu vero cave talia in Pindarum inferas cum eodem viro. — ἀμοιβαῖα, quum ipse divinis conviviis ante admotus esset. — τότ᾽ ἁρπάσαι. Ex Pindari sententia Neptunus puerum inde a partu sibi carum nunc cupiditate domitus (fortasse οἰνοχοοῦντα videns, ut vult Philostr. Imag. 1, 17.) rapit et in Olympum abducit, quum aptus iam esset amoribus. — V. 41. χρύσεαι ἵπποι, ob frena et phaleras. — V. 45. τωἴτ᾽ ἐπὶ χρέος, de usu Venereo dictum esse patet e nexu et monet Boeckhius, quem cf. ad Platon. Min. et Legg. p. 106. de his amoribus dicentem. Idem de usu v. χρέος laudat Oppian. Hal. 1, 583. additque Tafel. Anthol. Palat. XII, CCXI, 5. Potuit Pelops simul pincernae munere fungi apud deos, sed huius rei nulla hic mentio: Pindarus per totum locum nonnisi de amore loquitur. — δευτέρῳ χρόνῳ. Placet nunc Boeckhio filium Laomedontis a Pindaro Ganymedem habi-

tum, de qua genealogia cf. Cic. Tuscul. 1, 26., et, qui tamen locus dubius visus nonnullis, Eurip. Troad. 822. Sic post Pelopem venire potuit, quum Pelops Laomedontis esset aequalis, cf. Schol. — V. 46. *ματρί*, suaviter, cf. Nem. 1, 74. Pyth. IV, 330. Pyth. VIII, 122. — *ὕδατος - ἀκμάν*, ad aquae vim ferventem, *ὕδωρ ἀκμαίως ζέον*. Est enim *ἀκμά* vis, cf. infr. 96. Ol. II, 69. Nem. IV, 63. Isthm. VII, 37. Ceterum observa concinnam brevitatem in re abominabili. Ad aquam ferventem dissecta membra dicens coctionem simul significat, sed diserte non nominat, eaque causa est orationis sic formatae. — V. 50. *τραπέζαισί τ᾽ ἀμφὶ*, in mensis circum dividebant. — *δεύματα κρεῶν*, carnes embammate sive iusculo imbutae, ut fallerentur dii, quos tentare volebat Tantalus. vid. Boeckh. Nott. critt. ad h. l. Ego cur non probem *δεύτατα* cum aliis viris doctis, hinc accipe. Plane evanuerat Pelops sublatus in Olympum. Hinc vicini dixerunt eum in illo convivio coctum et comesum. Nihil simplicius et ad rem explicandam clarius. Iam pone alteram lectionem *δεύτατα*, quae si de extrema corporis parte, humero intelligitur, vicini humerum tantum consumptum dixerunt, et puer statim restitutus est. Cur autem nihilominus evanuit? En tibi ineptos homines, qui cur evanuisset puer explicaturi invenerunt fabulam de humero absumpto, tum restituto! An voluerunt humerum absumptum, tum restitutum, denique puerum a Neptuno in coelum raptum? Vides quam multa hic suppleant interpretes, quae non leguntur nec poterant omnino vicinis a poeta tribui. Nam in coctionem quidem inciderunt facile, quum convivium scirent fuisse; quare hoc verisimiliter ponit Pindarus; sed cetera omnia de humero absumpto, restituto, de ebore apposito, de raptu Neptuni, unde quaeso suspicari poterant? Contra ex nostra ratione omnia clara. Taceo eorum sententiam, qui extremitates manuum et pedum intelligunt et anthropophagos nobis comparant, quibus talia in deliciis. Tu enim senties omnino *δεύτατα κρεῶν* pro extremitatibus male dictum, nullo exemplo firmatum. Alii denique *ἀμφὶ δεύτατα* iungunt et circa finem convivii explicant, ut sunt *δευτέραι τράπεζαι*. Sed hi primum non docuerunt *δεύτατα* sic dictum, ut Boeckhius iam monuit, deinde additamentum inferunt alienum. Vicini dicere debebant Pelopem comesum, nihil

amplius. Sive enim medio sive ultimo convivio comesus est, hoc nihil ad rem. Verum, ais, gravius accusant, insuper significantes tanquam delicias quasdam eximias ad secundas mensas reservatum puerum. Verum hoc quoque alienum esse dico. Pindarus nihil ponit nec ponere debet, nisi quod ad fabulam vulgarem explicandam pertineat; nihil hic addit et amplificat, quo non opus, immo, ut dixi, ne coctionem quidem diserte nominat, nedum inutiliter augeat immanitatem rei. Plurimum interest in interpretatione veterum diligenter attendere quid quoque loco dicere possint ac debeant. Sed ut in viam redeam, quomodo orta est vulgaris fabula? Nempe, quod fraudem fecit plerisque, Pindarus tantum fundamenta rei indicavit, unde tamen cetera facillime colligi poterant. Nam quum aliquo tempore post Pelops a superis remissus esset, intellectum sane eum non devoratum esse; quare posteriores fabulas duas oblatas de humero eburneo et de coctione ita coniunxerunt, ut dissectum quidem et coctum traderent Pelopem, sed consumptum tamen humerum tantum et statim suppletum ebore. Ac consulto Pindarus supra Pelopem inde a prima infantia a Neptuno amatum significaturus ita dixit: *ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἔξελε Κλωθώ*, ut monstraret quomodo posteriores, vera traditione male intellecta, de coquinario lebete cogitare et ad coctionem humerum eburneum revocare potuerint. Atque ita nunc declarata videtur vera mens Pindari, ac negari nequit facilem esse et claram eius explicationem, quod unum postulari poterat pro ratione illius temporis. Ex nostratibus nuper Völker. de Pelopis coctione egit Mytholog. d. Japetischen Geschlechts p. 352. Denique post omnia si quaeritur etiam illud, cur omnino intexuerit Pindarus hanc refutationem fabulae vulgaris: foeda erat coctio, foeda *γαστριμαργία* deorum, contra suavis cogitatio nati pueri cum eburnei humeri splendore. Quare, sublatis quae abominabilia, omnem rem ad meliorem speciem revocavit, ut et Pelops a partu amatus a Neptuno similior esset Hieroni et Tantalus commodius exemplum superbiae regiae punitae, quae ferre fortunam non posset. — V. 52. *γαστρίμαργον*, gulosum. Praeter Lexica cf. Tafel. ad h. l. Nunc qui foeda edit. Cet. cf. Eurip. Iphig. in Taur. v. 387. seqq. — *ἀφίσταμαι*, desisto, abhorreo, cf. Plat. Euthyd. p. 303. A. Demosthen. *π. παραπρεσβ.* p. 355, 20. Pind. Nem. V,

16. — ἐμοὶ δ' ἄπορα, ego non possum. — ἀκέρδεια, damnum, ut ἀνωφελής, ἄχρηστος, inutilis pr. noxius. Heind. ad Plat. Protag. p. 549. Horat. Satir. p. 107. Nos: Sie haben es keinen Gewinn. — κακαγόρος, κακαγόρους. Ceterum vid. Boeckh. d. Crisi Pindar. pag. 55. — V. 54. Sequitur hinc usque ad v. 65. locus de Tantali superbia et poena, quo Hieronem monet. — εἴτινα, si quem alium, cf. d. hoc genere dicendi Valckenar. ad Phoeniss. 1589. Blomfld. ad Agamemn. 907. — Ὀλύμπου σκοποί, custodes, domini. De Tantalo diis dilectissimo confert Boeckhius Ovid. Met. VI, 172. — V. 55. καταπέψαι, concoquere cibum, nunc metaphorice: habere, frui, ut non noceat tibi. Dicitur sic de re, quae etiam nocere possit et gravia incommoda afferre, nisi eam subigas et modereris, quemadmodum qui editur cibus concoquitur, subigitur, ita ut quae insint utilia fiant corpori, non noceant. Similiter fere Hom. Il. I, 81. χόλον καταπέψῃ, cohibuerit, in quo bilis comparatur cum re gravi cibove malo, quem deglutinaveris, tum concoquere, cohibere, domare labores. De alia significat. verb. cf. ad v. 83. — V. 57. ὑπέροπλον, ingentem, Buttm. Lexil. T. II, p. 215. — V. 57. ἄν οἱ πατὴρ-λίθον. Ad v. ὑπερκρέμασε alludit Polyb. apud Suid. v. ἐπικρεμ. sic: Οἷς δ' ἅμα ἀνατιθεὶς καὶ τὸν ἐξ αὐτοῦ φόβον ἐπικρεμάσας. Porro ne duplex pronomen iungatur cum verbo ὑπερκρέμασε, Hermannus et Boeckhius πατήρ οἱ accipiunt pr. pater eius. Sed primum ita οἷ ponitur pro eius aut suus, ut ubique etiam cum verbo iungatur et vere dativus sit, ut ex ipsis allatis exemplis patet, Ol. II, 14. VIII, 83. IX, 15. Pyth. I, 7. Nem. VII, 22. Atque ita semper antiquiores cum Homero, cf. Tychsen. ad Quint. Smyrn. Pag. LIII. Sed dabo hoc; vel sic quis quaeso ferat hoc: τόν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασεν αὐτῷ, quem pater eius suspendit ei, in quo plane intolerabile est sic bis positum pronomen. Vides quid sequatur: αὐτῷ non potuisset inferri, nisi verba καρτερὸν λίθον adessent. Nempe ἄν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε dum lego, pronomen iungo necessario cum verbo, tum sequentia καρτερὸν αὐτῷ λίθον legens novum vigorem orationi accedere sentio, quum interpositum αὐτῷ acuat appositionem. Constat autem attentis lectoribus inprimis apud Atticos saepissime hoc pronomen inferri cum virtute quadam oratio-

nis, Heind. ad Plat. Gorg. p. 482, d. et saepe quidem infertur ad praecedentem vocem acuendam, non solum post interiecta membra, ut Plat. Gorg. p. 482, d. αὐτὸν post αἰσχυνθῆναι redit, sed etiam in continua oratione, quemadmodum Plat. Theaet. p. 155, d. χάριν οὖν μοι εἴσῃ, ἐάν σοι ἀνδρός, μᾶλλον δὲ ἀνδρῶν ὀνομαστῶν τῆς διανοίας τὴν ἀλήθειαν ἀποκεκρυμμένην συνεξερευνήσωμαι αὐτῶν, ubi verbum συνεξερευνήσωμαι suaviter acuitur subiecto pronomine, ut aculeum habeat. Similiter pronomen is acuit praecedentem vocem (Cic. d. Off. I, 38. §. 137.). Haec res alibi a nobis tractabitur explicatius. Nunc igitur similem quodammodo esse dico huius pronominis vim, quod hic solius appositionis causa post οἱ repetitum est, constructione vero cum verbo cohaeret. Nam qui καρτερὸν αὐτῷ copulant sic, ut intelligant saxum grave Tantalo soli, quippe imaginarium, aberrare mihi videntur. — V. 58. κεφαλᾶς βαλεῖν cf. Matth. Gr. p. 667. — ἀλᾶται, Eurip. Troad. 635. Blomfld. ad Aesch. Sept. 783. Hermann. ad Eurip. Suppl. 69. — ἐμπεδόμοχθος, h. e. διηνεκῶς μοχθηρός. — βίος, de vita apud inferos, veluti Ol. II, 63. — Verba μετὰ τριῶν obscura sunt. Constructione facillimum quidem est, si intelligas tres alias poenas; ac sitim certe et famem habemus Odyss. XI, 581. seqq., sed quam his Scholia addunt standi molestam necessitatem, petitam e verbis Homeri ἑσταότ᾽ ἐν λίμνῃ, eam tamen alibi non memorari monitum est; quanquam probari nequit eam non cogitatam a Pindaro. Sed ob has causas Boeckhius aliique ἀνδρῶν supplent, ut intelligantur Sisyphus, Tityus, Ixion. Mihi mens ad simplicissimum inclinat; quae vero tertia ab Heynio proponitur ratio: continuum, quartum post tertium, eam exemplis firmatam non vidi, licet nota sint τρισάθλιος, τρίσμακαρ, alia multa similia proverbialiter dicta. Sequentia construe: ἀθανάτων ὅτι κλέψαις νέκταρ κ. τ. λ. Admissus ad Iovis tabulam furatus est nectar et ambrosiam, eaque vulgavit compotatoribus suis impertita. Ceterum de furto Tantali Tafel. confert Nonn. Dionys. I, 145. XVIII, 31. — Denique de Tantali poena vid. Boeckh. h. l., Welcker. ad Fragment. Alcman. p. 60. seqq., Tafel. ad hunc Pindari locum et viros ab his laudatos. Fuit rex dives et felix, unde a diis dicitur mirifice dilectus; postea vero, urbe regia deleta, excogitatae fabulae de superbia et poenis eius. — V. 65. τοὔνεκα seqq., ut quam

amicis suis temere tribuere volebat immortalitatem, ea se doleret filium suum privasse. Vides igitur οἵ non esse ad eum, quasi in Lydia Tantalus secundum Pindarum poenam luat. — V. 67. Redit ad Pelopem. — πρὸς εὐάνθ. φυάν, Pyth. IX, 25. circa adolescentiam. — μέλαν γένειον ἔρεφον, h. e. ut nigresceret, genus dicendi rarissimum apud Pindarum, frequens apud Tragicos, cf. Herm. ad Soph. Oed. Col. 1202. ad Antig. v. 524, 872, alibi, Vid. inprimis Heller. ad Oedip. Col. 1194 uberrime hanc prolepsin explicantem. — ἑτοῖμον γάμον, paratum et oblatum iis, qui ambire vellent, coniugium s. coniugem. Minus honeste Antipater in Delect. Epigrammat. sp. Iacobs. p. 151. servarum λέκτρον ἑτοῖμον dicit. — Πισάτα π. πατρ. σχεθέμεν, a patre certamine obtinere. Iam patronum suum Neptunum invocat ut equorum deum. — V. 71. ἄγχι πολιᾶς ἁλός, ut magis audiatur a Neptuno. cf. Ol. VI, 58. Tafelius bene comparat Nonn. Dionys. XXXV, 190. — ἐν ὄρφνᾳ, cf. Ol. VI, 61. Nox et solitudo optimae ad commercium cum diis. — V. 75. φίλια δῶρα Κυπρίας, gaudia Veneris, ut Nem. VIII, 7. notissimo usu; alibi etiam de pulcritudine dicitur, cf. Hom. Il. III. 54. Sensus: Si tibi dona Veneris gaudio sunt, τέλλεται ἐς χάριν, „fuit aut tibi quidquam dulce meum“ Virg. Aen. IV. 307., me quoque adiuva. Ceterum cf. Eurip. Heraclid. 351. εἰς εὐπραξίαν ὑπάρχειν. — πέδασον, inhibe, quum a tergo instans transfigeret certantes, cf. Pausan. VIII, 14. — ταχυτάτων ἁρμάτων, vides Λύδιον ἅρμα, de quo dictum in Introd. — κράτει πέλασον cf. ad v. 22. — τρεῖς τε καὶ δέκα, cf. Herm. ad Soph. Electr. 873. et quae ibi laudata. Add. Lobeck. ad Phrynich. p. 410. Ponuntur τε καί pr. καί amplificationis causa. cf. ad Ol. XIV, 5. — V. 81. Sensus: Scio fortitudine et audacia opus esse in hac re, magnum periculum inbellem virum non recipit, admittit (λαμβάνει), sed quum semel amiserim immortalitatem, quid prodest vita nisi nobili facto illustrata? — οἷσιν-τις, cf. Matth. Gr. p. 811. ibique laudatos. — καθήμενος, otiose sedens. Nota vero cumulationem, ἀνώνυμον, ἐν σκότῳ, μάταν, ἁπάντων καλῶν ἄμμορος, in quo καλά sunt laudes, Ol. X, 18. Isthm. VII, fin. Tum γῆρας ἕψοι, ut Pyth. IV, 186. τὰν ἀκίνδυνον αἰῶνα πέσσοντ᾽, h. e. fovere, colere, studiose servare, Hom. Il. II, 237. γέρα πεσσέμεν. Metaphora

inde ducta, quod qui ederunt diligenter servant stomacho cibos, caventque ne turbetur concoctio. Denique βέλος πέσσῃ Il. VIII, 513. Κήδεα πέσσει Il. XXIV, 617. similia, pro laborare, ducta videntur a labore concoctionis. — V. 84. ἀλλ' ἐμοὶ μὲν seqq., sed ego non ero talis. ὑποκείσεται, incumbam in hoc certamen. Proprie materia artis subiecta dicitur artificibus, in qua versantur, quam tractant, cf. Cic. d. Off. I, 5, 17. Inde ducta alia. Plutarch. in Pericle Cap. VI. ὑπέκειτο γὰρ τῷ μὲν (τῷ φυσικῷ) ἐκ τίνων γέγονε καὶ πῶς πέφυκε θεωρῆσαι, τῷ δὲ (μάντιν dicit) πρὸς τί γέγονε καὶ τί σημαίνει προειπεῖν. — V. 85. πρᾶξιν, eventum Pyth. IX, 68. — V. 86. οὐδ' — ἐφάψατ', neque irritas preces fecit. Verbum dativ. c. Pyth. VIII, 60. Nem. VIII, 36., cum genit. Ol. IX, 13. Pyth. III, 29. — ἀγάλλων, h. e. κοσμῶν, τιμῶν, cf. Stephan. Thes. ed. nov. Equi vero alati, de quibus etiam Boeckhius dicit, Pelopis expressi erant etiam in arca Cypseli, Pausan. V, 17, 4. et vid. Palaephat. c. 30. Adde cum Tafelio Pherecyd. in Schol. ap. Soph. Electr. 498. Eurip. Orest. 979. — V. 87. χρίσεον δίφρον, ut Soph. Electr. 503. Ceterum conf. Philostrati Imaginem I, 30., ubi Pelops in littore maris cum quadrigis a Neptuno concessis ipsoque Neptuno, et quae ibi notant novissimi editores duumviri. — V. 88. ἕλεν, zeugma, ut ἐκράτησε Nem. X, 25., vicit Oenomaum, obtinuit virginem. — ἓξ υἱοὺς, cf. Boeckh. ad h. l. et Schol. — μεμαλότας, gratos, caros; usitatissima dictio μεμηλώς, μέλων, μέλημά τινι, cf. Pind. Ind. et vid. plura apud Boeckh. et Tafel. Illud dubito, deas hic esse virtutes. Potest aliquis suavi translatione gratus virtuti, pulcritudini, hilaritati, lyrae, aliis rebus dici, quae tamen deae non sint. cf. etiam ad Ol. II, 19. Ceterum vides non credere Pindarum Atrei et Thyestae nefaria dissidia. Nempe antiquior traditio ignorabat haec; praeter illam tamen vulgari coepit alia iam a cyclicis quibusdam, quam amplexi sunt tragici. — V. 90. Nunc pro heroe colitur. ἐν-μέμικται cf. ad v. 22. — αἱμακουρίαις, quae Pelopi quotannis fiebant ariete caeso, Pausan. V, 13, 2. Vox Dorica et Boeotica. Satiari sanguine dicebantur manes precibus evocati sacrisque quodammodo interesse visi. Apte confertur locus Plut. Aristid. c. 21. — κλιθεὶς πόρῳ, iacens ad, Hom. Il. V, 709. — V. 92. In Alti erat Pelopium, τέμενος,

ἀρχαῖον σᾶμα Πέλοπος, Ol. XI, 25., de quo Pausan. V, 13, coll. 26. In eo hunc tumulum puta fuisse, *ἀμφίπολον* h. e. celebraum frequentia hominum adeuntium. Vicina erat magna ara Iovis, Pausan. V, 13, 5. *πολυξενώτατος*, ut Boeckhii verbis utar, quum in ea ara peregrinorum plurimi sacrificia offerrent Olympiorum tempore. — *τὸ δὲ κλέος* seqq. Nihili est: Gloria Pelopis longe splendet aut e longinquo splendet in curriculis. Iunge potius *κλέος ἐν δρόμοις*, h. gloria parta in curriculis, ut saepe Pindarus, cf. Ol. VIII, 56, 83. Pyth. VI, 18. VII, 13. Porro cum *δρόμοις* iunge utrumque genitivum; ac *Πέλοπος δρόμοι* sunt in quibus Pelops olim certavit, et *Ὀλυμπιάδων δρόμοι* dicti, ut Pyth. I, 32. *Πυθιάδος ἐν δρόμῳ*. Iam verte: Gloria autem longe splendet parta Olympicorum ludorum in curriculis Pelopiis. Est enim hic nexus loci: Laudans poeta Pelopem etiam tunc cultum et celebratum, et sic ad praesentia tempora paulatim rediens, dicit: Nunc autem pro heroe colitur, tumulum habens celeberrimum, gloria autem, quae paratur in curriculis eius, maxima est. Alii vertent: Gloria Pelopis parta in curriculis Olympicorum ludorum, h. e. ubi instituti ludi Olympici. Sed minime placet repetita certaminis olim a Pelope facti laus: aptior et nervosior praesentium cursuum memoratio cum Pelopis laude iuncta. Ceterum certatum esse a Pelope cum Oenomao Olympiae, quo loco hippodromus Olympicus, vetustior traditio; alia est, quae cursum usque ad Isthmum Neptunium extendit. — *ταχυτὴς ποδῶν*, etiam equorum, ut nunc Pherenici. — *ἀκμαὶ ἰσχύος*, certamina cetera praeter cursum. *θρασύπονοι*, Nem. V, 39. — *ἀμφὶ* V. Ol. II, 30. — *εὐδίαν*, serenitatem, felicitatem. Plat. Rep. V, 465. d. *ζήσουσι τοῦ μακαριστοῦ βίου, ὃν οἱ Ὀλυμπιονῖκαι ζῶσι, μακαριώτερον*. — *ἀέθλων γ' ἕνεκεν*, Boeckh. quantum quidem certamina praestare possunt. cf. Blomfld. ad Aesch. Pers. 343. Religiose dictum. — *τὸ δ' αἰεὶ παράμερον* seqq. quod semper praesens est et manet, ut praecipit Boeckh. *ἔρχεται* contingit, Latinis venire. Sic haec cum antecedentibus bene cohaerent. Alii *αἰεὶ* pr. *ἑκάστοτε* accipiunt, quod non placet propter verba *λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον*.

V. 100 — ad fin. Exitus carminis, redeunte poeta ad Hieronem. — *ἱππίῳ νόμῳ*. Quum haberentur ex anti-

quiore musica nomi equestres et curules, qualis Olympi νόμος ἁρμάτιος auloedicus et nobile Castoreum, Pyth. II, 69. Isthm. I, 26. vid. Boeckh. d. Metr. Pindar. p. 276., Pindarus νόμον ἵππιον dicit hoc carmen Pelopia fabula ornatum, quo celebrat Hieronis equestria studia: suaviter comparans nobile in musicis genus, licet non essent νόμοι carmina sua. Canebatur autem hoc carmen Αἰοληΐδι μολπᾷ, h. e. Aeolio modo, ut etiam rhythmi ostendunt Aeolii, cf. Boeckh. d. Metr. Pind. III, p. 256. et 276.; quod cur memoret poeta et hoc loco memoret, causa haec videtur, quia haud dubie celebres erant νόμοι ἵππιοι Aeolii, quum Aeoles atque etiam Thebani rei equestris studiosissimi essent. Sensus igitur loci hic: Ego vero ornare illum debeo exquisite, equestri nomo Aeolio; idque facit cantum hunc suum nunc dicens nomum equestrem. — V. 104. καλῶν ἴδριν Boeckhius musices peritum intelligit, nisi est, qui καλὰ peragere novit, ut certaminum studium significetur, quod propter sequentia vix hic praeteriri poterat. Atqui ita Tafel. Porro attende positivum, deinde comparativum positum: nam καλῶν ἴδριες erant etiam alii nobiles reges, potentior vero Graecorum nemo. Verte: Neminem, qui ambas has laudes coniunctas habeat, ut sit καλῶν ἴδρις simulque potentior. — ὕμνων πτυχαὶ quae sint, maxime dubitatur. Quidam sinus vestium cogitant et cum veste hymnum comparari statuunt, quanquam nullum est huius comparationis exemplum apud Pindarum nec convenit στεφανῶσαι; haec enim coronae comparatio Pindarica, vestium vero plane inanis. Boeckhio meo sunt „artificiosi flexus numerorum, harmoniae, saltationis, non tamen proprie et unice ob strophas antistrophasque et epodos." Mihi potius ad fabulae supra lectae propositam interiorem rationem respicere et hoc dicere videtur Pindarus, insigniorem se neminem reconditis poesios recessibus ornaturum. πτυχαὶ enim sunt valles et recessus, veluti aetheris, cf. Elmsl. ad Eurip. Med. p. 1264, inprimis vero montium, ut Olympi, Pindi, Pelii, Parnassi, Idae, quod notissimum. Tribuebat haud dubie multum propositae a se emendationi fabulae, atque est ea decus carminis pulcherrimum; commode igitur exquisitiora haec propter viri excellentiam dicta significat. Rariores verborum significationes classicus scriptor curare debet, ut

e ceteris quae dixit, intelligi possint; quare haec quoque metaphora per se obscurior ad huius carminis rationem recte mihi revocata videtur. Ac non semel Pindarus hoc modo explicandus. Ceterum conf. *μυχοὺς Πιερίδων* Pyth. VI, 49. — V. 106. Construe: *θεὸς ἐπίτροπος ἐὼν — τεαῖσι μερίμναισι*, et *μερίμνας* usu Pindarico de studio rerum laudabilium dictas (Ol. II, 54.) nunc intellige conatus ad victorias ludicras reportandas, ut Nem. III, 69. Pyth. VIII, 92. Tum *μήδεται* absolute positum. Verte cum Boeckhio: Deus patronus conatibus tuis prospicit, habens hanc curam, h. e. studiose prospicit, *εἰς τοῦτο σπουδάζων*, ut bene explicat Schol. — *εἰ δὲ μὴ ταχὺ λίποι*, leniter monet poeta deorum mentem facile posse averti. In seqq. v. 110. interpunxi iterum post *κλεΐξειν*, et *γλυκυτέραν* intelligo *μέριμναν*, h. e. iucundiorem curam et spem, curulem puta quadrigarum victoriam, quam etiam adeptam Hiero sequente Olymp. docuit Boeckhius. Quare *σὺν ἅρματι* referes ad *γλυκυτέραν*, ut *νίκα ἅρματι*, *ἵπποις* saepissime et Nem. X, 48. *δρόμῳ σὺν ποδῶν — νικᾶσαι*. Simul *ἅρμα θοὸν* tibi *Λύδιον* Pelopis *ἅρμα* in mentem revocabit. — Tum *ὁδὸς λόγων* est via, ratio laudis, genus laudum, ut Nem. VII, 51. cf. Küst. ad Aristoph. Equitt. 1012. et Brunck. ad Soph. Oed. R. 310. — *ἐπίκουρος* adiuvans victoriae splendorem (cf. Ol. XIII, 93.), aptus, conveniens. Sperat igitur mox gratiorem se victoriam celebraturum, apto invento genere laudis, quemadmodum nunc hanc equestrem victoriam aptissimo mytho ornavit. — V. 111. *εὐδείελον*, apricum, ut vult Buttm. Lexil. T. II. p. 190. *Κρόνιον* mons situs ad septentrionale latus Altis. — *βέλος*, quum quasi tela ab arcu sententiae e mente poetae mittantur ad scopum propositum, cf. Ol. II, 90. IX, 5. XIII, 95. — *Καρτερώτατον ἀλκᾷ*, ut *πυκνότατον παλάμαις* Ol. XIII, 52. Anaxagorae dictum, *ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα*, laudatur etiam sic: *ἄπειρα καὶ πλήθει καὶ σμικρότητι* cf. Schaubach. Fragm. Anaxag. p. 70. Dativus est exquisitior. — V. 113. Quanquam *ἐπὶ* in aliis loquutionibus est propter, nunc tamen hoc sensu Pindarus dixisset, opinor, *ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι*, alius alia re magnus; quare vertam: Super aliis alii magni, h. e. alius alio maior. — *πάπταινε* cf. Pyth. III, 22. Isthm. VI, 44. — V. 115. *ὑψοῦ πατεῖν*

ad regiam potentiam pertinet, victoriarum gloria ornatam. — εἴη, Pyth. I, 29. Similiter Latini, cf. Wunderl. ad Tibull. I, 6, 24. — τοῦτον χρόνον, per vitae tuae tempus, monente Boeckhio. Pronomen οὗτος legitime dicitur de iis, quae habemus, quibus utimur. Tafelius explicans hoc genus vitae confundit βίον et χρόνον. — τοσσάδε, aeque diu s. per vitam meam. — Conferes cum hoc exitu eum, qui est Ol. VI.

Carmen Olympicum secundum.

INTRODUCTIO.

Victoria haec curulis reportata Ol. 76, 1. Thero, ex Emmenidarum nobilissima gente, originem ducebat a Cadmo, Oedipode, Polynicis filio Thersandro, Thisameno, Autesione, Thera, aliis, etiam Emmenide s. Emmene, de quorum serie cf. Boeckh. in Introd. ad h. c. et Müller. in Histor. Doriens. T. II, p. 508. Ac Theras quidem e Laconica coloniam in insulam Theram deduxerat; eius nepos Telemachus Rhodum petierat, ut videtur, huius posteri ab Emmene s. Emmenide Emmenidae dicti migraverant Gelam in Siciliam, inde Agrigentum, ubi constantior fortuna iis contigit, et Thero tyrannidem adeo occupaverat, inde ab Ol. 73, 1. usque ad mortem Ol. 76, 4. per sedecim annos retentam: vir eximius, et dum vivebat bona fama et post mortem pro heroe cultus. Sed ab eo initio huius ipsius anni Capys et Hippocrates propinqui, beneficiis antea onerati, defecerant proditionem moliti cum Himerensibus subditis regi. Quae res ixitiosa fieri potuisset Theroni propter Hieronis tum imminens bellum. Etenim Thero olim Damaretam, filiam insignem, in matrimonium dederat Geloni, Syracusarum tyranno, qui moriens exercitum reliquerat Polyzelo fratri cum uxore et filio, ut is huic adulto tyrannidem vindicaret, interim ab Hierone occupatam. Hinc Hieronis animus a Polyzelo abalienatus, et quum hic postremo ad Theronem cum Damareta transfugisset, Hiero de bello Theroni et Polyzelo inferendo cogitabat. Qua

tum opportunitate uti volebant Capys et Hippocrates ad consilia sua perfida exsequenda. Sed periculum feliciter aversum, pax inter Theronem et Hieronem reconciliata, et propinqui ad Himeram victi, urbs capta. Vide de his omnibus Boeckhium, qui eximie meritus est de hoc carmine tot rebus uberrime explanatis.

Videamus nunc carminis rationem. Post prooemium poeta orsus a precatione pro futura salute gentis, praeterita mala infecta reddi monet non posse, at oblitterari succedente meliore fortuna: quod primum Cadmi filiarum sorte probat, quae post magna mala divinos honores habeant. Tamen per vicissitudinem rerum post haec tempora iterum orta sunt mala genti, ex quo Laii caedes et fratrum deplorabile bellum fuit: sed relictus est Thersander, qui praeclare restituit domum. Ab eo nunc Thero originem trahens victoriam Olympicam tulit, ac divitias qui habet cum virtute, ei multae rerum opportunitates contingunt; maxima autem est felicitas post mortem. Transit hinc poeta ad vitam mortuorum, memoratisque malorum poenis, piorum felicitatem persequitur, ut post migrationem animarum praescriptam in Elysium veniant qui ter vixerint integri hic et in Orco. Denique finitis mythicis ad praesentes res redit, laudat Theronis liberalitatem, et reprehendit pessimum ingratorum hominum animum. — Sic expositis singulis restat, ut nexum interiorem horum omnium indicem. Scilicet fundamentum est Cadmidarum et Emmenidarum divinitus constitutum mirabile fatum, aeterna vicissitudine adversarum et secundarum rerum insigne, malis pristinis iterum iterumque recrudescentibus iisdemque semper etiam compensatis laetiore succedente fortuna. Sic Cadmi filiae post graves aerumnas deae factae; sic Oedipi domus quum diras caedes vidisset, per Thersandrum laetius effloruit. Hoc igitur aeternum fatum, per Emmenidas Agrigentum translatum, versatur nunc etiam in Theronis rebus, quibus ad altiorem legem suam revocatis Pindarus pulcherrimum carmen fecit, cuius unitas poetica in hac ipsa fatali ratione et nexu rerum inest. Nam ut primum de malis dicam, quemadmodum olim domesticae dissensiones, caedes, bella in Cadmidarum gente fuerunt, sic nunc Thero fugam filiae cum marito ex Hieronis regno vidit et proditionem propinquorum, cum quibus etiam

bellum intestinum gessit, ut revera recruduisse videas pristinam Thebanae gentis calamitatem. Tractantur haec in priore carminis parte, fabulis cum gentis fato pulcre simul ipsius Theronis aerumnas significantibus, quae tamen in fine carminis etiam apertius indicantur. Sequitur altera pars carminis opposita de **laetis** rebus. Ac primum quidem huc pertinet victoria Olympica nunc ipsum reportata, ut olim iam Thersander certaminum laudem habuit; deinde quae post mortem ostenditur Theroni felicissima sors in Orco et Elysio, ni fallor tum seni aut senectuti propinquo. Etenim non sufficiebat hoc loco victoria Olympica licet per se felicissima; ut mala Cadmidarum redierunt, sic etiam felicitas redire debet eadem singularis. Atqui vivit Cadmus auctor gentis in Elysio, quae summa est dignitas heroica, proxima diis, ne dicam de filiabus Cadmi inter deos adeo receptis; Thero autem regiam dignitatem recuperavit et ex illustrissimis est hominum nunc viventium, compositus in prooemio cum Iove et Hercule: nonne igitur postremo etiam in Elysium venire debebit? Sic ortus est necessario praeclarus locus de vita post mortem, quo absolvitur orbis fatalis harum rerum. Revixit in Emmenidis prisca Cadmidarum gens, Emmenidarum maximus Thero est, in quo etiam summa Cadmi auctoris dignitas et felicitas redibit. Nihil vidi hoc carmine in suo genere praestantius, ex quo disces vim Pindaricae poesios. Ceterum quum duo carmina in eandem victoriam fecerit Pindarus, hoc domi in convivio cantatum videtur, quod vero sequitur tertium Olympium publice in Dioscurio urbis.

E X P L I C A T I O.

V. 1 — 11. **Prooemium, laudem continens Theronis eiusque gentis ornatissimam.** — *ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι*, quid praecipiemus hymni citharae sonandum? Principem enim locum carmen habet et poesis, cui instrumenta musica accommodantur. Quare etiam initium fiebat cantu coryphaei, cf. Boeckh. d. Metr. Pind. p. 258. — Ceterum aliter poeta loquitur Pyth. I init. Porro totam interrogationem praemisit non quod etiamtum nesciret quid caneret, ut quibusdam visum, sed ut

praepararet sententiam sequentem, cf. ad Ol. I init. Nam nuda fuissent verba: *Πίσα μὲν Διός κ. τ. λ.* in fronte posita, nec lucem debitam habuissent, de quo mox iterum dicam. Denique ut nunc Pindarus *θεὸν - ἥρωα - ἄνδρα* dicit, ita Horatius I, 12. inverso ordine collocationis, pro suo uterque consilio. — V. 3. *Πίσα*, h. e. Iuppiter canendus quum patronus sit loci. — *ἀκρόθινα πολέμου*, quum primitias belli contra Augiam gesti diis Olympiae duodecim offerret Hercules atque ita sacrificium Olympicum sollemne institueret, *Ὀλυμπιάδα* proprie dictum. Vid. Ol. XI, 57. seqq., qui locus non differt. Ceterum ad loquutionem *Ὀλυμπιάδα — ἀκρόθινα* cf. Pausan. V, 27. fin. notante Tafelio. — V. 6. *ὄπις* etiam hominum reverentiam erga deos significare, notum esse debebat omnibus vel ex Herodoto VIII, 143. IX, 76., laudato iam Boeckhio in Nott. critt., cf. Passov. Lex. Unde vere Hermannus, sequente Boeckhio, nunc ad hospitum reverentiam id translatum dicit propter deos ultores violati hospitii. Frustra Tafelius pro *ὀπὶ* pugnat, quod manifesto contra metrum est, quum ultimam brevem habeat. Verte: iustum reverentia hospitum, h. qui sancta iura hospitii, amicitiae colit. Non erant tales, ut monet Boeckhius, Capys et Hippocrates et quos alios amicitiae et beneficiorum immemores expertus erat rex iustus et insigniter liberalis, cf. infr. V. 94. — *ἔρεισμ' Ἀκράγαντος*, propugnaculum ut *κίων*, *ἕρκος*, *πύργος*, *ἔρυμα*. Significat autem poeta alteram Theronis virtutem, fortitudinem bellicam. Interfuerat enim Thero nobilissimo ad Himeram proelio, ubi Ol. 75, 1. die Salaminiae pugnae Carthaginienses aliique populi caesi, cf. Herod. VII, 165. Diod. XI, 25. Ac nuperrime, ut supra vidimus, vicerat Capyn et Hippocratem ad Himeram. — *ἄωτον ὀρθόπολιν*, maiorum nobilium, Emmenidarum priorum puta, decus, qui rex factus potentia auxit urbem et magnificis operibus ex praeda Punica, cf. Diod. XI, 25. monente Boeckhio. *ὀρθόπολις* enim, qui urbem claram, conspicuam, florentem facit, cf. Nem. I, 15. *ὀρθῶσαι*. De v. *ἄωτος* adi Buttm. Lexil. II, 15. — Denique considera universum hunc magnificum locum. Bene monet Thierschius meus maximopere laudari Theronem cum Iove et Hercule compositum. Licet enim ipsa nunc Olympica victoria tria haec nomina commode offerat, tamen post maximum deum et

maximum heroem poeta Theronem nominans haud dubie innuit simul hunc hominum esse maxime insignem. Est vero tectior comparatio; quum enim in vulgari comparatione aperte alterutrum ponatur propter alterum, hoc genus compositionis minus invidiosum est, ubi priora membra videntur aliis de causis posita, licet revera nunc Theronis laudi inserviant. Quum igitur deorum et heroum et hominum componere vellet principem, interrogatio praemissa triplex hoc genus annuntians, optime praeparat interiorem intellectum loci, quem ab altera parte conficit subiecta tot laudum magnifica copia. V. 8. seqq.: Qui post multas aerumnas laetiorem fortunam Agrigenti invenerunt. Nolim te fugiat consilium loci. Praemonstratur fatalis ista rerum adversarum et secundarum vicissitudo Cadmidis olim inhaerens, quae inde ad Emmenidas propagata ab his traducitur Agrigentum, infra conspicua futura in Theronis rebus. Sic pulcherrime apud Pindarum omnia praeparantur et nectuntur. Exempla loquutionis πολλὰ καμών s. μογήσας vid. ap. Tafel., quae verba quum saepe etiam significent: inter labores, male hic sic accipias. — οἴκημα ποταμοῦ, recte vertit Geelius: vicina fluvii loca ad habitandum occuparunt, ut est οἰκεῖν Ἀλφεόν Ol. VI, 34. Hic enim iis finis errorum. Ac non ipsius fluvii domicilium intelligendum esse monitum etiam aliis, et nuper Boeckhio. — Porro ἱερόν Boeckhius, ut in Τροίῃ ἱερῇ, de templis deorum intelligit, docte agens de diis Agrigenti; quod verum, si οἴκημα esset Agrigentinorum domicilium, ad quos venerunt Emmenidae. Sin οἴκημα Emmenidarum est, quibus sacra habitatio contigerit in urbe ad fluvium, ἱερόν ad fluvii vicinitatem pertinere videbitur, ut voluit etiam Geelius. Ac permagni sunt dii locorum fluvii. — ὀφθαλμός, lumen, Ol. VI, 16. Cic. d. N. D. III, 38. De voc. cf. Hermann. ad Pyth. V, 17. Boeckh. h. l. et Doering. ad Catull. 31, 2. ibique laudatos. Sensus: Et Siciliae facti sunt lumen, quum ad virtutes nunc etiam fortuna secunda accederet. Igitur ἔφεπέ τε explicativum est pr. quum veniret, ut Ol. V, 8. — αἰὼν μόρσιμος, vita fausta, virtutibus innatis addens (ἄγων-ἐπί) divitias et gloriam rerum gestarum, quae χάρις hic est haud dubie veluti Ol. I, 18. et VIII, 57, 80., Pindaro, ut par est, potiora decora omnia complectente. Ad πλοῦτον cf. Fragm. Encom. 2.

Sic proposita Theronis laude et gentis absolvitur prooemium. Sequitur maior rerum ordo.

V. 12 — 46. De fatali vicissitudine adversarum et secundarum rerum in Cadmidarum gente, et Theronis aerumnis tecte simul significatis. — V. 12. Ἀλλ' ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας seqq. Orditur splendide a precatione pro futura incolumitate nuper in discrimen adducta, ne regno excidant Emmenidae; tum per sententias generales paulatim ad Cadmidas transit. — Eximie Boeckhius meus ad Fragment. p. 615. monet Pindarum bis hoc carmine Rheam cum Saturno nominantem respicere ad cultum deae Olympicum. Religio olim e Creta translata; erat ara Saturni in Cronio, Pausan. VI, 20, 1., erat Idaeum antrum, in quo Iovem recens natum Idaei dactyli custodiverant a Rhea iis creditum, cf. Boeckh. ad Ol. V, 44. Hoeck. Creta p. 339. T. 1. In quo cultu quum principem locum non Saturnus sed Rhea teneret sive antiqua Idaea mater, Pindarus hic eximie non Κρόνου παῖ καὶ Ῥέας dixit sed Κρόνιε παῖ Ῥέας. Eiusdem generis est Fragm. incert. s. ἐλασίβροντε παῖ Ῥέας. — ἀέθλων κορυφάν, Ol. VI, 69, XI, 32. Congesta plura nomina locorum splendorem invocationis augent. — V. 14. σφίσιν-λοιπῷ γένει, Serva iis (in eorum gratiam) paternam regionem futuro generi s. serva regionem futuro generi eorum. Cave enim vertas: „iis, scilicet futuro generi“ quo nihil ieiunius, nihil omnino perversius cogitari potest. Quod pronomen nunc ante, nunc post substantivum ponitur, ea collocatio diversa est pro ratione locorum, sensus non differt. — V. 15. τῶν δὲ πεπραγμένων-τέλος, eventus eorum, quae facta sunt, s. quae facta sunt, ubi semel eventum habuerunt, non possunt infecta reddi. τέλος ἔργων Nem. X, 29. Omnino τέλος, τελευτή, πεῖρας, τέρμα, apud classicos non inania sunt, sed cum virtute orationis ponuntur, ut in rebus iucundis aut tristibus, πολέμου, ὀλέθρου, θανάτου, ἀμηχανίης, νίκης, σωτηρίας, γάμου aliisque in formulis, ubi eventus aut metae notio magnam vim habet. — ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν, sive iure, sive iniuria illata, h. e. quocunque modo facta. Quum enim multifariam per duo opposita exprimatur totum, veteres simul rei praesenti orationem accommodant, ut hoc loco quum

Thero παρὰ δίκαν passus esset mala, additum est δίκᾳ ad absolvendam totius notionem. Sic Ol. III fin. τὸ πόρσω δ' ἐστὶ σόφοις ἄβατον κἀσόφοις, pr. nemini omnino patens: quum Thero σόφος esset, ita additum oppositum ἀσόφοις. Hoc loco addenda praeterea loquutio καὶ δικαίως κἀδίκως Aristoph. Plut. 233., ubi vid. Bergl., et e Latinis: iusta, iniusta, prorsus omnia. Terent. Adelph. V, 9, 33. — χρόνος non est deus hic, licet πατὴρ πάντων dicatur cf. v. 32. Exspectaverit autem alius praedicatum quale ὁ πανδαμάτωρ, sed frustra. Tempus, ait, gignit omnia, sed non potest delere omnia. Cet. vid. Schaef. ad Long. p. 356. Similes autem sententias habes ap. Mitscherl. ad Horat. III, 29, 46. et alibi. De vi temporis in sanandis malis adi Wyttenb. ad Plutarch. Consolat. ad Apollon. p. 102. B. — V. 19. ἐσλῶν additum ad augendam vim vocis χαρμάτων. Sunt prospera, praeclara. Ceterum noli somniari deos hic esse χάρματα et πῆμα, quasi Anacreon canens εὕδουσιν αἱ μέριμναι de personis cogitaverit. Innumerae sunt tales metaphorae, quibus multi perperam personificationem inesse statuunt. — παλίγκοτον, proprie recrudescens, cf. Foës. Oeconom. Hippocrat. v. παλίγκοτος et Schweigh. ad Herod. IV, 156. Vulgo hic accipitur pr. asper, infestus, sed tu ne dubita illud praeferre. Licet enim generaliter loquatur, tamen more suo orationem accommodat rei praesenti, respiciens haud dubie peculiarem sortem gentis, calamitates priscas dissensionum et bellorum domesticorum iterum iterumque recrudescentes. — V. 22. πέμπῃ ἀνεκάς. Meo iudicio bona et apta erit haec loquutio, si a lancibus librae eam ductam statuerimus *). Verto: quum Parca pro infortunio vicissim sursum mittit, surgere facit felicitatem magnam. Nihil accommodatius hac metaphora varianti gentis fortunae. Boeckhius explicat: mittit sublime erigens, ut quum quid gignitur, id sursum erigitur. Loquutio durior et rei praesenti minus apta. — ἕπεται, convenit, Pausan. VIII, 12, 4. Add.

---

*) [At in tali comparatione de trutina ducta ὄλβος ἀνεκὰς πεμφθεὶς fuerit levior, infortunium autem gravius et praeponderans. Fortasse igitur rotae imago observabatur lyrico. F. I.]

Ast. ad Plat. d. Legg. p. 381. — *Κάδμοιο κοῦραι* erant Semele, Ino, Autonoe, Agaue, quae quum omnes domesticis malis implicitae fuerint, poeta eas hic nominat, quae etiam ad felicitatem illustrem venerunt. Atque Ino in mare desiluit et dea marina facta, quum maritum furentem fugeret Athamantem; Semele in coelum recepta, quum amatoris Iovis, cuius filium ferebat, fulmine periisset. *εὐθρόνοις*, divinis, licet in ceteris locis apud Pindarum de deabus sit, Pyth. IX, 60. Nem. III, 83. Isthm. II, 7., noli tamen solis deabus proprium credere; neque enim profecto differt *χρυσόθρονος*, quod heroinae tribuitur Pyth. IV, 260. — V. 26. Semele inter deos Olympios est etiam Pyth. XI, 1. add. Iacobs. ad Philostr. p. 292. In beatorum insulis cum Alcmena collocatur Anthol. Palat. T. II, p. 776. V. 59 Duxit eam in coelum Bacchus, secundum Nonnum Iuppiter. cf. Iacobs. ad Anthol. Lips. T. IX, p. 402. et Tafel ad h. l. — *φιλεῖ Παλλάς*, quae Iovi proxime assidet ad dextram et dignitate proxima est, cf. Spanh. ad Callimach. in Apoll. v. 29. Ceterum cf. Isthm. III, 77. de Hercule in coelum recepto, *τετίμαται πρὸς ἀθανάτων φίλος*. — *κισσοφόρος*, Aristoph. Thesmoph. 997. De hedera Dionysiaca cf. Voss. ad Virg. Eclogg. p. 120. — *λέγοντι*, Hom. Odyss. V, 333. — *ἐν καί*, de transpositione vid. Boeckh. Nott. critt. ad. Ol. VI, 53. VII, 25. — Inus fabulam exposuit Müller Histor. Orchom. p. 168. seqq. — *βίον ἄφθιτον-τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον*, cumulate, ut immortalitatis notionem amplificaret. Vide alia ap. Meineke ad Menandr. p. 182. et Tafel. ad h. l. — V. 30. seqq. Iam ad aliam transit fabulae Thebanae partem, quam iterum praeparat sententiis generalibus. Enimvero, ait, denuo mala venerunt genti per humanarum rerum imbecillitatem. — *οὐ κέκριται*, non certum est, non constat indubitate. Theogn. v. 381. *οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν, οὐδ᾽ ὁδὸς ἥν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι.* — *πεῖρας θανάτου*, meta mortis, cf. ad v. 17. Exempla multa habet Tafel. De morte loquitur, quippe statim caedes commemoraturus. — V. 32. *οὐδ᾽ ἁσύχιμον* seqq. Hermannus ad Vig. p. 918. bene vertere videtur: Nec quando tranquillum diem nullo turbatum malo simus transacturi. *εἴποτε* non desiderandum

videtur. Nempe talia universe dicuntur de hominibus, non de miserrima fortuna eorum, qui perpetua corporis imbecillitate laborant aut in ultima rerum inopia aliave profunda miseria versantur. Hos recte dicas nescire, an unquam diem habituri sint nullo malo turbatum. Sed plerique tamen homines et vident dies totos tranquillos nec dubitant se visuros: at illud praenosse nemini datum, num hodiernus an crastinus an tertius talis futurus sit, ignorant igitur quando talem diem habituri sint. Ceterum *ἀσύχιμον* et *ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ*, cumulate cum vi. — *τελευτάσομεν*, vides clare hinc non esse personam diem, et tamen addidit *παῖδ' Ἀλίου*, ut Nem. IV, 3, *ἀοιδαὶ* sunt *Μοισᾶν θύγατρες*, nec tamen personae. Add. Ol. X, 3. et XIII, 10. Pyth. V, 26. Nem. IX, 52. — *ῥοαὶ δ'* seqq. sensus: Sed veniunt alias alii rerum eventus, laeti et tristes. Sunt *ῥοαὶ* eventus, cursus rerum, Nem. XI, 46. Add. Mitscherl. ad Horat. III, 29, 33. Wyttenb. ad Plutarch. d. S. N. V. p. 14. ibique laudatos. Tum Wessel. ad Diod. XX, 33. Blomfld. ad Aesch. Pers. 607. — V. 35. *Οὕτω δὲ Μοῖρ'* seqq. Verto: „Sic Parca, quae avitam Emmenidarum tenet et moderatur laetam sortem, cum divinitus missa felicitate aliquam etiam noxam iis adducit avitam alio tempore, ex quo parricidium Oedipus admisit, quod fratrum mutua caedes sequuta est.“ *τῶνδε*, usu Pindarico sunt ad quos carmen pertinet, nunc Emmenidae. *θεόρτῳ*, de voc. Blomfld. ad Aesch. Prometh. v. 790. Est hic pr. magna, eximia felicitate, ut *θεοπομποὶ τιμαὶ* Pyth. IV, 69. *θεόςδοτος δύναμις* Pyth. V, 12. — *παλιντράπελον* est rediens, recurrens, prima et simplicissima significatione. Intelligit enim procul dubio prisca domestica dissidia iterum iterumque redeuntia, *πῆμα παλίγκοτον*, nuperrime demum visum in Theronis rebus. — Denique attende ad praeclaram tractationem loci. Primum praeparat rem per sententias generales de morte et humanarum rerum inconstantia; tum ne sic quidem effatur triste verbum, sed praemittit iucundiora haec: *ἅτε πατρώϊον — ὄλβῳ*, postremo de malo ipso dicit lenissime, *ἐπί τι καὶ πῆμ' ἄγει*. — *μόριμος υἱός*, Oedipus. — *ἐν δὲ Πυθῶνι*, datum ab Apolline oraculum, cf. Argument. Oed. R. et Eurip. Phoeniss. — V. 41. *ὀξεῖα*, acriter videns, specu-

latrix, vere monet Boeckh. cf. ὀξὺς ἰδὼν Anthol. Gr. Epigr. Delect. p. 398. ibique F. Iacobs. Eundem vid. de Furiis speculatricibus facinorum in Animadv. ad Eurip. p. 200. — ἐριπέντι, vid. Boeckh. d. Crisi Pindar. p. 113. et Buttm. Gr. ampl. T. II, p. 131. — Thersander Polynicis filius ex Argia Adrasti filia. Sensus autem loci hic: Verum denuo laetior fortuna effulsit. Relictus est Thersander, ludicris certaminibus bellisque clarus, intereunti domo sospitator. — νέοις, iuvenilibus (Eurip. Med. 48.) certaminibus in ludis deorum. Nam exercitationes pueriles alienae. μάχαις πολέμου refer ad Epigonorum bellum aliaque, maxime Troicum, ubi a Telepho occisus est, cf. Boeckh., qui optime addit utramque laudem etiam propterea memorari, quia simul Theroni conveniebat. Adrastidarum domus est stirps quae ab Adrastide Argia et Polynice nata erat, Thersander cum fratribus. Huic familiae Thersander auxiliator exstitit dunc illustrans et propagans eam, nam hoc est, credo, θάλος ἀρωγὸν δόμοις. Deleta Oedipi domo successit nova clara stirps, unde Emmenidae descendebant. Boeckhius cum Scholiis θάλος ἀρωγὸν de eo intelligit, quod Epigonorum bello Thersander ultus sit paternam iniuriam. Sed de bellis per se iam dictum verbis μάχαις πολέμου. Et postulat nexus rerum supra expositus, ut post interitum fratrum de novo flore gentis dicatur. Ceterum θάλος Ol. VI, 68. cf. Valcken. Phoeniss. v. 88. — Post haec de tota priore parte carminis nonnulla addenda. Vidimus bis domestica mala, primum in Cadmi, deinde in Oedipi familia; et vidimus eadem bis compensata laeta succedente fortuna. Quare satis explicata est lex fati, quem in finem unum exemplum non suffecisset. Neque tamen dubitari potest his duobus exemplis simul Theronis aerumnas tangi, quod acute perspexit Boeckhius, ac notavimus iam in prooemio idem fatum Emmenidis inhaerens ab his Agrigentum traductum. Igitur secundus locus de fratrum deplorabili bello tangit nuperrimum bellum Theronis et propinquorum, clarissime monstrantibus verbis: Parca, quae laetam Emmenidarum fortunam moderatur, etiam noxam iis adducit, ex quo fraternum bellum Oedipi filiorum fuit. Eadem res in fine carminis significatur paullo directius, ut solet Pindarus facere etiam alias. Prior autem locus de infortunio Cadmi filiarum simul ad

Damaretae filiae casum recentem alludere videtur, quae fugerat Hieronem affinem cum marito, quanquam haec res infra non declaratur apertius, quippe lenissime tangenda. Sunt quibus hae interpretationes improbabiles videantur; sed hi πῆμα παλίγκοτον gentis non intellexisse videntur per dimidium carmen tractatum. Nam quum poeta id ipsum agat, ut domestica mala et dissidia iterum iterumque recurrere huic genti ostendat, manifesto tales fabulas eligere debuit, quae etiam praesentibus rebus convenirent. Denique Theronis aerumnas simul inesse his fabulis certissime liquet etiam ex eo, quod in sequentibus poeta ad felicitatem Theronis transit, h. e. ad alteram partem fati.

V. 46 — 83. De felicitate Theronis hic et post mortem. Locus satis praeparatus antecedentibus quum universa explicatione fati, tum verbis: Μοῖρ᾽, ἅτε πατρώϊον τῶνδ᾽ ἔχει τὸν εὔφρονα πότμον, unde vides ipsam avitam felicitatem adhuc vigere. — V. 46. σπέρματος ῥίζαν, unde generis originem Emmenidae habent. πρέπει seqq. Recte Boeckhius tueri videtur asyndeton. Apodosis haec est antecedentium verborum, in qua structura Pindarus interdum omittit cum vi particulas copulantes, cf. Excurs. de Asyndeto. Verus igitur nexus hic: Polynicis filius fuit Thersander ludicris bellicisque certaminibus clarus; unde quum descendant Emmenidae, agite canamus Theronem eadem laude conspicuum. — V. 49. γέρας, coronam, dicit enim: Olympiae ipse coronam accepit, Delphis autem et in Isthmo Gratiae coronas curules detulerunt in fratrem. De victoriis Xenocratis Delphis et in Isthmo, quibus dedicata carmina Pyth. VI. et Isthm. II., accurate exposuit Boeckhius h. l. — ὁμόκλαρος, aequam hereditatis sortem habens, aeque dives ut frater germanus, notante Tafelio. Boeckhius: eiusdem sortis et fortunae particeps ob victorias. — Χάριτες, quae victorias ludicras praebent, cf. Ol. VI, 76. Nem. V, fin. X, 38. Κοιναὶ utrique fratri faventes, veluti iudex κοινὸς et ἴσος est, qui duobus litigantibus parem se exhibet. Heind. ad Plat. Protag. p. 559. — ἄνθεα τεθρίππων coronas a quadrigis reportatas, curules. Sunt quidem etiam quadrigae floribus ornatae cf. Ol. VI, 44. Schol., sed hic de hominum coronis loquitur. ἄνθεα ut Ol. VII, 80. — δυωδεκαδρόμων, quum ἅρματα τέλεια duodecies circa

metam currerent, Ol. III, 38. VI, 75 Pyth. V, 31. Memorantur autem Xenocratis victoriae ad hunc locum amplificandum. Omnino Xenocrates iisdem fere, quibus Thero, virtutibus conspicuus, cf. Pyth. VI. Isthm. II., nisi quod bellicam laudem an habuerit non reperio. — V. 51. τυχεῖν, successu uti, victorias reportare, ut Nem. VII, 11. ἀγωνία pr. ἀγών, Nem. VII, 10., et πειρᾶσθαι ἀέθλων Nem. XI, 23. Nem. I, 43. Vincere certantem in ludis aerumnis liberat, quales Thero familia experti. λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ᾽ ἄν, quae sententia hic pulcre redit; nam regnat per totum carmen. Convenit gravior vox δύςφρονα, quam male de curis certaminis accipias. — V. 53. πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος, opulentia virtutibus ornata, quales in Therone quidem et Xenocrate fuerunt iustitia, liberalitas, gloriae nobile studium. Loquutio similis Pyth. V. init. — φέρει τῶν τε καὶ τῶν καιρόν, affert haec et illa s. varia commoda, veluti coronas ludicras et encomia cantica, denique quae in sequentibus memorantur futurae vitae gaudia. τὰ καὶ τά Pyth. V, 55. καιρόν, opportunitatem, Pyth. I, 77. — V. 54. βαθεῖαν ὑπέχων seqq., magnum et acre subiiciens menti studium rerum laudabilium. βαθεῖαν, ut βαθεῖα φροντίς Aesch. Suppl. 419. et profunda cupido imperii et divitiarum Sallust. Fragm. Hist. IV, 2. — μέριμναν, de voce vid. ad Ol. I, 108., ut de quo statim cogites, quod in certamina opes erogabant. ἀγροτέρα proprie venatrix, ut Ἄρτεμις ἀγροτέρα, nunc de aeri studio et consectatione, ut θηρεύειν, θηρᾶσθαι, διώκειν, μεθέπειν, μετέρχεσθαι. — V. 55. ἀρίζηλος, h. e. ἀρίδηλος, conspicuus, cf. Buttm. Lexil. T. I., p. 254. — — V. 56. seqq. succedit locus nobilissimus de poenis et praemiis post mortem, de cuius consilio uberius expositum in Introductione. Boeckhius praeterea etiam Gelonem mortuum hic laudari censet Damaretae causa, quem ego alienum esse crediderim. Fatum, quod hoc carmine tractatur, Emmenidarum est a Cadmidis susceptum, non Syracusanorum principum; Thero eiusque domus aerumnas tulit, de huius igitur nunc felicitate agitur. Illud autem Boeckhius verissime notat, loco de impiis Capyn Hippocratemque a poeta tangi et qui horum proditioni impliciti fuerant; Hieronem quominus addam, etiam illud obstat, quod hic cum Therone

tum iam in gratiam rediisse videtur, ipso Boeckhio iudice. — V. 56. *εἰ δέ μιν ἔχων τις,* Boeckhius *εὖ γε* substituens ita explicat: Divitias virtuti coniunctas rem optimam esse, siquidem qui eas teneat futurorum non sit immemor, quae post mortem homines maneant. In quo primum displicet, quod nunc superflua videntur verba *μιν ἔχων*, dicendum enim erat simpliciter *εὖ γέ τις οἶδεν.* Deinde totus locus, si modo recte intelligo amicum meum, ieiunius annexus videtur. Nam particulae *εὖ γε* omnino duo significant: saltem si et quum. Quare ego defenderim vulgatum. Etenim *εἰ* cum participio poni, omisso *ἐστί*, certum, cf. Soph. Ai. 884. Eurip. Electr. 533. et *εὖτ' ἂν δοκῶν* Aesch. Agam. 431. Ac mihi quidem hoc non temere fieri videtur aut sola metri necessitate; aptum vero habeo maxime ibi, ubi paullo magis acuenda est aliqua sententia. Similem usum etiam absoluti participiorum casus saepe habent, qnam rem alio tempore explicabo uberius. Nunc vid. ad Pyth. VIII, 85. Simili cum vi alias omittitur verbum, ut Pyth. XII, 28. *εἰ δέ τις ὄλβον ἐν ἀνθρώποισιν, ἄνευ καμάτου οὐ φαίνεται.* Hoc autem loco post illa: *ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἐτήτυμον ἀνδρὶ φέγγος*, in re rara et quam pauci consequuntur, verba: Si quis vero habet, vides necessario acuenda esse paullo fortius; significant enim: Si quis autem tam felix, ut habeat. — Porro *οἶδεν τὸ μέλλον* seqq. Haec verba vulgo ita intelliguntur: Pius non obliviscitur, reputat poenas impiis constitutas et sic a superbia et scelere abstinet. Sed hoc incommodum, atque orta est inde obscuritas loci, de qua queruntur. Nam qui divitias habeat virtute ornatas, eum cogitare de futuris poenis et praemiis, hoc sic non bene dictum videtur, displicuitque plerisque omnibus. Quod vero maximum, plane non agitur hoc loco de deterrendis animis a rebus impiis aut de incitatione ad virtutem, sed consolationis causa proponitur lex fatalis. Per totum enim carmen vidimus, ut calamitates graves in hac gente eximia felicitatis solamina sequuta sint; dehortationes, cohortationes alienae sunt a ratione argumenti. Nec Thero opus habet, ut deterreatur a scelere. Omnes difficultates tollere videtur nostra explicatio: Si quis autem haec habet, novit, certo sperare potest post mortem praeclaram sibi sortem paratam. Qui enim divitias habet virtute ornatas, h. e. qui divitiis praeclare utitur,

non ad bella iniusta, sed ad liberalitatem et hospitalitatem, ad coronas ludicras consequendas, ad urbem ornandam ex praeda, et quae sunt aliae Theronis laudes, eum post mortem quoque manent optima quaeque, quemadmodum vivum Graeci talem virum inprimis admirabantur, non illi vulgo pauperis virtutis amatores, quae opibus destituta nihil huiusmodi suscipere posset. Callimach. in Iov. 95. *οὔτ᾽ ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν, οὔτ᾽ ἀρετὴ ἀφένοιο.* Iam quod posui Pindarus tibi dicet planissime, ubi tenueris non finiri universae sententiae ambitum v. 60., sed hanc priorem tantummodo esse partem, potiorem, alteram de praemiis bonorum. Hoc vult: Qui divitiis praeclare utitur, novit impiis quum poena parata sit gravissima, piis contra praeclara gaudia futura. Logica igitur ratio membrorum haec est: *οἶδεν*, *ὅτι ἀπάλαμνοι μὲν φρένες αὐτίκα ποινὰς ἔτισαν*, *ἴσον δὲ νύκτεσσιν αἰεὶ — ἔχοντες ἀπονέστερον ἐσλοὶ δεδόρκαντι βίον*, particula *ὅτι* ad utrumque membrum pertinente; ac dixisset fortasse etiam ita Pindarus, si commata duo brevia fuissent; nunc autem longiore periodo, secunda pars sententiae licet logice revera pendens ab *ὅτι*, per se posita est, ne molestius una particula tot verba regerentur et nervosior oratio maneret, quemadmodum saepe fit, nec uno modo, in poesi et prosa oratione. Veluti apud Ciceronem d. Offic. I, 3, 8. Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant; medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit. Apud Pindarum alia mutatae constructionis exempla Ol. XIII, 55. Pyth. IV, 268. Confer praeterea Lachmann. ad Propert. I, 2, 9. seqq. Locus autem de impiis nunc ad consolationem Theronis pertinet, hostium poenis propositis; tum obscurum non est hac oppositione simul eximie illustrari descriptionem beatae vitae. Iam vide singula. V. 57. *θανόντων μέν*, dum enim vivunt hic, saepe non satis puniuntur mali. *ἐνθάδε* iunge cum *θανόντων*, quod simplicissimum pr. simulac mortui sunt hic, s. decedunt hinc. Cum *ἀπάλαμνοι* si iunxeris, causam ego huius nunc collocationis desidero idoneam, ac vide, ne idem sit *τὰ δ᾽ ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ.* — *τίς*, eximie ad horrorem incutiendum, cf. Aesch. Eumenid. 330. — *ἐχθρᾷ ἀνάγκᾳ*, infesta necessitate, ut de flectendo iudice cogitari

nequeat. — V. 61. ἴσον — ἴσα, pariter, noctu aeque ac interdiu. Est autem omnino alius hic sol quam noster. Pind. Fragm. Thren. I. Aeschin. Axioch. c. 20. Aristoph. Ran. 155. Virg. Aen. VI, 641. Valer. Flacc. I, 844. — ἀπονέστερον, minus molestum quam mali, h. e. multo meliorem. — ἐν χερὸς ἀκμᾷ, vi manuum, cf. ad Ol. I, 48. ταράσσοντες, arando, fodiendo, ὕδωρ, piscando, navigando. Vacatione agriculturae et navigationis designatur vita facilis apud poetas; veluti laudante Karstenio de iustis ait Hesiod. Ἐργ. 234. θάλλουσιν δ᾽ ἀγαθοῖσι διαμπερές, οὐδ᾽ ἐπὶ νηῶν νίσσονται, καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα; et in aureae aetatis descriptionibus nec mare tentatum nec rustici labores dicuntur fuisse, ut ap. Tibull. I, 3, 35. seqq. Ceterum ad ταράσσοντες Karsten. confert Aristoph. Eqq. 429., sensu tamen diversum locum. — [Orac. Sibyll. p. 28. ποικίλα τε πτηνῶν — ξουθά, λιγυπτερόφωνα, ταράσσοντ᾽ ἀέρα ταρσοῖς. F. I.] — παρὰ, propter tenuem victum, cf. Matth. Gr. 1175. Vig. p. 645. — V. 65. Noli τιμίους θεῶν intelligere Plutonem et Proserpinam cum Scholiasta et Tafelio, quasi hos venerabundus ut deos inferos sic nominet, sine exemplo. Quidni sint Aeacus et Minos? Nam maiores eos esse ceteris eo venientibus, etiam παρὰ indicare videtur, quod non est σύν. Pindarus Homerica carmina sequitur, quae Rhadamanthum in Elysio ponunt, Minoem in Orco. — εὐορκίαις, probitate, pietate. cf. Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. v. 61. — ἀπροσόρατον, horrendum adspectu. Eximie augetur hac oppositione vis loci. Sic absolvitur prior pars descriptionis. — V. 68. seqq. Sequitur locus de migratione animarum. Non fuit antiquitus haec doctrina apud Graecos neque reperitur in antiquissimis fabulis et poetis; sed ab exteris credo acceptam mox suo ingenio exornatam intulerunt in poesin et philosophiam. Ac post Pherecydem Pythagoreis, tum aliis philosophis placuit, nec dubium videtur etiam Orphicorum sectam religiosam et philosophicam hoc dogma versibus epicis celebrasse. Ab his autem Pindarus accepit. Hic enim tractat rem plane ut alias antiquas fabulas, nec pro novitio philosophorum placito habuisse videtur, sed pro vero et certo mytho; in quam ille opinionem adduci potuit Orphicorum carminibus, quorum dogmata pro antiquis habebantur propter Orphei nomen. — V. 68. ἐςτρίς,

Herm. Vig. p. 857. ἐτόλμασαν, sustinuerunt. ἑκατέρωθι ter in terra, ter in Orco. Numerus ternarius prae aliis in hac re placuisse videtur; Pindarus eum e versibus Orphicorum haurire potuit; idem, notante etiam Boeckhio, apud Platonem habetur, Phaedr. p. 249, a., unde coniicias etiam Pythagoreis eum probatum. Sed annorum numerus vario modo definitur; cf. Heyn. ad Virg. Aen. VI, 748. Platoni post mille annos in terram animae redeunt, Pindaro in Threnis post ἐννεατηρίδα. Denique migratione ter repetita apud philosophos animae purgatae in stellas et planetas abeunt ibique manent; Pindarus mythicae dictioni convenientius beatorum insulas ponit, primum credo in Orphica poesi pro termino migrationis animarum adhibitas; vix enim ab aliis poetis haec doctrina esse potuit. — ἔτειλαν, peragunt. Passov. Lex. add. Karsten. ad h. l. — Διὸς ὁδός, vix excogitata ab aliis, mihi quidem haud obscure Orphicam poesin sapere videtur. Ut enim apud philosophos post migrationem animae diis propiores vivunt qui ad eos commeant, sic Orphici simile deorum commercium cum piis in Elysio finxisse videntur, quo pertinet, opinor, Διὸς ὁδός. Ac Iovem huc commeare notavit iam Boeckhius. Cogitanda autem videtur via ab occidentali terrae ora per Oceanum ducens in Elysium; directum descensum e coelo Quintus memorat XIV, 225. laudatus Tafelio. Ceterum ex Orphicorum carminibus non male coniicias etiam solem infernum petitum, quem supra vidimus, siquidem Orphicorum priscorum ingeniosae religioni deberi videtur pulcrior rerum infernarum adumbratio. Κρόνου τύρσιν, regiam Saturni, qualem etiam Pluto habet. Est enim, notante Boeckhio, urbs beatorum, in qua regia dei, sita ea in una insularum, circumiacentibus ceteris. Huc tendunt iudicium subituri. Saturnum, sub quo olim aurea aetas fuerat, his locis praeesse constat ex Hesiodo Op. et D. 170. Vide praeterea laudata Boeckhio. Cave igitur hoc loco Saturni regiam ab insulis beatorum seiungas. — V. 72. ἄνθεμα χρυσοῦ, Pind. Pyth I, 6. Matth. Gr. p. 623. — φλέγει, ardent, Virg. Aen. IV, 262. — τὰ μὲν — ἄλλα, Herm. Vig. p. 701. — Sed quo consilio de aureis floribus arboreis et aquaticis dicit et de coronis inde capiti manibusque nexis? Num mollem nobis vitam describit heroum praestantissimorum? Pindarum qui intelligere vult, ubique

ad carminum rationem attendat: nihil enim etiam in huiusmodi rebus ab eo sine causa dicitur. Igitur hunc de Elysio locum propter Theronem positum supra vidimus, qui post aerumnas graves ad alteram partem fati accedit laetam. Ac primum quidem nunc *ἄνθεα τεθρίππων* Olympica consequutus est: olim vero, ait poeta, cum nobilissimis heroibus in Elysio summas coronas habebit ex aureis floribus nexas. Haec est vera sententia loci, Pindaro, ducto colore ut solet a praesenti victoria, cum Olympica corona Elysii coronas pulcherrima gradatione coniungente omnemque Theronis felicitatem ad unam notionem revocante. Aureos igitur flores pro summo coronarum genere dixit, qui improprie vel olivam et laurum aureas appellaverit (Ol. VIII, init. X, 13. Pyth. X, 40.) ut ludicrarum omnium principes*). Ac quum domus regia coronas haberet ex arborum frondibus Olympicam Pythiamque et ex apio, palustri, opinor, Isthmiacam, suavi allusione nunc in Elysio arboreos maxime et aquaticos flores laudat, quae simul exquisitiora genera sunt. Denique ut etiam de manuum coronis dicam, quae mirae videri possunt, Karsten. *χέρας* interpretatur brachia. Sane passim *χείρ* complectitur brachium ad humerum usque, cf. Schaefer. ad Longum, p. 331. Sed quid lucramur inde? Ego ita dico: ludicri victores, quum plures coronas reportassent, videntur in pompis et comissationibus unam in capite, ceteras manibus s. infimo brachio circumdatas gestasse, cf. ad Isthm. I, 66: ad quam similitudinem nunc Pindarus Elysii heroes quasi praeclaros certatores, qui omnes *ἄθλους* cum laude peregerint, caput manusque coronis ornare dicit de sententia Rhadamanthi. Regnum tenens Saturnus etiam iudicium exercet more regum, assessore tamen Rhadamantho, de quo vid. locos ap. Boeckhium; hic igitur quasi summus heroum *Ἑλλανοδίκας*. — V. 77. De Rhea cf. ad

---

*) [Insularum, in quibus beati habitant, ornatum ductum putabam equidem ab ornatu domorum regiarum, quae pretiosis metallis resplendere solebant, hoc discrimine, ut, quae ibi ars effecerat, ea hic divinae cuiusdam naturae essent munera. Praeclaris his floribus hunc honorem beati habent, ut in splendidis quibus utuntur conviviis caput iis ornent; quod non ad mollitiem aliquam retulerim, sed ad festam talium epularum sollemnitatem. F. I.]

v. 12. Summum thronum habet ut mater deorum — Cadmus θεόφρων in Elysium translatus cum Harmonia, cf. Eurip. Bacch. 1337. Apollodor. III, 5, 4. Schol. Pind. Pyth. III, 153. Peleus, de quo cf. Arg. Eurip. Androm., in Elysio est ob insignem pietatem et iustitiam, cf. Nem. V. Isthm. VII. notante Boeckhio. — ἀλέγονται, numerantur, ut Antholog. Palat. T. II. Append. p. 772. laudante Tafelio. Achillem ibi esse memorat Scolium notissimum Athen. XV, 695, a. Cf. Plat. Sympos. p. 179, e. 180, b. ibique Astius. Add. Apollon. Rhod. IV, 811. De alia sede Achillis vid. ad Nem. IV, 49. Ceterum vulgo Mercurius defunctos ducebat in Elysium, cf. Boeckh., non Iuppiter, ut Tafelio visum; praeterea tamen etiam alii dii amatos homines ipsi ducunt, ut Venus ducet Tibullum Eleg. I, 3, 57. Sic Achillem Thetis. Etenim in Elysium Achilles receptus propter fortitudinem insignem; sed idem quum esset iracundior, legitime autem ii tantum admittantur ὅσοι ἐτόλμασαν ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν, pulcre addit exoratum a matre Iovem. Peculiaris enim alia huius rei causa si fuisset, indicanda erat; nunc illud intelligi voluit, quod sponte se offert Achillis ingenium considerantibus. — V. 81. Τρῶας cf. Boeckh. d. Crisi Pindar. p. 54. — Κύκνον, Neptuni filium, Ovid. Met. XII, 51. seqq. — θανάτῳ πόρεν, frequens loquutio διδόναι φόνῳ, μόρῳ, ὀλέθρῳ, al. — Memnon, Aurorae filius, notissimus. Denique cur hos nunc heroes poeta nominat? Cadmus commemoratur ut auctor gentis, verissime notante Boeckhio, quae res quam vim habeat supra in Introductione docui: redibit in Therone etiam felicitas summa avita, ut mala pristina redierunt. Redibit, inquam, quum etiam virtutibus conspicuus sit heroicis. Celebratae autem in prooemio duae maxime Theronis virtutes, iustitia colens sancta iura hospitii nec laedens impie hospitem, et fortitudo bellica; ecce has ipsas hic proponit. Achilles enim fortitudine clarus, Peleus maxime pius et iustus quantopere etiam hospitii iura coleret, ξεινίου πατρὸς χόλον δείσας, luculenter probavit alia in re in domo Acasti, cf. Nem. V. Notat etiam Boeckhius. Sic pulcherrime Pindarus significat iisdem etiam Theronem virtutibus aliquando in Elysium venturum. Habes universam Elysii adumbrationem, Pindaro et hoc carmine dignissimam! Ceterum non nego Emmenidas fortasse

etiam alias allusiones in his descriptionibus quaesivisse, quem in finem etiam Boeckhius plura alia hic proponit; sed interpres, credo, in iis continere se debet, quae lex carminis distincte offert.

V. 83 — ad finem. Revocat se poeta ab his fabulis et splendido exitu carmen absolvit. Verus nexus hic: Abrumpo, quia nolo pergere (dixit enim quae volebat), non inopia rerum coactus. Multa sunt mihi intus in pharetra nondum deprompta tela egregia, qualia non habent deteriores quidam poetae. Age ostendamus copiam nostram nondum exhaustam. Dirige arcum; quem feriemus? Sit Agrigentum scopus, et dicam statim praeclaram laudem de hac urbe, seqq. Sic intelligitur vividior huius loci oratio. — βέλη, cf. Ol. I, fin. — ὑπ᾽ ἀγκῶνος — ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας, h. e. nondum deprompta. De plurali ἐντὶ cf. Ol. XI, 85. Pyth. I, 13. Add. Iacobs. Delect. Epigramatt. Gr. p. 75. — V. 85. φωνᾶντα, h. e. quae sonant tanquam voces et, ut ita dicam, loquuntur intelligentibus; in vulgus muta sunt, sensu per interpretes aperiendo. Cet. cf. Iacobs. ad Anthol. Gr. T. VII, p. 364. — ἐς τοπάν, vulgo, cf. Boeckh. d. Crisi Pindar. p. 86. εἰς τὸ πᾶν pr. omnino est loquutio frequens apud Aeschylum, cf. Blomfld. ad Choephor. 672. — V. 86. φυᾷ, cf. Ol. IX, 107. N. III, 68. — λάβροι παγγλωσσίᾳ, inepta garrulitate loquaces; nota sunt λάβρος, λαβραγόρης, λαβρεύεσθαι. — V. 87. ἄκραντα γαρύετον, inania, ut Aesch. Choephor. 874. ἄκραντα βάζω. Vid. plura ap. Tafel. Porro significationem certandi in verbo γηρύειν πρός τινα et γηρύειν τινί optime illustravit Wunderlich. Observatt. critt. in Aeschyl. p. 167. Verte: Qui autem didicerunt inepte loquaces ut corvi inutili clamore certant adversus Iovis aquilam, nec assequutur eam, nedum saperent quicquid canant? In quo superbiam dicti quod attinet, tenendum eam minui ipsa metaphora, plane ut Nem. III, 80. V, 21. — Φορτικὸν diceres poetam, si sic loquutus esset: Ego enim sum egregius poeta. Deinde vides iratum esse Pindarum. Quibusnam? Ante omnia certum dixerim duos esse; dualem indistincte pr. plurali positum ante Alexandrinorum tempora non credo, et errare mihi videtur Buttm. Gr. Gr. ampl. T. I, p. 348. contrarium docens. Hom. Il. VIII, 185.

sunt duo paria equorum, et Odyss. VIII, 48. Hymn. Apoll. 456. 501. duo ordines remigum in dextro et sinistro navis latere sedentes. Plato Theaetet. p. 152, e. loquitur de duobus generibus hominum, poetis et philosophis, in doctrina de mutatione rerum perpetua consentientibus. De Aesch. Eumenid. 250 dixit Wellauer. Mihi tamen Mülleri mei sententia placet hemichoria ibi intelligentis. — Quum igitur duo sint, probabiliter cum Scholiastis Simonidem et Bacchylidem intelligunt. Ac bene monet Neue Fragm. Bacchyl. p. 5. eruditione maxime polluisse Simonidem, huius autem imitatorem et discipulum fuisse Bacchylidem. Sed cur nunc eos carpit Pindarus, quod noli sine causa factum credere. Simonides, qui missus ab Hierone ad Theronem hos reges conciliaverat initio huius anni, vivebat apud Hieronem ac pulcre coniicit Boeckhius eum tum Theroni suspectum fuisse. Sed videtur etiam Bacchylides Syracusis fuisse, cf. Schol. Pyth. II, 131. Iam quum Thero, licet hi poetae in Sicilia essent, tamen a Pindaro Thebis versante carmen epinicium expetiisset, qui et ipse, ut videtur, iratus iis erat ob res antea gestas, quid mirum, si videt eos, quod poesis eorum cum sua certare non possit? Ac pertinet ad hanc irrisionem totius loci vividior oratio, qualem supra explicui. — V. 89. βάλλομεν indicativus est, cf. Iacobs. Delect. Epigramatt. p. 228. Stallbaum ad Plat. Sympos. p. 30. — V. 90. μαλθακᾶς, e benevola mente, quum modo aliquot vulnerantia tela in inimicos miserimus, quod monet Karsten. Ac vide ad Nem. IV, 45. Hoc loco εὐκλέας eodem sensu positum. Ac clarum sic etiam αὖτε, contra. — τανύσαις, Ol. IX, 15, 44. Praeferenda est enim Boeckhii ratio, multo aptior in hac vividiore oratione quam Hermanni, τανύσαις αὐδάσομαι iungentis. — αὐδάσομαι, vi activa ut Soph. Phil. 652. Ai. 772, al. — ἐνόρκιον λόγον, ut in magna laude et quum obtrectatores haberet rex. cf. Ol. VI, 20. — ἑκατόν γε ἐτέων (Herod. IX, 76. Matth. Gr. p. 692.) h. e. per integrum saeculum, quare nihil hic argutandum. Urbs diutius steterat. Sensus: Nullum genuisse hanc urbem centum annis virum magis beneficum Therone. Possis etiam iungere μή τινα πόλιν, sed alterum cautius et verius dictum; immodice laudare deteriorum scriptorum est. — V. 95. ἔβα, invasit, Eurip. Hippol. 234.

1381. — κόρος, quum beneficia, ut fit, fastidium et invidiam creassent. — οὐ δίκα συναντόμενος, h. e. non honestum in modum aggrediens aperte, sed clam, ψιθύρους λόγους πλάσσων, ut fecerant proditores Capys et Hippocrates et Himerensium qui initio anni defectionem moliti erant. ἄντεσθαι, συνάντεσθαι, obviam ire, de hostibus notum. δίκα vero est σὺν δίκῃ, ut Sophocl. Ai. 1247. Phil. 1234. El. 561. cf. Blomfld. ad Aesch. Sept. 411. — μάργων, vesanorum, improborum, cf. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 909. — ἐθέλων, cupide, studiose faciens, amans facere, cf. Ol. XIII, 9. Buttm. Gr. min. p. 345. Markland. ad Lysiam Reisk. p. 616. Iam si sensus: qui cupiebat aut etiam nunc cupit obscurare praeclara facta Theronis, cur ἐσλῶν additum? Immo haec ipsa vox probat generalem esse huius versus descriptionem; unde articulus intelligitur ante λαλαγῆσαι. Verto: Sed laudem invasit invidia non iuste procedens, sed ab improbis hominibus, qualis obtrectationem amat et pulcra bonorum facta obscurare studet. Iam licet displiceret τὴν λοιδορίαν ἐθέλων, non dixerim eodem iure τὸ λαλαγῆσαι ἐθέλων damnandum esse, quum infinitivus cum articulo nunquam plane exuat vim verbi. Hermannus θέμεν ad τὸ λαλαγῆσαι et ad κρύφον trahit, vertens: Invidia laudem invasit, improborum virorum rumores obscurationemque honestis factis bonorum excitare volens. In quo displicet θέμεν τὸ λαλαγῆσαι.

Carmen Olympicum tertium.

INTRODUCTIO.

Carmen, monente Boeckhio, eidem victoriae curuli scriptum, quae in antecedente celebratur, cantatum vero in Theoxeniis Dioscurorum Agrigenti. Emmenidae Agrigentum migrantes secum duxerant cultum Dioscurorum, ut videtur, sive is, ait Boeckhius, Argis cum colonia in Rhodum, inde in Siciliam venerit, sive Amyclis Thera-

que per Theram unum ex Theronis maioribus ad Emmenidas propagatus sit, quae Mülleri sententia est Histor. Orchom. p. 339. Agrigenti inter publicas religiones, credo, receptus erat, ac Dioscurium publicum videtur fuisse; Emmenidae tamen plurima sacrificia offerebant, studiosissime cultui patrio addicti. Ipsa sollemnia Dioscurorum Agrigentina Scholiastae Theoxenia appellant; quum enim hi dii maxime hospitales essent, curabantur iis lectisternia, *ξείνιαι τράπεζαι*, quibus excepti ceteros deos exciperent. Atque his Theoxeniis ornandis bene suspicatur Boeckhius carmen scriptum esse. Statim enim in principio quod hospitales Tyndaridas poeta nominat, ne de Helena dicam, vix aliter explicari potest; deinde *τούταν ἑορτὰν* dicit praesentia sollemnia, quae vox festum deorum significat. Carminis ratio haec est: In Dioscurio festo die quum res ageretur, in principio statim Dioscuris et Helenae dedicatur carmen. Tum poeta canit, ut Hercules olim post institutos ludos Olympicos, quum locum arboribus vacuum videret, oleastrum ab Hyperboreis adsciverit, quae umbram praeberet et coronas victorum. Qua re narrata ad Tyndaridas redit, qui victoriam dederint Emmenidarum pietati, haud dubie etiam illo die larga sacrificia offerentium. Denique in fine, ut alias, modestia commendatur victori, ceterum probo viro. Vides rationem carminis simplicissimam. Est sollemnis gratiarum actio et dedicatio coronae in Dioscurio, inter ceteros coronatos Therone adstante cum Olympica corona oleagina in capite, quam dedicare vult Dioscuris, uti etiam Boeckhio videtur. Versatur igitur maxima pars carminis in ipsa coronae oleaginae praestantia celebranda; qua quidem re ut Emmenidae et Thero ornantur, quibus dii talem coronam dederant, summum tamen consilium carminis ad Tyndaridarum et urbis honorem pertinet, quemadmodum par est in tali causa. Ceterum cum Boeckhio suspicor actam rem ante praecedentis carminis epinicia, siquidem primum diis publice gratiae actae videntur, antequam privata domi comissatio haberetur.

EXPLICATIO.

V. 1—6. Prooemium. Poeta precatur, ut carmen placeat Tyndaridis φιλοξείνοις, hospitalibus, quo epitheto bene significatur praesens festum, cf. Introd. Alii de Theoxeniis omnino non cogitandum putant: satis esse scire Tyndaridas ut praesides ludorum victoriam dedisse. Sed hi docere debebant, cur nunc hospitales nominet ac non potius ἀγωνίους εὐίππους. Omnino vero monendi sunt lectores Pindari, ut ad formulas initiales carminum attendant; tale a diis factum principium non potuit locum habere in carmine privata in domo canendo die non festo. Porro sensus loci hic: Dioscuris et Helenae placeam Agrigentum ornans hymno in Theronem. Unde ego colligo cultum Dioscurorum et Helenae publicum fuisse, publicumque Dioscurium, quod in incerto relinquebat Boeckhius. Si enim privatus tantum erat et gentilitius Emmenidarum, dicendum erat: Placeam Tyndaritis Emmenidas honorans hymno in Theronem. Ceterum adverte tempora; γεραίρων, ut de re manenti, ὀρθώσαις de carminis faciendi actione transeunte. Ipsum ὀρθώσαις est erigens hymnum, aut tanquam columnam, quales habebantur in locis ludorum, victorum nomina servantes, cf. ad Ol. VII, 86., aut tanquam statuam, de quibus in victorum honorem positis satis constat e Pausania. Similiter Isthm. 1, 46. ξυνὸν ὀρθῶσαι καλόν. Architecturae vero opera aliena sunt. — ἄωτον, cf. Ol. V, 1. VIII, 75. — V. 4 seqq. Sensus: Musa vero ita mihi affuit, ut novo splendido modo reperto Doriis vocem aptarem rhythmis. Nam verissime Boekhius nuper παρέστα reduxit, monens in Dissertatione de Crisi Pindarica, cum imperativo Graece non posse iungi Μοῖσα δέ, sed tunc dicendum fuisse Μοῖσα, σὺ δέ, aut Μοῖσα, ἀλλὰ σὺ παρέστα. Promittit autem poeta, ut vides, eximia quaedam, quae diis placere possint. Quae res non pertinet ad melodiam aliquam novam, quod nimis tenue esset, sed monstrantibus Scholiastis et nexu ad ipsum hymnum, ac quod mihi non dubium, prae ceteris praeclaram ad fabulam nunc primum a Pindaro ex Olympica Eleorum traditione haustam, de oleastro ab Hercule ex Hyperboreis Olympiam translato, quam statim narrare vult. Fuerunt autem

Doriensium maxime fabulae de Hyperboreis Apollinis populo et Herculis ad eos itinere, cf. Müller Hist. Dor. 1, p. 267 et 428. Elei deinde oleastri translationem addiderant. Haec nunc, ut par est, Dorio rhythmo canere vult Doriis diis. *Δώριον* enim *πέδιλον*, etiam Boeckhio monente d. Metr. Pind. p. 276., rhythmum dicit, qui pede pulsatur, unde *ῥυθμὸν κρούειν*. Ad *νεοσίγαλον* autem conferes *ἄνθεα ὕμνων νεωτέρων* Ol. IX, 49. similiter dicta de fabula ab aliis lyricis nondum tractata. Tales fabulae quattuor sunt in Olympicis carminibus. Ceterum recordaberis quae Ol. 1, 105. notavi de *κλυταῖς ὕμνων πτυχαῖς*, similiter ex illius carminis argumento explicandis. *ἐναρμόξαι* cf. Wyttenb. ad Plutarch. d. aud. poet. p. 16, c.

V. 6—34. Media pars carminis de oleastro Olympiam translato. — V. 6. *χαίταισι μὲν ζευχθ.* seqq. Orsus a corona Theronis poeta sensim transit ad oleastrum Olympicum. Mirum vero dubitari unquam potuisse, Theronis an equorum coronae carmen postulent. *ζευχθέντες*, ab Hellanodicis impositae, decretae. Suaviter ita dicit, Therone tum ferente in capite coronam reportatam curru. — *θεόδματον χρέος*: haec corona, hoc a Musis constitutum officium tanquam debitum exigit a me, ut Aenesidami filium canam digne. Poetis enim divinitus impositum est negotium, ut res praeclaras canant. — V. 8. *ἐπέων τε θέσιν*, h. e. *σύνθεσιν*, verba bene posita, adornata, iuncta, carmen. Laudat Boeckhius Etymol. M. p. 319, 31, et 391, 26. — *συμμίξαι*, cf. Ol. 1, 20. — *ἅτε Πίσα*, scil. *πράσσει με χρέος γεγωνεῖν*, laudari vult, quibus verbis praeparat antiquitates Olympicas statim canendas, plane ut Ol. 1, 18. Vides *τε* in *ἅτε* respondere particulae *μέν* post *χαίταισι*, usu apud Pindarum frequentissimo. — V. 11. *ἐπ᾽ ἀνθρώπους, ᾧτινι*, Matth. Gr. p. 890. Senties vero ex hoc exemplo non temere singularem sic poni post pluralem, — V. 12. *Ἑλλανοδίκας*. Iudices certaminum Olympicorum eo tempore duo erant, postea plures. — *Αἰτωλὸς ἀνήρ*, Aetoli sunt Elei propter Oxyli coloniam. — *γλεφάρων ὑψόθεν ἀμφὶ κόμαισι*: noli vituperare orationem in coronae caput ornantis imagine suaviter immorantem; sic enim, ut iam monitum, tum Thero in Dioscurio adstabat redimitus. Ceterum *γλεφάρων ὑψόθεν*, ut Apollon. Rhod.

II, 806. ὑψόθεν ἄκρης. Vide plura ap. Tafel. — γλαυκόχροα videtur pertinere ad folia superne misto viriditati argenteo colore candicantia, vid. Schneid. Theophr. Opp. T. V. p. 425. et Tafel. ad h. l. — V. 14. De Hyperboreis ad fontes Istri cf. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. Histor. T. 1, p. 267, et maxime in Prolegom. Mythol. p. 119 seqq. Pindaro Hyperboreos non versus occidentem poni, sed ad septentrionem, clare docet Isthm. V, 23. coll. Ol. VIII, 47. — V. 17. πιστὰ φρονέων, conferri iubet Tafel Musgrav. ad Soph. Electr. 229. — V. 18. ἄλσει. Dici ἄλσος de loco sacrato etiam arboribus non consito, notum, cf. Boeckh. Nott. critt. ad h. l. Tenendum vero non Altin solam hic intelligi, sed universum in valle τέμενος Olympicum; leges enim statim arbores etiam ad hippodromi metam plantatas; hippodromus autem extra Altin erat. Ceterum adde nos ad Ol. XI, 45. Porro Boeckhius, qui universam loci lectionem bene constituisse videtur, hic etiam asyndeton, meo iudicio, recte tuetur. Neque enim ad novam rem pergit oratio, sed quum dixisset Pindarus ex Hyperboreis oleastrum allatum ab Hercule, ut certaminum praemium esset, non vi adhibita sed persuasione verborum, sequens colon manifesto huius ipsius sententiae uberiorem repetitionem habet, ἠθικῶς poeta huic loco immorante ut gravissimo. Quare ego colo interpunxi post λόγῳ. Ceterum huic ἤθει etiam praesens αἰτεῖ eximie conveniret. Nam praesens historicum interdum habetur apud Pindarum, ut Pyth. IV, 163, 4. V, 80. — V. 19. seqq. Sensus: Iam enim instituta quidem et semel acta erant Olympia, sed arbores nondum habebat regio. Primum igitur particulae μέν post πατρί respondet ἀλλά v. 23. Porro, ut Pindarus ubique in his rebus sacrificium et ludos distinguit, sic etiam hic; ac quum postea plures dies festi essent, cf. Boeckh. h. l. et nos in Excurs., mythico tempore duos ponere mihi videtur, unum sacrificiis dicatum ipsum tum plenilunii diem, alterum ludis, proximum post plenilunium. Nunc vide poetae verba: Iam enim, ait, patri sacratis aris, Luna Herculi totum oculum suum offuderat, h. e. iam enim post sacrificia Iovi oblata plenilunium vespertinum apparuerat, quibus verbis omnino designatur primus dies; iamque, pergit, certaminum iudicium et quinquennalem reditum festi instituerat, h. e. iamque celebratus erat secundus quoque dies

ludis consecratus, et constitutus erat etiam reditus sollemnitatis, ut nunc futuris quoque conventibus prospiciendum esset: sed locus nondum erat huic rei satis aptus. — *βωμῶν ἁγισθέντων*, per sacrificium primum. Ceterum quum Hercules etiam ceteris diis Olympiae tum sacraverit aras, hoc loco notabis simpliciter a potiori re, Iovis aris, designari totum. — *διχόμηνις*, ut Arat. Phaen. 78. — *ἑσπέρας*, vesperi. Recte enim Boeckhius monet hic non coniungendum esse *ἑσπέρας ὀφθαλμόν*, licet nota sint *νυκτὸς ὀφθαλμός*, *ἁμέρας βλέφαρον* alia, quum rectius et pulcrius dea suum oculum ei offudisse dicatur, veluti est *ὄμμα Σελήνης* Nonn. IX, 66. XI, 189. notante Tafelio. Conferri etiam meretur Virg. Georg. 1, 430. — V. 21. *ἀέθλων κρίσιν*, pro ludis, cf. Ol. VII, 80. Nem. X, 23. — *θῆκε*, scil. Hercules; alii supplent *Μήνα*, quam affectatam loquutionem noli Pindari simplicitati tribuere. — *κρημνοῖς*, de litoribus et ripis praeruptis, vox Pindarica; cf. Schneid. ad. Pind. Fragm. CXLV. Heyn., et Boeckh. p. 664. — *ἔθαλλον* cf. Matth. Gr. p. 778. — Porro nolo cum Aristarcho iungere *χῶρος Πέλοπος ἐν βάσσαις Κρονίου*, quum enim vallis Olympica, sita inter duo iuga collium, bene dicatur *βάσσα*, tamen non aeque commode montis *Κρονίου βάσσα* dicetur. Verius Boeckhius *Κρονίου Πέλοπος* iungit, quum Pelops a Saturno descenderet per Tantali patris matrem Pluto et per Tantali patrem Iovem Saturnium, quod epitheton longius petitum videbitur, sed consulto h. l. additur propter cultum Saturni Olympicum, ut Iuppiter in Olympicis Pindari carminibus saepius *Κρόνου παῖς* dicitur, eadem de causa. Denique a Pelope designat Olympiam, ut Ol. V, 9, quod inprimis aptum in carmine in Siciliam aut Italiam misso, cf. Introd. ad Ol. I. -- V. 24. *τούτων* pr. *τούτων οὖν*, cum vi, accedente oratione ad id, quo tendebat cf. Pyth. 4, 165. — *κᾶπος*, amoenus locus, ut alias loca diis grata, veluti Libya Iovis *κᾶπος* Pyth. IX, 55., Brasiarum in Peloponneso campus *Διονύσου κῆπος* Pausan. III, 24, 3. — V. 25. *θυμὸς ὥρμαινε*, prima et Homerica significatione est: animus volvebat, agitabat, tum: animus studebat: quum *ὁρμαίνειν* post Homerum etiam intransitivum sit. Utrum eligas, postulaveris primo adspectu *πορεύεσθαι* ut simplicissimum, atque ita iam olim quidam ceperunt *πορεύειν*. At enim licet *νωμᾶν*, *ἐπινωμᾶν*, *στρωφᾶν*, alia

in usu sint, cf. Nem. IV, 55., nusquam tamen πορεύειν intransitive dictum invenias. Recte vero dicas: θυμὸς ἐπόρευσέ νιν. Sed quid est θυμὸς ὥρμαινε πορεύειν νιν? Nempe quum propiora loca arbores offerrent, in remotissimam tamen abiit Hercules regionem oleastri victus cupiditate. Hoc bene innuens Pindarus dicit: Tum animus id agebat, ut ad Hyperboreos eum duceret. Ac ne forte Ἰστρίαν ἐς γαῖαν nunc requiras, Hyperborei habitabant ad fontes Istri, quare recte dicit: in regionem eam Istriam, ubi Diana alio tempore benigne exceperat venientem. Hermannus Ἰστριηνὰν legens, obscuro sensu iungit δή τότ' ἐς γαῖαν θυμὸς ὥρμαινε πορεύειν, ἔνθα Ἰστριηνὰν ἐλθόντα δέξατο Λάτους θυγάτηρ, quo monet Boeckhius nihil esse inconcinnius. — V. 26. ἱπποσόα, vid. Müller. Dor. I, p. 379. et nunc Vossium in Epist. Mythol. T. III, p. 71. Fontes et fluvios amans, etiam equos alit in pratis aquosis certaminibus aptos et domat et agit rapido vecta curru. Versatur autem Diana etiam apud Hyperboreos, a quibus colebatur cum fratre Apolline, cf. Müller. l. cit. p. 369. — δειρᾶν vid. Iacobs. Anthol. Palat. T. III, p. 609. Sensus: quum per montes et valles Arcadiae cervam frustra quaesivisset. — V. 28. ἀγγελίαις, iussu Eurysthei, qui per Copreum nuntium ei labores imperabat, Hom. Il. XV, 629. De dativo cf. Matth. Gr. p. 728. — ἔντυε, Pyth. IX, 66. Theogn. v. 195. — ἀνάγκα πατρόθεν, Il. 19, 103. Sensus: quum necessitas a patre imposita impelleret eum, ut iussu Eurysthei cervam a Taygeta Dianae dedicatam quaereret et Mycenas adduceret. Apollod. II, 5, 3. Qui fuit unus laborum Herculis. — χρυσοκέρων ἔλαφον. Cornutas cervas vulgo non reperiri constat, nisi naturae lusu, quod docent periti; at fabulosae cervae tales non rarae. Atque huic nominatim cervae cornua fuisse aurea plurimi tradiderunt. Vid. Boeckh. et Tafel. — Taygeta, Atlantis filia, Lacedaemonis mater et Eurotae. — V. 30. ἀντιθεῖσα, pro cerva, narrant Scholia, in quam ipsa antea mutata erat a Diana, ut Iovis insidias amatorias fugeret. Nisi pro sacrificio debito, pro victimis humanis abolitis cerva data erat, ut alio tempore pro Iphigenia, quae Boeckhii suspicio est, quum sanguinem humanum olim Ὀρθωσία posceret. Vid. de ea Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I, p. 381. — ἔγραψεν ἱράν. Crediderim Pindarum

ψέλλιον cogitasse in collo cervae cum inscriptione: Ἀρτέμιδός εἰμι. Veluti apud Theocrit. Id. XVIII, 48. est: Ἑλένας φυτὸν ἐμμι. Fuitque haec legitima formula. De ψελλίῳ autem cf. Pausan. VIII, 10, 4. Huic explicationi nunc etiam Boeckhius non adversatur, et probat eam Müllerus. — V. 32. ad κείναν cf. Tryphiod. 286. οὐδέ σε πάτρης οὐδὲ πολυκτεάνων θαλάμων γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ, ductum ex Hom. Il. 3, 446. Harum arborum, ait, eum desiderium cepit, ut plantaret circa metam hippodromi, ubi igitur etiam postea oleastri steterunt. Loquitur autem nunc de hippodromo maxime propter curulem victoriam, quam canit. — δωδεκάγναμπτον cf. Ol. II, 50. — Singulis explicitis, de universo loco illud pluribus quaerendum, utrum semel, an bis apud Hyperboreos fuerit Hercules? Si semel, Pindarus dicere debebat sic: Tum forte accidit, ut ad Hyperboreos veniret, quum iussu Eurysthei quaereret cervam Dianae sacram. Nunc autem interponit: ἔνθα Λάτους ἱπποσόα θυγάτηρ δέξατο, quae verba ex hac ratione intelligi nequeunt. Sed clara omnia, si bis venit, ut ceperunt alii hunc locum. Sensus: Tum venit in mentem in Istriam proficisci, ubi Diana olim exceperat ex Arcadia venientem (nunc Olympia proficiscitur), quum cervam quaereret, quam persequens forte etiam illas regiones adierat videratque arbores. Harum nunc eum desiderium cepit, profectusque est, ut consequeretur, sperans ope Dianae equestris se ab Hyperboreis arbores impetraturum ad hippodromum plantandas. In quo etiam ἱπποσόα cur additum sit, sentis. Non igitur proximus post Augiam devictum labor capienda cerva, ut cum Heynio Boeckhius censebat, sed hanc alio tempore ante hoc bellum persequutus erat, ut recte tradit Apollod. II, 7, 2, post omnes labores exantlatos Augiam victum, e cuius belli primitiis Olympia instituta.

V. 34 — ad finem. Redit ad rem praesentem. — Initio verba ἐς ταύταν ἑορτάν ne quis de Olympica sollemnitate quinquennali intelligat, quum nunc in templo Tyndaridarum caneret chorus, absonum est cogitare de alio festo quam de praesenti. Ad Theoxenia igitur venit fruiturque una lectisterniis paratis, ceterum et ipse peculiari templo cultus Agrigenti. cf. Boeckh. in Introd. — V. 36. ἀγῶνα νέμειν. Dioscuri erant inter deos ἐναγωνίους, cf. Nem. X, 53., et in hippodromi quidem

carceribus colebantur tanquam ἀφετήριοι Olympiae, Pausan. V, 15, 4., Spartae, Pausan. II, 14, 7. al. Cf. Welcker. d. Trilog. Aeschyl. p. 229. — ἀνδρῶν τ᾽ ἀρετᾶς, in stadio, lucta, pugilatu, ceteris certaminibus. — ῥιμφαρμάτου, Soph. Oed. Colon. 1062. — κῦδος et δόξα saepissime de victoriis ludicris. — εὐίππων, vox ad artem equorum regendorum pertinens, cf. Hermann. ad Oed. Colon. v. 715. — V. 40. ἐποίχονται, cf. θυσίαισιν οἰχνέοντες Pyth. V, 80., et μετήϊσαν Herodot. VII, 178. add. Aesch. Prometh. 530. θεοὺς ὁσίαις θοίναις ποτινισσομένα. Ceterum vid. Introd. Omnino Emmenidas liberalissime coluisse deos docet Fragm. Encom. 2. et Isthm. II, 39. — V. 42. ἀριστεύει ὕδωρ cet., cf. ad Ol. I init. Etiam hic post memoratas ξεινίας τραπέζας, ubi et vasa aurea adhibebantur et aqua, vides alienum esse Thaletis placitum, quod omnino non inest in illo proverbio e vita communi, non e schola petito. — V. 44. οἴκοθεν (von Hauses wegen) insita genti praestantia, verte: Nunc ad extremum Thero terminum virtutibus veniens tangit domestica vi Herculis columnas. Has attingere dicuntur ut extremum navigationis terminum qui in summa felicitate sunt, cf. Pyth. X, 28. Nem. III, 19. IV, 69. Isthm. III, 30. — σοφοῖς, qualis Thero. Vide de hoc loco notata ad Ol. II, 16. — οὔ μιν διώξω, suavius dicit de se quae Theroni dicere vult, cf. Pyth. III, 107 sqq. Nem. I, 36. X, 39. Sensus: Ulteriora nemini assequi licet, quare noli ea persequi, vanus enim fueris, ut recte monet Boeckhius. εἴην sine ἄν, similiter lectum Ol. IX, 80. X fin., est de confidentiore affirmatione sive de opinione sine conditione, ut Hermannus loquitur in Dissertatione de Particula ἄν lib. III. c. V. p. 46. Classic. Iourn. Vol. XXXVI. ann. 1827. Plura aliorum qui cognoscere cupit adeat Reisigium in Comment. de Partic. ἄν in edit. Nub. Aristoph., grammaticas Matthiaei, Thierschii, Rostii, denique Nitzschium ad Hom. Odyss. p. 174. et 206. — Ceterum notae sunt modestiae admonitiones in fine carminum; sed hoc loco quod paullo intentius et gravius (κεῖνος εἴην) hortatur Theronem bonum virum, eo consilio factum videtur, ut rex, qui tum adversarios habebat, cf. Ol. II., diligenter caveret invidiam nec potentiam suam augere tentaret.

Carmen Olympicum quartum.

INTRODUCTIO.

Carmen hoc quemadmodum sequens scriptum Psaumidi Camarinaeo, rheda mulari victori Ol. 82. Certaverat Psaumis, vir certaminum studio insigniter deditus, quadrigis simul et mulabus et celete, ut videtur, vicerat autem solis mulabus, atque haec victoria utriusque carminis argumentum est. Quintum manifesto post reditum in Sicilia cantatum, hoc vero Olympiae, praesente Pindaro, qui quum Iovi pompa sollemni gratiae agendae essent, statim post victoriam viro insigniter hospitali sibique amicissimo has strophas scripsit. Uberrime haec exposuit Boeckhius, cui plane assentior; quare nollem quadrigarum victoriam explosam nuper denuo defensam, et falsum titulum ἵπποις restitutum, male intellecto oco v. 13, 14., qui accuratius inspectus contrarium probat. Ceterum poeta hoc carmine primum Iovi Aetnaeo, qui victoriam dederat, pompam Psaumidis accedentem commendat, tum reliquis eius conatibus ludicris successum precatur, utpote dignissimi viri, quem in fine iucunde defendit, derisum, ut videtur, propter canitiem.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Principium carminis. Invocatio Iovis. Moris erat, ut victores gratiarum causa sollemnem pompam ducerent vespere ad Iovis aram in Alti, in curru vecti, si hoc vicissent, comitantibus amicis, inter cantus. Et nunc quidem Pindarus carmen fecit huic rei aptum; quibus autem deesset poetarum opera praesentium, iis Archilochi quendam hymnum canebant, de quo cf. ad Ol. IX init. et Boeckh. Introd. — Ἐλατὴρ βροντᾶς. Tonantes equos volucremque currum Iovis nosti ex Horat. Od. I, 34, 8.; magnificentius Pindarus ipsum ruentem tonitrum ἀκαμαντόποδα dicit. Sed cur h. l. his utitur? Nihil nisi potentiam significari

dicerem, si simpliciter ἐγχεικέραυνος, ἀργικέραυνος, βαρύγδουπος, πολυνεφέλας, ὑψινέφης legeretur; nunc autem amplior dictio est. Atque ἐλατὴρ ὑπέρτατος manifesto nunc Iuppiter dicitur comparatus hominibus agitatoribus curruum, ἀκαμαντόπους autem victorum equorum epitheton est Ol. III, 3., et ipsarum Psaumidis mularum victricum carm. seq.; quare plane non dubito rem propius ad Psaumidem pertinere, tonitrumque forte auditum, αἴσιον βροντάν, aut in ipso certamine aut quum sacrificaret Psaumis ante certamen, qua re nunc praeclare Pindarus utitur. „Iuppiter, ait, appello te, summe agitator, qui per coelum tonitrum celerrimum agens faustum signum dedisti Psaumidi agitatori victoriae mulabus celerrimis reportandae.“ Videbimus saepius in sequentibus generales sententias prooemiorum ad victoris personam revocandas, cf. Ol. VIII. — τεαὶ γὰρ ὧραι, tempora festi tui, Olympias rediens, ut Isthm. II, 23. Atque hoc simplicissimum. Horas saltantes nolim inferre. Neque enim Pindaricum videtur Horas saltantes inter cantum et cithara Apollinis sonante reducere Olympicos ludos. — ὑπ᾽ ἀοιδᾶς, ut Ol. VII, 13. ὑπ᾽ ἀμφοτέρων (φόρμιγγος καὶ αὐλῶν) κατέβαν. Vid. Monck. ad Eurip. Hippol. 1294. Matth. Gr. p. 1187. — ποικιλοφόρμιγγος additum videtur, ut choricum carmen significetur. Cet. cf. Ol. III, 8. Nem. IV, 14. — ἑλισσόμεναι, περιτελλόμεναι (Soph. Oed. R. 156.) περιερχόμεναι, circumactae, redeuntes. — μάρτυρα, quum poeta carmine testimonium dicat rebus gestis, notante Boeckhio. Iam verte: Tui enim festi tempora cum citharae cantu me redeuntia, s. quum redierint, duxerunt huc ad te, ut summorum certaminum laudator essem. Verborum ordinem vides talem, qualis debet esse. — V. 4. ξείνων, qualis Psaumis mihi. — ἔσαναν, gaudere solent, cf. d. h. v. Schweigh. ad Polyb. I, 80. — αὐτίκα, propter carmen statim factum, ut monet Boeckh. — ἐσλοί, veri amici, non invidi. — ποτί, ad nuntium, audito nuntio. Nuntiabat autem victoriam praeco et fama volans omnibus Olympiae praesentibus. — V. 6. seqq. invocationem Iovis repetit et absolvit, plane ut Ol. VIII init. Nam ut ibi est: Μᾶτερ — Οὐλυμπία seqq., tum repetito vocativo: Ἀλλ᾽, ὦ Πίσας εὔδενδρον ἄλσος, τόνδε κῶμον δέξαι, sic hoc loco: ἐλατὴρ — Ζεῦ, tum Ἀλλ᾽, ὦ Κρόνου παῖ, δέκευ. Totus

autem locus unum finem habet, quippe causas exhibens cur pompa Iovi ducatur. Sensus enim: Iuppiter, cuius potentiam benevolam Olympiae et in Sicilia experitur Psaumis, recipe seqq. Nam Iuppiter Aetnam tenens, sub quo Typhoeus iacet, est domitor Typhoei et Siciliae tutor. Ac notabis concinnitatem rerum, quas poeta composuit; quum enim tonitrum memorare deberet, pulcre tale addidit aliud, quo similiter augusta Iovis potentia exprimeretur. Ceterum notum ἶπος, onus compositum Typhoei, cf. ἰπούμενος Aesch. Prometh. 365, ibiq. Blomfld. — V. 9. Χαρίτων. Victoriae dator modo declaratus est Iuppiter, Gratiis vero, quae delectantur epiniciis comissationibus et epinicio cantu, cf. Nem. VI, 38., IX, 54., nunc debetur κῶμος, pompa ludicra cum cantu et instrumentis musicis, iam accedens ad Iovis aram. Atque hunc κῶμον dicit perenne lumen Psaumidis virtutibus. — Ceterum κῶμος quid sit apud Graecos uberrime explicatum vide a Welckero ad Philostrat. p. 202. seqq. — V. 11. ὄχος proprie de rheda mulari, cf. Boeckh.; ac praestantissimae mulae Siculorum. Porro explica c. Hermanno et Boeckhio: ἵκει γὰρ ὁ κῶμος, Ψαύμιος ὀχέων ὤν, Psaumidis enim rhedae victricis est haec pompa. Vehebatur victor rheda, comitantibus ceteris. Cave igitur κῶμον totum sedentem fingas in curru, ac ne hymnum quidem Pindarus usquam dixit in curru sedere.

V. 12 — 18. — λοιπαῖς εὐχαῖς. Qui dicit: deus reliquis eius votis faveat, quum laudabili studio equis alendis operam det, satis clare equestres coronas, inprimis quadrigarum victoriam se optare Psaumidi indicat nondum reportatam. — V. 15, 16. Etiam propter alias virtutes dignus est summa hac victoria. — ἀσυχίαν, concordem tranquillitatem, a seditionibus alienam, cf. Pyth. I, 70. Dea est Pyth. VIII init. — καθαρᾷ γνώμᾳ, sincere, cf. Theogn. v. 89. Bekk. — V. 17. Non mentiar pr. non mentior, cf. Ol. VI, 21. Nem. IX, 43. — τέγξω lenius pr. μιανῶ. — διάπειρα, experientia, res ipsa probat, confirmat aut refutat hominum verba.

V. 19 — ad fin. Psaumis, quum vinceret, nondum senex erat, sed inter παλαιτέρους opinor; tamen iam canus erat. Propter quam canitiem derisus videtur Olympiae, quod qui iam senex esset, talis enim videbatur, certamen adire auderet. Quare iucunde Pin-

darus reprehensores istos nunc Ergini admonet, qui similiter et derisus fuerat et vicerat; sed quod probe tenendum, facit hoc tecte. Post laudes Psaumidis addiderat vera se loqui nec mentiri; falso enim dicta re ipsa convinci: atque hoc ut probet, non aliam ob causam, Erginum se simulat memorare. — Erginus, Clymeni filius, Argonauta, Orchomenius e Minycia gente, cf. Boeckh. h. l. et Müller. Hist. Orchom. p. 262. — De Argonautis apud Lemnias vid. Müller. ibid. p. 302. et Boeckh. h. l. — ἀτιμίας, contemtus. Cogitandus autem est Erginus tunc aut virili aetate fuisse aut etiam provectior. Canus fuit, si Scholiastae credimus natura, si Libanio Epist. 303., laudato a Boeckhio, adolescens, ex Pindari vero sententia post iuvenilem aetatem canities orta, si ultima carminis verba Erginus loquitur, ut credo. — V. 22. χαλκέοισι, cum armatura decurrens, Pyth. IX init. Usitatum olim fuit genus iam in ludis funebribus, cf. ad Isthm. I, 23. Ac tales nunc in honorem Thoantis, mariti [patris] Hypsipyles reginae. — νικῶν δρόμον, Ol. XIII, 30. — στέφανον, nota datum praeter vestem, Pyth. IV, 253. Conf. Isthm. I, 18 seqq. — οὗτος, gloriabundus. Quidam, ut Gurlittus ad h. l. et Matth. Gr. p. 875., οὗτος ἐγώ vertunt: En adsum, ταχυτᾶτι cum sequentibus iungentes. Incommode. Melius ii, qui οὗτος intepretantur p. τοιοῦτος. Sic Demosth. d. Coron. P. 320. Σὺ τοίνυν οὗτος εὑρέθης. De dativo autem vid. ad Ol. I, 112. — V. 26. seqq. Quum dubitetur a viris doctis Ergini an Pindari haec verba sint, illud Suvernio, Gurlitto, Hermanno, hoc Boeckhio tuente, equidem dicam Ergini ea esse. Primum enim nihil interpositum, quo haec ab Ergini ceteris verbis distinguantur, velut est ὥς ἄρα εἶπε. Deinde vereor, ne tribuamus Pindaro quae ex sua persona dicere nolebat. Licet enim hic revera Psaumidis reprehensores castigare velit, simulaverat tamen, ut supra observatum, ea tantum de causa Ergini se mentionem facere, ut ostenderet, quare mentiri nollet. Atque haec simulatio continuari debet usque ad finem, ut sibi constet poeta; repugnaret sibi, si ex sua persona eam ipsam admonitionem pronuntiaret, quam ut alius diceret, haec fabula ab eo inducta est. Res igitur haec esse videtur: Quod Erginus virili aetate sive provectior Lemniis muliebribus dicit canos capillos saepe etiam iuvenili aetate nasci, idem

Pindarus Olympicos Psaumidis risores tenere vult; significans, ut vides, posse etiam iuniorum uni et alteri, qui nunc risissent, praeter exspectationem accidere quod Psaumidi provectiori aetate. Atque haec non physiologica observatio est, sed ethica admonitio iucundissima. Ceterum ut hoc carmen Ergini, non poetae verbis finitur, sic Nem. I. vaticinio Tiresiae.

Carmen Olympicum quintum.

INTRODUCTIO.

Carmen cantatum Camarinae in pompa post reditum Psaumidis. Qui quum reprehensus esset, ut videtur, a civibus, quod curru, rheda mulari et equo desultorio simul certaturus Olympiae imprudentius nimios sumptus faceret, et pericula certaminum adiret aetate provectior, poeta in eo versatur, ut ornamenta explicet, quae nunc certaminum studio et victoria Psaumidis urbi patriae contigerint, eo iucundiora, quum haec corona Olympica prima fuisse videatur post instaurationem Camarinae, ante a Gelone eversae, tum restitutae Ol. 79, 4, a Geloïs. In fine Iovi pro futuro urbis splendore et Psaumidis salute supplicat. Poetica autem vis et tractatio carminis per se simplicis cernitur in eo, quod pro urbe Pindarus deos tutelares urbis commemorat, quorum sacram sedem ornaverit Psaumis. Ac pompa quidem ducta videtur inprimis ad templum Minervae Poliadis, ut facere solebant victores Camarinaei, cf. Schol. v. 22. Tamen quum carmen tribus metricis periodis divisum tres invocationes habeat, Camarinae, Minervae, Iovis, Boeckhius suspicatur tribus vicinis locis id esse cantatum, si Camarinae sacellum et Iovis vel statua vel templum prope Minervae aedem fuerint.

EXPLICATIO.

V. 1 — 8. Ad Camarinam. Est autem Camarina, Oceani filia, nympha lacus et urbis, quemadmodum Theba, Ortygia, Pitana, Rhodus, aliae locorum cognominum deae. — στεφάνων, quos Psaumis nunc ipsum in capite gerit. — ἀρετᾶν, egregiorum conatuum. — ἄωτον, decus, appellat nunc pompam et carmen. — γελανεῖ, cf. Pyth. IV, 181. — ἀκαματόποδος, victricis, epitheton positum, ut videtur, simul ad monstrandum sensum vers. primi carm. antecedent. — V. 4. seqq. Psaumis plures victorias quaerens immolaverat in omnibus sex aris geminis magnorum deorum Olympicorum; quod quum vulgo pauci certantes facerent, hic etiam hac re ornavit patriam urbem, quae civem tam opulentum haberet tamque studiosum certaminum. — αὔξων, Pyth. VIII, 40. Ac saepe alias πόλιν, δῶμα, μέλαθρον αὔξειν, cf. Eurip. Iph. Aul. 562. Markland ad Eurip. Suppl. v. 323., alia ap. Tafel. — βωμοὺς ἓξ διδύμους, cf. Schol. — ἐγέραρεν, sacrificiis. — ἑορταῖς μεγισταῖς, diebus festis illustrissimis. Sacrificaverat autem Psaumis per sex dies, quoque die in una ara. Quum enim poeta a βουθυσίαις v. 7. distinguat certaminum quinque dies, illis ne dubita diem ludos antecedentem significari, h. e. decimum mensis, quo sollemnia sacrificia fiebant. Ludi ipsi acti a. d. XI usque ad XV, cf. Schol. — V. 7. ἵπποις ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε. Vere monitum a Boeckhio dativum pendere ab ἁμίλλαις, add. nos ad Nem. IX, 12. Porro quod quadrigae maxime et mulae et celetes nominantur, quum alia multa certaminum genera haberentur, factum, bene notante Boeckhio, quia tum his ipsis certaverat Psaumis, quanquam mulae tantum vicerant; cf. de hoc dicendi more Pindarico etiam ad Nem. V, 39. Sed illa difficillima et nondum explicata quaestio, quomodo per quinque dies certamina quadrigis, mulabus, equis desultoriis facta dicat Pindarus. Nempe certatum videtur primo, tertio, quinto die. Vide Excursum de ordine certaminum Olympicorum. Ceterum μονάμπυκες sunt equi singulares, Eurip. Suppl. v. 586. 860. Alcest. 430. cf. Spanhem. ad Callimach. in Del. 113. — τὶν δὲ κῦδος seqq. Loquutus poeta

de sacrificiis Olympicis diis a Psaumide oblatis, pergit: Tibi vero, patriae deae, gloriam victor obtulit, quum patris urbisque nomina proclamari iuberet; nuntiante enim ortum Psaumidis praecone illustrabatur dea Camarina. Quare καὶ ἐκάρυξε dictum pr. καρύσσων, nisi quod verbum finitum suavius, cf. Ol. II, 10. Primus talia Homerus, ut Il. VI, 148. — ἀνέθηκε, consecravit, paravit. Aliud est, opinor, ἐλεγχείην ἀναθήσει Hom. Il. XXII, 100. et ἀλιτροσύνην ἀναθείη Iacobs. Delect. Epigr. p. 350., quae conferam cum μῶμον ἀνάψαι Odyss. II, 86., et μέμψιν ἀνάπτω Delect. Epigr. p. 376. — νέοικος, quippe restituta inde ab Ol. LXXIX, 4.

V. 9—16. Ad Minervam. Sensus: Olympiae Psaumis et sacrificiis in aris magnorum deorum honorem conciliavit patriae et victoria reportata; redux vero Olympia carmen epinicium affert (ἀείδει) publice canendum in laudem urbis. Pro urbe nominat lucum sacrum Minervae, ad quem pompa ducebatur, tum flumina et lacum urbis; sunt enim magni dii fluvii locorum et nunc Camarina reviviscentem florem magna ex parte opportunitati loci ad duo flumina et lacum debebat. — Oenomai et Pelopis sedes pr. Olympia, suavi appellatione in exteris maxime regionibus, cf. ad Ol. I, Introd. — σταθμοὶ enim domicilia, Ol. XI, 92. Pyth. IV, 76. Isthm. VI, 45. — εὐηράτων, propter victoriam, monet Boeckh. cf. Nem. VI, 12. — ὦ πολιάοχε Παλλάς, de hac olim Lindo Gelam, Gela Camarinam translata cf. Boeckh. Habebat ἄλσος in arce, insigniter culta, vid. Schol. — Post ἀείδει μέν sequi debebat ἀείδει δὲ πόταμον Ὤανιν cet., pro quo brevius infertur τέ. Similiter Ol. VI, 4. post εὖ δ' εἴη μὲν Ὀλυμπιονίκας ponitur τέ, pr. εἴη δὲ ταμίας cet. Add. Ol. VII, 88. Et sic saepissime. — Fluminum nobilior Hipparis, in nummis Camarinae expressus iuvenili capite; in mare exit per lacum Camarinaeum. — V. 12. σεμνοὺς ὀχετούς, quum displicere debeant canales ab hominibus factae vel propter adiectivum σεμνός, aquae autem sine alveo non possint ὀχετοὶ dici, ego flexus fluminis sinuosos intellexerim, quales etiam Σιμούντιοι ὀχετοί Eurip. Or. 797. Iphig. Aul. 757. videntur esse. — ἄρδει, Tibull. IV, 1, 60. h. e. arva populi irrigat. — V. 13. κολλᾷ seqq. In his κολλᾶν est ἁρμόττειν, compingere, struere, ut κολλητὰ ἅρματα Hom. Il. IV, 366. al. — θάλαμοι saepe

generatim dicuntur aedes s. conclavia, in quibus habitatur, cf. Pyth. IV, 160. Fragment. 139. Verte: Struit celeriter stabilium domuum altis membris s. cotignationibus surgentem silvam. Multiplex autem fuisse videtur fluvii utilitas. Nam ut negari non potest apportata in eo ligna aliaque ὑπουργήματα πρὸς κατασκευήν, recte tamen sensit Tafel. verbis ἀπ᾽ ἀμαχανίας ἄγων ἐς φάος paullo plus inesse. Nempe inprimis commercio celeriter opes creverant restauratae urbis. — V. 15. Hic locus pertinet ad reprehensiones civium, quas incurrerat Psaumis, cf. Introd. — πόνος, maxime in certamine, cf. Pyth. V, 44., δαπάνα, equorum alendorum. Similiter utrumque iunctum Isthm. I, 42. — ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον, admodum periculosum, proprie obrutum, cumulatum periculo, cf. Hermann. ad Oed. Col. 284. Talis erat decertatio equestris, cf. Pyth. V, 46. — μάρναται ἀμφί, cf. Pyth. XI, 55. Isthm. IV, 55. Hom. Il. III, 70. Denique ἀρεταὶ sunt laudes, gloria factorum, ut saepe. Sensus: Semper autem de laude et gloria labor et sumptus certant adversus pericula, h. e. semper qui laudem aliquam insignem consequi volunt pericula subire et laborem sumptumque impendere debent ad pericula superanda. — ηὖ δ᾽ ἔχοντες, re bene gesta. — σοφοὶ καί pr. καὶ σοφοί per hyperbaton. Ceterum cf. Eurip. Fragmentum laudatum in Schol. ad Nem. I, 13. τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν. Add. notante Tafelio Eurip. Heracl. v. 740. Hippol. 695, ibiq. interprett.

V. 17. — ad finem. Ad Iovem. Σωτὴρ hic illic cultus nunc aptissime invocatur pro futuro flore urbis bis eversae et viro felicissime servato. — Κρόνιον seqq., h. e. qui gubernas Olympiam datorque es victoriarum. — τιμῶν, notum de locis diis gratis. — V. 18. Ἰδαῖον ἄντρον Olympiae fuisse docet Demetrius Scepsius in Schol., de quo cultu cf. Boeckh. h. l. et nos ad Ol. II, 12. Nunc ut Pindarus hoc antrum memoraret, alias apud eum non momoratum, factum est, ut Boeckhius monet, quia magna pars Gelensium Camarinae conditorum Cretenses fuerant, ut cognita esset Camarinaeis haec religio, nisi quid ex ea etiam receperant. Addit Boeckhius fortasse ipsum Psaumidem Creticam originem habuisse. — V. 19. Λυδίοις αὐλοῖς, h. e. tibiis lydiam

harmoniam canentibus, cuius usus in supplicatione, cf. Boeckh. d. Metr. Pind. p. 277. — V. 20. εὐανορίαισι, h. e. viris eximiis, qualis nunc Psaumis. — V. 22. Noli iungere εὔθυμον ἐς τελευτάν. Sic enim non senectutem, sed mortem placidam optaret homini senectutem nondum ingresso. Immo verte: Atque ut te senectus hilaris deducat ad mortem, filiis adstantibus. Placida enim et senectus et mors, si praesto sunt filii virtutis opumque heredes. — V. 23. ὑγίεντα ὄλβον, opes et gloriam iusto modo paratas, ut monent interpretes. cf. Aesch. Eumen. 527. Contra σαθρόν, vitiosum, male sanum, quicquid iniuria paratum est, cf. Nem. VIII, 34. — ἄρδει pr. αὔξει, ut Plat. rep. VIII, p. 550. τοῦ μὲν πατρὸς αὐτοῦ τὸ λογιστικὸν ἐν τῇ ψυχῇ ἄρδοντος καὶ αὔξοντος. Ac saepe ornate pro ἔχειν dici constat τρέφειν, αὔξειν, etiam πιαίνειν Pyth. IV, 150. add. νόαν φέρβεται Pyth. V, 103. — V. 24. ἐξαρκέων (ausreichend mit) κτεάτεσσι, sat magnas opes habens. — De exitu cf. Ol. III fin. Isthm. IV, 16.

Carmen Olympicum sextum.

INTRODUCTIO.

Victoria reportata carmenque scriptum, ut Boeckhius censet, Ol. 78. Agesias Syracusanus fuit e gente Iamidarum nobilissima, qui ab Iamo, Apollinis filio, se prognatos ferebant et late sparsi inde ab antiquo tempore apud Spartanos aliosque Dorienses et in Arcadia vatum munere fungebantur, Olympiae vero in Iovis ara maxima e victimis oracula edebant iure hereditario, quod etiam ii retinuisse videntur, qui peregre abiissent. Nam etiam in Siciliam et Italiam mature pervenerant, atque ex Agesiae quidem maioribus unus quum ab Archia Corinthio Syracusas condituro comes adscitus esset, familia eius inter antiquissimos huius urbis cives numerabatur. Simul tamen Stymphali in Arcadia civis erat Agesias, quum Stymphalus altera patria eius a poeta dicatur; et

profectus inde videtur maiorum Agesiae is, qui inter Syracusarum conditores fuerat. Ac Stymphali nunc etiam comissatio habetur. Vide de his omnibus Boeckhium uberrime exponentem. Carmen non esse in pompa cantatum satis liquet e v. 22. seqq.; neque enim poeta dicere poterat, age Phintis, iunge mihi mulas, ut Pitanam vehar, si hae ipsae mulae trahebant in pompa rhedam Agesiae sollemniter urbem ingredientis. Immo sub tectis res acta videtur apud unum Iamidarum cognatorum in convivio, quo ducunt metaphorae initio carminis et v. 91.; praesentibus haud dubie et Stymphaliis et aliis vicinis Iamidis, choroque numeroso e civibus urbis parato, qui ἀστοὶ sunt v. 7. Quum autem Agesias κώμου δεσπότας a Pindaro dicatur, huius sumptu tota comissatio habita, monente etiam Boeckhio; hic igitur ceteros invitaverat quasi dominus domus, splendidissimis epiniciis hanc suam praesentiam in urbe patria ornaturus. Videamus nunc carminis rationem. Post prooemium, quod praeclaras nuntiat Agesiae laudes, quum ante omnia victoria reportata laudanda esset, ita hoc facit Pindarus, ut animum Agesiae strenuum et fortem praedicet, quippe qui, quod rarissimum, cum vaticinandi arte rerum gerendarum studium coniungeret, nec ludicrorum certaminum pericula nec bellorum reformidans. Exin in medio carmine gentis origines tractat, ut ex Apolline conceptus Euadnae filius clam editus per plures dies in fruticeto latuerit violarum radiis obtectus, indeque Iamus appellatus sit, tum adultus a patre vaticinam dignitatem acceperit, perenne ornamentum gentis; qui totus locus e pulcherrimis est apud Pindarum. His peractis ad praesentia redit, ad victoriam Agesiae et ad epinicia, quae nunc habentur, quibus rebus ultima carminis pars occupatur. Ac primum hic defendit victorem ab obtrectatione invidorum hominum, virtute partam victoriam significans et deorum ope. Deinde, epinicio hymno ad finem tendente, cetera praecipit, quae post hoc carmen ad sollemnem hunc diem ornandum canenda sint, inter quae Syracusarum quoque et Hieronis recordatur. Sic ad finem re deducta etiam in posterum prospera fata Agesiae precatur reditumque felicem. Haec hactenus. Quodsi denique de summa carminis sententia dicendum cetera omnia complectente, haec nunc pulcre in eo inest, quod gens Iamidarum ipsa origine et nomine

fausto ad perennem florem destinata fuit. Hanc igitur originem explicate narrans poeta canit immortalem Iamidarum fortunam, quae nunc in Agesiae rebus illustribus denuo luculentissime se ostendit.

EXPLICATIO.

V. 1 — 7. Prooemium. Hoc dicit nunc illustre se facturum. — V. 1. seqq. Sensus: Aureas columnas ponemus in introitu aedis s. carminis nostri, ut qui magnificam domum exstruunt. — Quod per totum hunc librum videbimus, Pindarum comparationes accommodare rebus praesentibus, vel inprimis hic tenendum est, ne aliena inferamus pulcherrimo prooemio. Sic quidam de templo cogitant cum atrio, ut Karsten.; sed neque in verbis hoc inest, nec convenit homini Agesiae templum. Cum templo comparaveris sacro loco canendum hymnum in deum, quo fortasse pertinet Fragm. inc. 103. *Κεκρότηται χρυσέα κρηπὶς ἱεραῖσιν ἀοιδαῖς, οἷα τειχίζομεν ἤδη ποικίλον κόσμον αὐδάεντα λόγων*, ac conf. Plutarchi verba ad h. Fragm. ap. Boeckh. Nunc comissatio habita Stymphali in privata domo; atque inde est ducta comparatio, licet splendide in maius aucta. Quare pone tibi ob oculos aulam muro cinctam, in aula domum, in domo post introitum aedem ampliorem s. oecum viris maxime habitatum, ut constat ex Homero. Nam etiam post Homerum eadem fere aedificiorum forma mansisse videtur apud plerosque Graecos, nisi Athenienses et Iones quaedam mutaverint. In tali igitur oeco s. aede, *θαλάμῳ* (*θάλαμος* enim generatim est conclave, aedis domus, cf. ad Ol. V, 13.) pulcre nunc ut fit exornato, quum convivium haberetur carmenque caneretur, Pindarus ab ipso loco sollemnitatis comparationem duxit, carmen quasi *θάλαμον* dicens ad haec epinicia celebranda conditum, prooemium vero *πρόθυρον*. Ac *πρόθυρον* in domo ante aedem virorum novimus ex Hom. Od. XVIII, 10.; unde etiam Boeckhius ad Fragm. p. 675. hoc *πρόθυρον* non ante domum ponit, sed in domo ante conclave. Obscurum vero est *εὐτειχές*, quod haud cunctanter de fornicato

introitu oeci intelligerem, aureis columnis suffulto (ὑποστάσαντες κίονας), nisi opus fornicatum per Democritum demum Graecis innotuisse diceretur. Sed quum in Italia diu ante usurpatum sit, ut docet Müllerus in libro egregio de Etruscis, quidni Italicis certe et Siculis Graecis prius cognitum fuerit et hic illic adhibitum? Sic potuit Pindarus ea re uti nunc, quum rara et exquisita ponere velit. Fortasse idem sensit Thierschius meus. Multi interpretes quasi domum seu palatium carmen dictum crediderunt, quo posito πρόθυρον vestibulum erat ante domum, licet Pindarus θαλάμου non μεγάρου πρόθυρον dixerit; nunc causa comparationis indicata patefactum spero, cur non cum domo, sed cum aede domus carmen comparaverit. Domus Pindaro μέγαρον est. — V. 2. ὡς ὅτε scil. πήγνυμεν, cf. Herm. ad. Vig. p. 919. Ceterum exordia etiam ab aliis cum vestibulo comparata constat, cf. Boeckh. et vid. Sagittar. d. Ianuis I. §. 29. in Thes. A. Gr. — V. 3. ἀρχομένου, incipientis, ait Boeckhius, ut in ἀρχομένου θέρους, χειμῶνος. Sententia valde celebrata veteribus, cf. Boeckh. ad h. l., addit Karsten. Plut. Polit. praec. p. 804. D. Theocr. Schol. Arg. Id. 1. — V. 4. εἴη μέν, cf. ad Ol. V, 10. Omissum τίς, nunc quidem commode, propter sequens κεῖνος ἀνήρ. — ταμίας, h. e. in Iovis fatidica ara administrator, curator sacrorum et oraculi; quem genitivum Tafel. postulat voci ταμίας, eum e contextu elicere debebat. Agesias ita nunc vocatur, monente Boeckhio, propter ius hereditarium gentis, ex quo ipse deum consulere potuit Olympiae praesens, licet habitaret Syracusis. — V. 6. συνοικιστήρ, propter maiores, cf. Introd., et fortasse etiam praerogativa aliqua ad posteros propagata erat. — Verba: τίνα κεν φύγοι ὕμνον cet. sic intelligo: Hic, utpote omni laude dignus, quam laudem defugiet (welches Lobes kann er sich erwehren), si inciderit non invidorum in civium iucundos cantus. Iungo igitur ἐπικύρσαις ἐν ἀοιδαῖς, quod videtur longe aptissimum.

V. 8 — 21. Transit ad Agesiam ipsum, cui laudes prooemii conveniunt. Ac primum victoria reportata laudanda erat; quum autem Agesias etiam bellator esset fortissimus, scite ita hunc locum tractavit, ut strenuum ac fortem animum in victore laudaret, qui laboriosa et periculosa cer-

tamina adeat nec faciles laudes quaerat. Quare nexus sententiarum, non omnibus perspectus, hic est: Non sine labore et periculo pariuntur victoriae Olympicae; sed sine periculis nullum factum laudatur. Tibi vero, Agesia, cognita pericula, qui cum vaticinandi arte bellicam fortitudinem coniungis, ut quod olim de Amphiarao mortuo Adrastus, nunc Hiero dicere possit de te absente: Desidero lumen exercitus mei, vatem bonum et bellatorem. — V. 8. ἐν τούτῳ πεδίλῳ seqq. Comparant cum loquutione περὶ πόδα εἶναι, apprime convenire, quam illustrat Casaubonus ad Theophr. Char. c. 4. Tamen simul multo ornatior est Pindarica dictio. Est vero Agesias δαιμόνιος ἀνὴρ propter triplicem illam prooemii laudem et δαιμόνιον πόδα habet, personae praedicato ad partem corporis translato, veluti ἀφνειᾶς Ol. VII, 1. et. Pyth. IV, 11. ἀθανάτου. — ἴστω - ἔχων, cf. Nem. IX, 45. Matth. Gr. p. 1075. — V. 10. οὔτε παρ' ἀνδράσιν seqq., neque in terra neque in mari, cf. Hom. Hymn. in Del. 142. ibique Herm. Agesias et victor Olympiae et in proeliis multis versatus erat navalibus et terrestribus; de quo statim. — V. 11. πονᾳθῇ, cum labore effectum; nam πονῆσαι intransitivum est laborare, πονᾶσαι transitivum labore efficere, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Pyth. IV, 236. Ceterum inprimis apta haec, si etiam in Olympico certamine vehementius laboraverat Agesias, ut vere monet Boeckh. πόνος de labore certaminis, cf. Ol. V, 15. — μέμνανται, recordantur et praedicant. — V. 12 seqq. Notissimum est bellum septem ducum adversus Thebas. Tum Amphiaraus vates et dux Argivus in pugna ad Ismenum ante Thebas vivus absconditus est terra cum curru, cf. Nem. IX, 24. X, 8. Hom. Od. XV, 247. Apollod. III, 6, 8. ibiq. Heyn. Pausan. IX, 8, 2. Post cremationem autem mortuorum Adrastus dixit id, quod Pindarus affert haustum e cyclica Thebaide, cf. Schol. v. 26. Vid. Boeck. ad h. l. — V. 13. ἀπὸ γλώσσας, h. e. palam effari quod in animo est. Pyth. III, 2. Soph. Oed. Col. 936. Alias significationes vid. ap. Blomfld. ad Aesch. Agam. 786. Abresch. 1, p. 147 et 348. At differt et nescio quid suavitatis habet Theogn. v. 266. τέρεν φθέγγετ' ἀπὸ στόματος de puella, et λάρα δ' ἀπὸ στόματος ἐφθέγξατο de Bacchylide Anthol. Pal. IX, nr. 571. Tom. II, p. 203. Iacobs. —

φθέγξατο ἐς, nosti hunc usum praepositionis, omissum in Matth. Grammatica, vel ex titulis carminum lyricorum in libris nostris. — φαιδίμας, candidas, Philostr. Imagg. 1, 27. ibiq. Iacobs. p. 369. Bigae erant antiquiore more, cf. Philostr. l. cit. et Welcker. ibid. p. 367. — V. 15. τελεσθέντων νεκρῶν, consumptis igne corporibus septem rogorum, bene notante Boeckhio. Confertur Aesch. Choeph. 867. δεσπότης τελούμενος, Aegisthus qui finitur, occiditur. Videtur mihi vox euphemismis annumeranda, quibus Graeci saepe mortem et quae cum ea coniuncta sunt lenius significant. Septem rogi sunt cohortium exercitus, cf. Nem. IX, 24. Quos Pindarus ad Thebas sepultos significat, eos Athenienses Eleusine conditos dicebant. Ad duplicem, quae sequitur, Amphiarai laudem, confert Karsten. Soph. Oed. Col. 1313. — V. 16. ὀφθαλμόν, cf. ad Ol. II, 10. — ἀγαθὸν μάρνασθαι, Matth. Gr. p. 1042. — V. 18. κώμου δεσπότᾳ, cf. Introd. Ceterum Shol. v. 30. narrat Hieronem in multis bellis ab Agesia adiutum vaticinandi arte et fortitudine, et propter hanc infr. v. 86. Pindarus etiam αἰχματαῖσι posuit. Vid. Boeckh. — Vocem δύςηρις, a Boeckhio repositam, non repugnare analogiae, docet nomen proprium Δύςηρις, de quo Iacobs. Lectt. Stobens. p. 50. Sensus: Etsi non contentiosus sum nec rixosus, hoc quidem acriter defendam et vel iureiurando interposito affirmabo. Utitur graviore formula, ut in magna laude et quum obtrectatores virtutum Agesias haberet; cf. Ol. II, 92. — ἐπιτρέψοντι, permittent, ut vel iuratus hoc ei testimonium dicam, quia nempe res verissima est. Non permitterent, si mendacium esset.

V. 22 — 70. De origine mythica Iamidarum et de facultate vaticinandi ab Apolline iis tributa. — Prima origo Pitana erat ad Eurotam; quare quum eo nunc animo proficiscendum sit, utitur poeta commento ornatissimo, ut in illustri causa. De curribus metaphoricis poetarum vide praeter Boeckhium quos laudat Näckius ad Fragm. Choeril. p. 109. Hic mihi Pindari ratio consideranda. Ac Pindarus quidem Musarum currum Ol. IX, 81. et Isthm. VII, 62. propter Troianas fabulas adhibet, Isthm. II, 2. propter victorias curules Xenocratis Agrigentini, Pyth. X, 63. propter

Aleuadarum regiam stirpem. Pertinet igitur haec magnifica metaphora, ut par est, ad heroes et regias gentes ab heroibus ortas et equestribus studiis deditas, atque errant vehementer qui promiscue eam a Pindaro usurpari opinantur, monente etiam Boeckh. ad Fragm. p. 615. Hoc loco omnino non utitur Musarum curru, quia regalis metaphora non conveniebat huic genti, licet clarae; sed ingeniose Agesiae mulas victrices substituit. Quae res et ipsa magnifica, simul tamen explicanda et excusanda erat, quoniam alias poeta, si currum adscendit, non tali, sed divino Musarum curru utitur. Atque ita perspicitur forma huius loci. — V. 22. Φίντις, Siculum aurigae nomen pr. Φίλτις, comitabatur hic rhedam, quam tamen in Olympico certamine Agesias ipse vexerat. — σθένος ἡμιόνων ut σθένος ἵππιον Pyth. II, 12. Alia Tafel. addit. — V. 23. κέλευθος est via poetica, cf. Nem. VI, 47. 56. Isthm. II, 33. III, 19. Nunc ad maiores Agesiae. καθαρά nolo expeditam s. non silvestrem vertere, licet alibi ἐν καθαρῷ de vacuo et aperto loco dicatur. Sed non placet: celeriter iunge mulas, ut in via celeriter conficienda eas ducamus. Immo est illustris, praeclara via, ut Isthm. IV, 23. — Nunc causam, quare his mulis uti velit, affert hanc, quod, quum hodie in tempore ad Eurotam esse debeat, hae viam optime noverint. Nempe laus maiorum de more canitur in his hymnis; hanc nunc excitarunt s. monstrarunt muli, consequuti victoriam domino, hymnoque sic parato. — V. 25. ἐξ ἀλλᾶν, cf. laudata ad Soph. Oed. Col. 738. ed. Heller. et Doederl. — V. 26. στεφάνους, Agesiae haud dubie, cf. Pyth. III, 73. 4. Ol. II, 50., licet ipsae etiam coronatae essent. — V. 27. χρὴ τοίνυν seqq. Sensus: quare par est, ut intrent in poesin, monente etiam Boeckhio, h. e. ut ad usum poetae adhibeantur tanquam animalia poetica. Ceterum conferunt Fragm. Bacchyl. p. 22. ed. Neue, οὐδὲ γὰρ ῥᾶστον ἀῤῥήτων ὕμνων πύλας ἐξευρεῖν, unde simul liquet metaphoram dici de re plerisque clausa nec cuivis patente, ut nunc his quidem mulis permittitur honor introitus, sed non quibusvis. Alienus Eurip. locus Med. 1314. et quae praeterea Tafel. affert. Melius conveniunt quae Boissonadius ad Eunapium habet Annott. p. 392. laudatus a Karstenio. — V. 28. Pitana locus antiquus, post Doriensium adventum pars Spartae in occi-

occidentali latere, quum πόλις circumdata esset κώμαις ei adhaerentibus. Vid. Müller. Histor. Dor. P. II, p. 51. Hoc loco est nympha loci, filia Eurotae, cf. Schol. 46. — ἐν ὥρᾳ, Herod. 1, 31. — V. 30. ἰοβόστρυχον, iam hic alludit ad Iamidarum nomen. — κρύψε, dissimulavit. ὠδῖνα, fetum, Aesch. Ag. 1410. Eurip. Iph. T. 1102. — V. 31. κόλποις, non vestitu virginali, sed in utero usitatissima significatione, vid. Callim. H. in Iov. 15., in Dian. 25., in Del. 214. ibiq. Spanh. — V. 32. κυρίῳ, mense ad partum natura constituto, h. e. decimo ex veterum ratione. κύριος de tempore, quo quid eventum habere debet, illustratur a Boeckhio et Tafelio. — Porro nota masculinum ἀμφίπολος, quum vulgo de feminis sit vox. — V. 33. πορσαίνειν, curare. — Εἰλατίδᾳ. In confiniis Arcadiae et Messeniae prope Andaniam fuit Aepytis, cf. Müller. Hist. Dor. I, p. 99., s. ditio Aepyti nobilissimi regis, Elati filii, Pausan. VIII, 4. — V. 34. Phaesana igitur in meridionali Arcadia fuit ad superiorem Alpheum. — λάχε, sortitus ad habitandum, ut alias, veluti Callim. in Del. v. 14. — V. 35. ἔνθα seqq., ubi educata Euadna compressa est ab Apolline. — ἔψαυσε, cf. de ψαῦσαι, ἅψασθαι γάμων, εὐνῆς θιγεῖν Monck. ad Eurip. Hippol. v. 14. Valcken. ad Phoen. 953. collat. Porson. v. 949. Infr. Pyth. IV, 92. φιλοτάτων ἐπιψαύειν. Ceterum Müller. Hist. Dor. 1, p. 253. non valde antiquam habet hanc fabulam; illud liquet habitasse olim in hac urbe Aepyti Iamidas. Quaeras porro, cur Euadnam Pitanae filiam fecerint et quodnam commercium inter Pitanam et Aepytum fuerit. Sed hoc incognitum. — V. 36. ἔλαθε-κλέπτοισα, cf. Matth. Gr. p. 1082. — πιέσαις, premens, celans, cohibens, ὀξείᾳ μελέτᾳ, acri studio, studiose. ὀξείᾳ propter irae magnitudinem, ut recte monet Karsten conferens Virg. Aen. IV, 332. — οὐ φατόν, magnum, cf. Isthm. VI, 37. — V. 38. περ᾽ aeolice pr. περί — ἀτλάτου, Nem. I, 48. — V. 39. φοινικόκροκον, intextam trama punicei coloris, cf. Spanh. ad Callim. in Apoll. 83. Ac zonam a parturientibus deponi vid. Callim. in Iov. v. 21. in Del. 209. ibiq. Spanh. — V. 40. κάλπιδα, cum qua exierat quasi ad aquam hauriendam pro istius aevi simplicitate, cf. Hom. Od. VII, 20. Hymn. in Cerer. 105. —

ἀργυρέαν propter opulentiam regiam, cf. Philostr. Imagg. I, 8. et Obs. Miscell. V, p. 306., quae laudat Boeckh. — κυανέας, propter densitatem dumeti. Ceterum de voce cf. Beckmann Hist. Invent. T. IV, fasc. III, p. 346. Boettig. Vasengemählde Tom. II, fasc. II. Blomfld. ad Aesch. Pers. 83. — V. 41. θεόφρονα, vox de Cadmo in Thebaid. Cycl. cf. Wolf Odyss., nunc quum vates puer futurus esset. — Χρυσοκόμας Ol. VII, 32. Isthm. VI, 49. Pyth. II, 16. — πραΰμητιν, mitem, lenem animo, quippe dolores lenientem. — Μοίρας, nam praeter Lucinam etiam Parcae operam praestant in partu, inprimis insignis pueri; cf. ad Ol. I, 26. Nem. VII, 1. Spanh. ad Callim. in Dian. 22. Eurip. Bacch. 102. Denique pro Ἐλευθὼ συμπαρέστασεν, συμπαρέστασέν τε Μοίρας positum est hoc brevius dicendi genus Graecis Latinisque poetis usurpatum, in quo verbum semel idque in principio secundi membri collocatur; cf. Tibull. I, 3, 56. I, 4, 2. — V. 43. ὑπὸ σπλάγχνων, ex utero matris, Nem. I, 35. Matth. Gr. p. 1186. ὑπ᾽ ὠδῖνός τ᾽, et ex doloribus partus, ut ὠδῖνα φεύγων Nem. I, 36. Quare hic ἓν διὰ δυοῖν dictum pr. ὑπ᾽ ὠδῖνος σπλάγχνων s. ὑπὸ σπλάγχνων ὠδινούντων. — ἐρατᾶς propter maternam caritatem, cf. Eurip. Iphig. Aul. 922 laudatum Karstenio. Suaves sunt tales coniunctiones oppositarum notionum sive oxymora, et saepe usurpatae. — V. 44. αὐτίκα, facili partu, auxiliantibus diis. — κνιζομένα, anxia et sollicita, quod recens natum relinquere cogebatur; cf. Eurip. Ion. v. 975. — V. 46. δράκοντες, duo in custodiam dati etiam Eurip. Ion. v. 23. Nunc quod puerum nutriunt, simul omen est de futura vaticinandi facultate eius, quum et ipsi fatidici essent, cf. Boeckh. ad h. l. et Spanh. ad Callim. in Del. 91. — γλαυκῶπες, fulgentibus oculis, quae natura est eorum, ut ex Physicorum libris notat Tafel. — V. 47. ἰός, ait Boeckhius, proprie est missile, hinc id quod ore vel aculeo animalia emittunt, quod serpentium venenum, apum mel est. Quum autem draconum ἰὸς perniciosus sit, nunc suaviter addit ἀμεμφεῖ, licet etiam μελισσᾶν adsit. Idem notat cum Schneidero respici morem Graecorum infantes melle alendi; atque etiam ad vaticinium spectare mellis usum, coll. Hom. Hymn. in Merc. 560. — V. 48. πετραέσσας, in rupe sitae, legitimum epitheton. — V. 49. γεγά-

κειν, cf. Buttm. Gr. Gr. ampl. I, p. 366. II, 97. Thiersch. Gr. Gr. §. 217. — V. 50. ἐπιχθονίοις, notus dativi usus, Hom. Il. VI, 477. Od. I, 71. — V. 53. ἐν pertinet ad σχοίνῳ, cf. Boeckh. Nott. critt. Ceterum in scirpo palustri cubat etiam Ulysses Hom. Od. V, 463. Euadna autem ad ripam fontis exierat. — ἀπειράτῳ, intentato, inaccesso, non pervio, utpote denso; cf. Boeckh. Nott. critt. ad h. l. — V. 55. βεβρεγμένος, perfusus, oppletus, quemadmodum Pindarus adeo σιγᾷ βρέχεσθαι dicit Fragm. incert. 166. Lucret. II, 820. coloribus omnigenis perfusa. add. eund. libr. V, 594. Tafel., ceterum multa etiam aliena afferens, laudat Empedocl. v. 71. Sturz. — ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι, intelligendum videtur Λευκόϊον, ut Tafel. monet, quos flores nos Levkojen et Goldlack nominamus, cf. Voss. ad Virg. Eclog. II, 47. — V. 56. τό, propterea, Hom. Il. III, 176. — κατεφάμιξεν, h. e. pronuntiavit faustum verbum; nam: „divulgavit tanquam famam aliquam,“ ut multi explicant, incommodum est. φημισμὸς apud Suidam est φήμη. ἐπιφημίζεσθαι cum substantivo ἐπιφήμισμα significat boni aut mali ominis verba alicui dicere, tum bona aut mala imprecari, cf. Herod. III, 124. Thucyd. VII, 75. Ac φημίζειν et φημίζεσθαι est nomen dare, cf. Euphorion. Fragm. 56. Meinek. et Nonn. Dion. IX, 23. Nam veteribus nomina omen habere visa, ut monent hic et alibi interpretes; vid. praeter Pind. Isthm. V, 51. exempla multa apud Gurlittum h. l. et apud Elmsleium ad Eurip. Bacch. 508. et Meineke ad Euphor. p. 128. et cf. peritam Hermanni notam ad Soph. Aiac. v. 425. Atque inde etiam nostri loci tota vis pendet. Quod enim sub violis iacuit puer, pulcrum quidem, sed tamen manifesto inane est, si nullam vim habuit in gentis fortunam. Quid igitur inest in Iami nomine? Ego considerans Pindari verba οὐδέ ποτ᾽ ἐκλείψειν γενεάν et καλεῖσθαί μιν χρόνῳ σύμπαντι τοῦτ᾽ ὄνομ᾽ ἀθάνατον, video perennem florem laetissimum gentis indicari, quum viola a primo vere efflorescat (Theophr. Histor. Pl. VI, p. 217. Schneid.) et eximio quodam vigore inter flores distincta sit. Sic igitur faustissimo nomine ornata gens iuvenilem vitam habet; floruerunt et olim mythico tempore, et nunc Agesias praeclaris virtutibus aeternum hunc vigorem comprobat. Quae

est summa carminis. Ceterum non inepte suspicaberis Iamidas etiam in his epiniciis leucoio coronatos fuisse; erat haec viola inter praestantissimos flores coronarios, cf. Iacobs. Delect. Epigr. Gr. p. 230. cf. Theocr. VII, 64. Anthol. Pal. libr. V, nr. 147. — V. 57. καρπὸν Ἥβας, pubertatem, maturitatem. Pyth. IX, 113. Add. δῶρα Ἥβας Eurip. Alc. 300. ibiq. Wüstem. — χρυσοστεφάνοιο, iam Hesiod. Theog. 17. — Ἀλφεῷ μέσσῳ καταβάς, quum in mediterraneo loco mare non haberet, descendit in fluvium, ut melius audiretur a Neptuno, cf. Ol. I, 71. — V. 59. σκοπόν Ol. I, 54. θεόδματος saepe de urbibus auxilio aut tutela deorum conditis, nunc de insula divinitus in mari constituta, ut Fragm. Prosod. nr. 1. — V. 60. λαοτρόφον τιμάν, munus, dignitatem aliquam publicam, quae augeat res populi s. populo utilem. Cave vero ex Schol. cum quibusdam βασιλικὴν ἀρχήν credas postulatam. — ἐᾷ κεφαλᾷ, cf. Ol. VII, 67. Hesiod. Scut. 104. — νυκτός, vid. Ol. I, 71. et Schol. vet. 104, nostr. loc. — De ὑπαίθριος cf. Blomfld. ad Aesch. Prom. v. 113. Lobeck. ad Phrynich. p. 251. — V. 61. ἀρτιεπής, diserta, nunc oppositis ominibus obscuris, cf. Boeckh., qui affert Hesiod. Theogn. 29. Pind. Isthm. IV, 51. — V. 62. μετάλλασεν Boeckh. in Nott. critt. cum Schol. interpretatur ἐφιλοφρονήσατο, comiter amplexa est. Buttm. Lexil. I, p. 140. desiderans exempla huius significationis cum Heynio malit: alloquutus est; sed ieiuna hic talis verbositas. Herm. ad Vig. p. 936: ἐζήτει τὸν Ἴαμον, κελεύων ἐλθεῖν μετ᾽ αὐτοῦ, quaerimus enim, ait, quem volumus ad faciendum quid adhibere. Opponit Boeckhius, praesentem a praesente non posse quaeri. Tafelius recte monens noctu rem geri, male tamen infert: Pater dicit, ubi es, fili, comparato Iudaeorum deo. Ego ita censeo: Non proxime adstat Apollo nec manu ducit Iamum, sed per intervallum licet non permagnum alloquitur. Quidni igitur haec vox, per noctis tenebras tendens ad filium dilectum, dici possit quaerere eum? Mihi hoc ut simplicem ita suavem amoris paterni significationem habere videtur; idemque sensisse suspicor Scholiastam et Boeckhium, nisi quod in verbo per se quaerunt quod in re inest. — ὄρσο, τέκνον, Il. X, 89. — πάγκοινον ob futuros conventus. Ol. III, 17. — V. 64. ἁλίβατον, arduum, cf. Buttm. Lexil. II, p. 176. —

V. 66. τόκα μέν, interim per aliquod tempus. μαντικὴν proprie dictam ibi exercet, quae fit per inspirationem dei s. per vocem Apollinis veridicam. Vide de hoc genere Müllerum nostrum Hist. Dor. I, p. 340. — V. 67. ψευδέων ἄγνωστον, ἀψευδῆ, Mitsch. ad Horat. 1, 6, 6. Apollo nec fallit nec fallitur. — εὖτ' ἂν-κτίσῃ, quum sequatur κέλευσεν, dictum ut in re vere futura, non cogitata tanquam quae possit aliquando accidere. Cet. cf. Rost Gr. Gr. §. 122. annot. 4. — θρασυμάχανος ἐλθών, post devictum Cleatum, Eurytum, Augiam, cf. Ol. XI. — Ἀλκαϊδᾶν. Amphitryo est filius Alcaei, unde Hercules e familia Alcidarum, splendidius pro patre nominata familia s. gente, cf. ad Ol. IX, 56. Pyth. II, 25. — V. 69. ἑορτάν, h. e. βουθυσίαν, cf. Ol. V, 6. — τεθμόν, institutum ludorum, ut solet ubique nominare utrumque coniunctim, sacrificia et ludos. — V. 70. ἐπ' ἀκροτάτῳ βωμῷ. Constabat ara Iovis maxima duabus partibus; inferiori impositum erat altare minus, in quo victimae crematae, unde oracula edebantur, cf. Pausan. V, 13, 5. et Boeckh. h. l. — κέλευσεν suaviter mutata oratione post ὤπασεν ἀκούειν. Post condita igitur Olympia e sacrificiis respondere iussit deus, cessante fere tunc ibi priore genere vaticinationis. Sic Thebis in Ismenio prius μαντικὴ exercita fuit, deinde ἐμπυρομαντεία, cf. Müller. Dor. I, p. 235. Omnino Apollinea μαντικὴ proprie dicta inprimis floruit antiqua aetate; succedente tempore extra oracula rarius exercita videntur. Praevalebat tum vaticinatio e sacrificiis, flamma, cinere, aliisque rebus, atque etiam Iamidae tum his maxime generibus operam dedisse videntur, licet olim traditum ab Apolline etiam vocis divinae intellectum haberent.

V. 71 — ad finem. Redit ad Agesiam eiusque victoriam, tum praecipit quae praeterea ad hunc diem sollemnem celebrandum canenda sint, et carmen absolvit cum votis. — V. 71. Hermannus malit iungere ἐξ οὗ ἕσπετο, collat. Nem. X, 37. Sed prima, ni fallor, est famae celebritas ex arte vaticinandi et dignitate collata, secundo loco nominantur opes ceteraque commoda. Quare servo interpunctionem post Ἰαμιδᾶν. De Asyndeto vid. Excursum. — V. 73. φανερὰν ὁδόν, illustrem, gloriosam. — Ceterum hi versus ut claudunt locum de Iamidis, sic praeparant reditum ad Agesiam, de quo

nunc. — τεκμαίρει χρῆμ᾽ ἕκαστον, probat res quemque, h. e. probant nostra ipsorum facta quales simus, non aliorum obtrectationes. In sequentibus igitur v. 74. ἄλλων (quod simul contemtum involvit (ut Nem. IV, 39.), vim habet, et habere debere mihi videtur, ne ieiunum sit, quare laudo ἐκ δ᾽ ἄλλων, quod est noto usu pro ἐξ ἄλλων δέ dictum, ut etiam γέ, μέν, τέ saepe inter praepositionem et nomen collocata leguntur. Veritas, ait, in nostris ipsorum factis posita; obtrectatio vero ab aliis oritur propter invidiam, si quis duodecimum cursum primus absolvens iamiam fulget spe victoriae propinquae. — κρέμαται, cf. Theogn. v. 1186. — περί iunge cum ἐλαυνόντεσσιν. — δωδέκατον, cf. Ol. III, 33. Tum Χάρις dea est, quae victoriam dans (cf. Ol. II, 50.). ποτιστάζει, docore quasi unguento perfudit, ait Boeckh., et pulcriorem reddit formam certatoris gestientis. Verba elegantissima, inprimis apta, si etiam per se pulcher erat Agesias, quod suspicor. Vides autem agi de ultimo certaminis tempore, ubi maxime ardebant spectantium amicorum, inimicorum studia et odia. Tum igitur Agesias iam ad finem properans, expertus erat iniquas invidorum voces, qui immerito, non virtute, eum vincere clamarent. Videntur hi, ut Boeckhius iudicat, maxime cives Syracusani fuisse, Olympiae praesentes, iam tum irati ei, quem postea interemerunt. — V. 77 seqq. ne dubita continuari defensionem Agesiae. Dicit: Et si vere olim materni avi Mercurium coluerunt, huic et Iovi potentissimo debes victoriam, non casui felici aliisve rebus ab inimicis iactatis. Μάτρωες, quinam? Ut Iamus pater Iamidarum, sic uxor Iami mater eorum, atque huius feminae gens mihi videntur nunc avi materni dici, sub Cyllene olim habitantes et Mercurium Cyllenium (Pausan. VIII, 17, 1.) colentes, dubia tamen fama propter vetustatem. — V. 78. ἐδώρησαν, Hes. Theogn. 71. cf. Schaef. ad Gnom. edit. Lips. p. 216. Nam apud posteriores obsolevit fere activum. — λιταῖς, λιτανευτικαῖς, cf. Hesych. Pind. Pyth. IV, 217. Aesch. Agam. 232. — πολλὰ δὴ πολλαῖσιν, Lobeck. ad Soph. Ai. p. 366. — ἀγῶνας ἔχει, ἐναγώνιος Pyth. II, 10. ἀγώνιος Isthm. I, 60. Mitscherl. ad Horat. I, 10, 3. — μοῖραν ἀέθλων fortunam certaminum, aut sortem praemiorum, coll. Isthm. III, 10. — V. 80. τιμᾷ, favet. — εὐτυχία de ludicris victoriis notum, ut

Nem. I, 10. Ol. VII, 81. — V. 82 seqq. Accedimus ad locum difficiliorem, tumidum visum non Boeckhio, at Heynio aliisque plurimis, quo magis intentis viribus annitendum est, ut veram mentem poetae perspiciamus, qui nihil molitur temere. — Orditur: Sensum habeo cotis stridulae in lingua, qui volentem me impellit ad pulcrifluos cantus. δόξαν ἔχω h. e. δοκεῖ μοι εἶναι ἐπὶ γλώσσᾳ. Noto usu dicitur acui lingua (Cic. Brut. c. 97. d. Orat. III, 31.), ὀξύνεσθαι γλῶσσα, στόμα, add. στομοῦν Aristoph. Nub. 1102, 4. στόμωσις Soph. Oed. Col. 795. frequenti oratoribus translatione, cf. Reisig. l. cit. et Wyttenb. ad Eclog. Hist. p. 425. Differunt usu γλῶσσα τεθηγμένη, λόγοι τεθηγμένοι, similia, pr. iratis, cf. Valcken. ad Hippol. v. 689. Vide tamen alias loquutiones ad Ol. XI, 20. Nunc Pindarus ἀκόναν in lingua fingens λιγυράν, h. e. qualis sonus editur quum ferrum acuitur, eximie significat esse quo maximopere excitetur ad novos cantus ordiendos. — πνοαί, cantus, proprie flatus sonantes vocis, cf. ἀδύπνοος Ol. XIII, 22. Isthm. II, 25. Pyth. IV, 11. Anacreon VI, 9. μελίπνοος Tryphiod. 429. Iam si teneas προςέρπει, vertendum: quae δόξα mihi adrepit volenti inter pulcrifluos cantus pr. dum cano, inutili ornatu. Ego cur προςέλκει praeferam et intelligam cantus ad quos trahatur, quos mox ordietur, infra patebit clarissime. Primum vero nunc de cote videndum est, quid acuat linguam. Respondet poeta: Avia mea Metopa Stymphalis est. Ergo cogitatio cognationis Thebarum et Stymphali nunc est cos in lingua excitans eum ad novos cantus. Fuit autem Theba filia Asopi, in Boeotia fluvii, et Metopae Stymphaliae, vid. Schol. h. l. et Isthm. I. 1. Et cf. ad Nem. IV, 9 seqq. Metopa vero, Ladonis Arcadiae fluvii filia, dubitatur utrum fluvius s. rivus an lacus apud Stymphalum fuerit. Nobis cum Müllero Hist. Dor. II, p. 439. lacus videtur. Huius ripae floridae fuisse videntur, unde etiam dea florida, εὐανθής est s. pulcritudine florens. Ladon vero si influebat in lacum, commode pater lacus dictus est. — ματρομάτωρ, de compositis e μήτηρ in τωρ semper desinentibus cf. Blomfld. ad Aesch. Prom. v. 90. — V. 85. πλάξιππον, dicit Thebam heroinam propter civium morem; ut enim heroico tempore Καδμεῖοι κέντορες ἵππων Hom. Il. IV, 391. et Βοιωτοὶ πλήξιπποι Hesiod. Scut. 24., sic postea

curulia certamina magnopere amabant, cf. Pyth. II. Isth. I. Saepe Thebae εὐάρματοι, πολυάρματοι, χρυσάρματοι, cf. Boeckh. h. l., qui simul monet, additum hic epitheton propter rhedam Agesiae, ut his quoque studiis similes Thebas diceret. — τᾶς-ὕδωρ πίομαι, cuius aquam Dircam bibo, ubi habito. cf. Pyth. IX, 88. Mitscherl. ad Horat. II, 20, 20. De πίομαι praesente cf. Buttm. Gr. Gr. ampl. T. II, p. 216. — πλέκων ut coronam, cf. Horat. 1, 26, 6. ibiq. Interprett. Iacobs. Anthol. Gr. V. 1. P. 1, p. 2., qualem nunc Agesiae victori bellicoso. Nam quum ludorum victores non omnes αἰχματαὶ sint, nunc αἰχματαῖσι accommodatum est praesentibus rebus et personis, quoniam Agesias bellicosus erat Arcadesque. — V. 87 seqq. Vidimus quid linguam Pindari acuat; nunc accedimus ad alterum, ad cantus quos canere vult. — Aeneas est Agesiae cognatus aliquis Stymphalius, qui Thebas missus acceperat a Pindaro quae cecinisset, ut Stymphalum ferret et chorum (ἑταίρους) ibi doceret. Vid. Boeckh. — Iuno Parthenia est Stymphalia, ubi illi tria fana et nomina; appellabatur παῖς ut virgo, quam nunc Virgineam Iunonem poeta dicit, τέλεια ut matrona, χήρα ut ab Iove segregata, cf. Pausan. VIII, 22, 2. Optime de virgine Iunone exponit Welcker. Addend. ad Schwenck Etymol. — Mythol. Andent. p. 279. — γνῶναι, videre num, experiri num. — V. 90. εἰ-φεύγομεν, cave pro coniunctivo accipias. Immo non nunc primum refutatur vetus opprobrium, sed diu iam refutatum erat Pindarica maxime poesi. Quare sensus: Experiantur num verum sit quod dicitur, fugere nos, non amplius cadere in nos istud opprobrium. De ipso autem proverbio Βοιωτία ὗς cf. Schol. et quos laudat Boeckh. Sed nunc gravior oritur quaestio, quid haec omnia sibi velint, quam, quod doleo, Boeckhius non tetigit. Priora fortasse sic accipias, ut Heynius: Age canamus h. e. meminerimus nunc hoc carmine etiam Iunonis; ita ut haec verba simul sint pro laude, quam cani iubeat, nec quidquam praeterea dicatur. Tum sequentia de opprobrio Boeotorum videntur plerique sic intellexisse, chorum hoc epinicio carmine bene canendo et saltando illud removere debere. Sed tu vide, quaeso, nexum. Carmine fere absoluto ait: impelle nunc socios, ut primum Iunonis in carmine meminerint, deinde ipsum carmen bene

recitent; tertium Syracusas laudent! Nihil novi ineptius. Ne multa! nonnisi unam viam video ex his difficultatibus, si Pindarus praeter hunc hymnum duo alia carmina fecit. Nempe carmine epinicio ad finem tendente praecipit de ceteris, quae ad hunc diem ornandum miserat, quemadmodum Nem. IX. in fine encomium nuntiat post hymnum epinicium canendum. Opportune Schol. v. 149. narrat, τινὲς δὲ τὸν Ἀγησίαν φασὶν ἱδρύσασθαι ἄγαλμα Ἥρας, quod Boeckhio non fictum videtur; nec per se improbabile est Agesiam urbem patriam visentem Iunoni statuam dedicasse, fortasse votam ante victoriam. Hinc priora verba equidem accipiam de ἐνθρονισμῷ ab ipso facto, si ἐνθρονισμοὶ fuerunt carmina canenda quum deorum statuae dedicarentur, cf. Boeckh. ad Fragm. p. 556. Nempe hymnus epinicius canitur Iovi Olympio; post hunc Iunoni poterat cani ἐνθρονισμός, pompa ducta in eius templum. Cantato vero ἐνθρονισμῷ redibant in domum, ubi epinicia habebantur, ut ibi inter pocula continuaretur comissatio ludicra. Atque huc spectat alterum, γνῶναι τ᾽ ἔπειτ᾽ seqq. Canebantur autem in talibus comissationibus encomia et scolia, cf. Boeckh. ad Fragment. p. 605 et 614. Quorum licet etiam encomia hilariora essent hymnis epiniciis (cf. Nem. IX fin.), tamen ad istud proverbium refutandum de insulso et inficeto Boeotorum ingenio (hoc enim profecto significat Βοιωτία ὗς) nihil concedes fuisse aptius scoliorum dulcibus et ingeniosis facetiis, quibus Pindarum excelluisse Fragmenta pulcherrima docent et Boeckhius meus annotavit ibid. p. 607. Quare iam dico cum ἐνθρονισμῷ etiam scolion a Pindaro missum. — ἄγγελος ὀρθός, bonus internuntius, qui docebis chorum prouti praecepi. — V. 91. De scytales usu apud Spartanos in mandatis mittendis cf. Gell. N. Att. XVII, 9. Plutarch. Lysandr. c. 19. adde quos laudat Libel. ad Archiloch. p. 166. ed. sec., quum etiam ille σκυτάλην pr. nuntio dixerit. Nunc carmina quidem literis perscripta erant opinor, sed alteram rerum partem, cantus, instrumentorum, saltationis modos animo tenebat Aeneas a Pindaro doctos, quemadmodum literarum in loro scriptarum nullus usus sine scytale. Sic scytales nomen hic significantius est, nec mera repetitio vocis ἄγγελος. — κρητήρ, h. e. ut vinum in cratere temperatur, sic Aeneas carmina modis musicis admiscendis temperare debet,

ut suavis potus sit. A convivio, quod habebatur, comparationem petitam notat etiam Boeckh. ad Fragm. p. 614. — ἀγαφθέγκτων, ut sunt clarisoni cantus inter pocula. — Tam intentae laudes ad idem redeuntes mirae profecto videri debent, si nonnisi epinicium hymnum attulerat Aeneas; at sunt aptissimae si praeter hunc hymnum etiam ἐνθρονισμὸν et scolii facetos modos docere debebat. Atque ita tandem patefacta est insignis pulcritudo totius loci; vides quaenam sint καλλίρροοι πνοαί, ad quas trahebatur, nec miraberis amplius cotem stridulam in lingua. Concidit omnis tumoris accusatio. — V. 92. εἰπὸν δὲ seqq. Dices nunc etiam quartum carmen indicari a poeta factum; sed hoc non verum. Quum Syracusarum mentio honoris causa facienda esset, hortatur Pindarus, ut deinde etiam huius urbis recordentur in cantibus suis, et quidni fecerint, quum haud dubie alia multa in illa comissatione canerentur. Sed sive fecerint, sive non fecerint, Pindarus quae de hac re dicenda habebat manifesto statim hic addit. Quare quum de Iunone et de scolio dixisset brevissime, hunc locum explicatius tractat. — Ὀρτυγία insula erat Syracusarum nobilissima pars, ubi haud dubie Hieronis regia erat et fortasse etiam Agesiae domus, quod ibi primi conditores habitaverant. Vide Boeckhium, qui addit ibidem etiam Cereris et Liberae templum videri fuisse, cuius sacra gentilicia a Teline propagata peragebat Hiero, de quibus praeter Boeckhium confer etiam Müller. Hist. Dor. I, p. 400. — V. 94. φοινικόπεζαν, quum pedes laudentur alii e candore, alii e rubore, Cereri rubicundi pedes tributi, Boeckhio aliisque iudicibus ob rubicundum frumenti colorem. — V. 95. λευκίππου, diis ad principum morem equi candidi dati, unde talibus etiam Proserpina ad patrem Iovem vehitur; vid. Boeckh. et Schol. Porro Iovis Aetnaei sacerdos Hiero inde ab Aetna condita. Ceterum apte in carmine in Arcadica urbe canendo Hieronem Cereris et Proserpinae sacerdotem praedicat, quum plurimus esset harum dearum cultus in Arcadia; nec minus concinne Iovis Aetnaei sacerdotium addit, quum in Aetnaea sollemnitate ex Hieronis decreto iterum canerentur carmina epinicia civium, qui in certaminibus στεφανίταις vicissent, cf. Schol. ad Nem. I, 7. Quare si etiam hoc carmen alio tempore ibi repetendum erat, hac quoque de causa necessaria fuit

Sicularum rerum mentio. — V. 97. γιγνώσκοντι, Ol. VII, 83.; scilicet ornabatur a poetis quibuscum versabatur, ut Pindarus ei tres Pythias odas, unam Olympicam, et scolion et hyporchema scripsit. — θραύσαι, conferunt Eurip. Herc. fur. 776. et Cic. de Orat. III, 2. — σὺν δὲ φιλοφροσύναις, atque gratissimus videtur fuisse Hieroni Agesias. — κῶμον, pompam Agesiae Syracusas sollemniter introeuntem. — V. 99. οἴκοθεν οἴκαδε, proverbialis loquutio de eo, qui duas domos habet et ab una in alteram venit; cf. Ol. VII, 4. — V. 100. ματέρ' Ἀρκαδίας Gedikius et Hermannus Arcadicam Agesiae matrem s. patriam intelligunt, Boeckhius metropolin Arcadiae Stymphalum dici censet cum Schol., si, variantibus in talibus fabulis, Pindarus elegerit id, quod Stymphaliis gratissimum. — δύ' ἄγκυραι, altera e prora, altera e puppi demissa; cf. ad proverbium Stob. Sermon. CX, 22. οὔτε ναῦν ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ὁρμιστέον. Propert Lachm. III, 14, 41. Addit Karsten ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν Aristid. Panathen. T. I, p. 110. Iebb. cf. Eurip. Phaethon. Fragm. VI. Beck. Item Solonis dictum Plutarch. in Solon. c. 19. Denique cf. Blomfld. ad Agam. 488. Sententia prudentissima, quum iam tum invidia laboraret Agesias ob Hieronis amicitiam. Lenius vero et suavius rem tristem per metaphoram significat; cf. Ol. VII fin. — V. 102. τῶνδε κείνων τε, h. e. deus horum (Stymphaliorum, apud quos nunc canitur) et illorum (Syracusanorum) sortem felicem exhibeat. — Neptunus invocatur, quum reditum pararet Agesias per mare Siculum. Quod enim nonnulli πλόον metaphorice vitae cursum intelligunt, alienum est. εὐθύν, felicem. — χρυσαλακάτοιο, aurea colo instructae, mulierum negotiis ad deas traductis. cf. Boeckh. Ceterum apte memoratur dea, quae cum Neptuno et alibi colebatur et in Isthmo Corinthio (Pausan. II, 1, 7.), unde Agesias in Siciliam profecturus erat. Omnino Amphitrite magna dea, vulgo ipsius maris personam gerens, unde κύματα Ἀμφιτρίτης dicuntur (Hom. Od. III, 91.) non Ποσειδάωνος, eademque dicitur κήτεα maris alere (Hom. Od. V, 422. XII, 97.) quod non tribuitur Ποσειδάωνι. — ὕμνων ἄνθος, Ol. IX, 48. Bacchyl. ed. Neue p. 19. — Ceterum et ἀέξειν et αὔξειν Pindaricum, Homerus ἀέξειν tantum habet.

Carmen Olympicum septimum.

INTRODUCTIO.

Victoria haec Diagorae Rhodii, pugilis longe celeberrimi, Ol. 79, 1. reportata est, nec diu post carmen scriptum. Quum enim Pindarus dicat *σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν* v. 13., videtur Diagoras, quum rediret, carmen a poeta sibi missum secum tulisse, si forte post victoriam paullo diutius in continenti moratus erat. Fuit autem Diagoras e nobili Heraclidarum stirpe. Etenim tertia a Temeno aetate Argis Doriensium colonia per Epidaurum in Rhodum migraverat, quam expeditionem qui duxerunt Heraclidae a Tlepolemo, filio Herculis, originem derivabant; unde postea ipsum Tlepolemum fabulae ducem coloniae ferebant. Occupaverant autem hi Heraclidae tria Rhodi oppida et triplex regnum constituerant; quorum qui Ialysi habitabant Eratidae dicti. Sed regia potestas cessaverat post Ol. 30., et Pindari aetate prytanes fuisse videntur. Talis erat, ut videtur, Demagetus, Diagorae pater, e familia Callianactis. Verum haec quoque dignitas verendum erat ne mox eriperetur iis, quum crescente Athenarum potentia iam tum fuisse videantur inter Rhodios et Athenienses qui de abroganda Heraclidarum potestate cogitarent et populare imperium institui vellent. Ac revera postea huius ipsius Diagorae filii ab Atheniensibus expulsi et ad mortem condemnati sunt; ex quo tempore Athenienses et Spartani diu de insulae imperio certarunt. Vide de his omnibus uberrime exponentem Boeckhium in Introductione, et adde Müller. Hist. Dor. T. I, p. 108. T. II, p. 147. — Carmen cantatum dico cum Boeckhio Ialysi in publico Eratidarum convivio, monstrante prooemio, in quo omnia a convivii comparatione petita sunt. Argumentum hoc est: Post prooemium laudesque praevias victoris et patris tres deinceps fabulae tractantur. Primum enim narrat originem gentis a Iovis nepote Tlepolemo esse, qui interfecto Licymnio ab Apolline iussus sit insulam petere, ubi aurum pluerit in natalibus Minervae. Sic ad secundam fabulam transit de Minervae cultu *ἀπύρῳ* ab Heliadis per errorem instituto, deque aureo Iovis imbre et

artis sollertia a dea iis impertita. Succedit tertia fabula de Sole et Heliadarum origine, ut Sol in distributione terrae a diis negligentia praeteritus, hanc insulam, tum nascentem e mari, postulaverit et acceperit sanctissimo iureiurando concessam, tum e nympha Rhodo Heliadas procreaverit conditores trium insulae urbium, postea ab Heraclidis occupatarum. Narratis his fabulis ad victorem rediens enumerat multas eius victorias, animique moderationem laudat, denique Iovem pro familiae incolumitate invocat, quum facillime res hominum mutari possint. Singula vidimus; restat, ut de interiore nexu eorum explicemus. Certum est et minime dubium summam carminis sententiam inesse in mythica parte. Quid autem haec docet? Docet mirabile fatum Rhodi, ex quo quae magna et eximia ornamenta huic insulae contigerunt, iis semper etiam casus quidam et errores iuncti fuerunt praeter voluntatem commissi. Condidit Tlepolemus Doricum imperium in insula, sed idem ante occiderat invitus Licymnium; contigit alio tempore Rhodiis aurea pluvia et artium sollertia, sed Heliadae quum cultum Minervae conderent, ignem omiserant; denique Solis honores insula suscepit, quum dii ante in sortitione terrarum hunc deum obliti essent: ut tria deinceps ornamenta videas et totidem admixtos errores. Hoc igitur fatum necesse est, opinor, nunc iterum redierit in Diagorae rebus, qui quum novum decus patriae reportaret victoriam Olympicam, factum videtur infelici casu, ut unus ex adversariis pugilibus gravius vulneratus moreretur. Quae quidem res quum per se tristis esset et odium parere posset Diagorae familiaque eius, Pindarus magnifico posito fundamento carminis, canit aeternum insulae fatum e decoribus et erroribus mirifice mixtum, et praesentem rem ad altiorem legem suam revocat; in quo agnoscent periti Pindaricam poesin. Primus igitur locus de Tlepolemo Licymnii interfectore proxime tangit recentem Diagorae casum et senties nunc omnem eius vim; sed ante Tlepolemum erraverant iam alio modo Heliadae, et ante Heliadas ipsi dii: sic pulcre sequens quisque error excusatur antecedenti, omnes autem coniunctim inevitabilem istam vim fati ostendunt. Hoc perspecto, in reliquo carmine quod poeta patris Demageti iustitiam laudat, et Diagoram ab omni insolentia alienum praedicat eique gratiam optat apud cives et exteros, mani-

festo eundem commendationis finem habet, ne qua invidia oriatur familiae ex illo tristi casu; *ὁ δ᾽ ὄλβιος, ὃν φᾶμαι κατέχοντ᾽ ἀγαθαί.* Ac periculosa tum erant tempora; videntur fuisse iam tum nonnulli et mox futuri erant plures, qui optimatium imperium populo invisum reddere conarentur; Pindari autem epinicia poesis quum plurimum delectetur gentium illustrium nominibus celebrandis et aristocratiae potius faveat quam democratiae, huius quoque praeclarae gentis fama et honos pro virili parte curandum censuit ne minueretur. Licet igitur propter antiquitates tractatas etiam Rhodi laudem dicere possis hoc carmen, quod postea publice perscriptum aureis literis in templo Minervae Lindiae habebatur in communi insulae urbe Rhodi, cf. Schol., tamen nunc omnia propter Diagoram eiusque familiam proposita vides, testante ipso Pindaro, *σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν ὑμνέων Ῥόδον, ὄφρα πελώριον ἄνδρα αἰνέσω πατέρα τε Δαμάγητον.* — Haec mea carminis explicatio non plane eadem est quam Boeckhius proposuit. Sequor Boeckhium in eo, quod familiae dominatricis causam agi censeo et in fine reipublicae turbas futuras significari suspicor, quas poeta praevidebat; sed fabulas Boeckhius aliter explicat, errores in iis propositos eo pertinere putans, ut Rhodii a mutatione reipublicae deterreantur. At enim si dehortari voluisset poeta, incommoda et detrimenta errorum exposuisset; nunc autem hi errores manifesto excusantur, ipso Boeckhio verissime notante. Concludo ego inde aut a Diagora aut a familia eius aliquid admissum fuisse, quod excusatione indigeret. Atqui si a familia aliquid admissum statuimus ante hanc victoriam in imperio vel alio modo, divellimus quod in fabulis propositis arcte coniunctum est, ubi singulis ornamentis singuli errores admixti sunt; atque in ipsa hac fatali decorum et errorum coniunctione inest haud dubie poetica vis universi carminis. Quae quum ita sint, ipsi victoriae Diagorae necesse est coniunctus fuerit casus aliquis molestus, atque ita redimus ad coniecturam a me propositam, quae simplicissima est, et nova luce perfundere videtur carmen praestantissimis annumerandum a Pindaro excogitatis.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Prooemium. Pindarus quid velit hoc carmine, vidimus. In tam illustri causa, unde felicius ordiaris quam ab ipsa praestantia laudis poeticae? Dicit: Ut quum phialam auream vino plenam socer genero futuro propinans, ita eum in praesentia amicorum invidendum reddit ob felix coniugium hoc dono promissum: Similiter ego in victorialibus conviviis nectar praebens Musarum donum victoribus exhilaro eos; ille vero felix est, qui bonam famam per carmina habet. — Ad stropham praemoneri debet: phialâ vino plenâ datâ in convivio praesentibus amicis desponderi solitas esse filias generis; cf. Athen. XIII, p. 575, d. cum Casaubon. notante Boeckhio. Tafel. etiam Sapph. Fragm. Athen. XI, p. 475, a. p. 79. ed. Neue huc pertinere suspicatur. — φιάλαν, cf. Schneid. ad Cyrop. I, 3, 9. — ἀπὸ χειρὸς ἑλών, e manu sumens dat genero. — ἀφνειᾶς, cf. ad Ol. VI, 8. — ἀμπέλου δρόσῳ, vino, quum δρόσος, ἔρση, ros apud poetas de quocunque liquore dicantur. Comparat Tafel. ἀμπελόεσσαν ἔρσην Nonn. Dion. XVIII, 125. XIX, 54. At Eurip. Orest. 115. οἰνωπὸν ἄχνην dixit vinum spumans. — καχλάζοισαν, aestuantem, spumantem, proprie de undis, cf. Valcken. et Monck. ad Eurip. Hippol. 1205. Blomfld. ad Aesch. Sept. 110. Veteres quum mustum in vasa clausa conditum aliquamdiu fermentari sinerent, orta sic spumantia eorum vina passim memorata, cf. Virg. Aen. I, 739. Athen. XI, 465, c. 471, c, d. al. cf. Henderson History of Wines pag. 68. — δωρήσεται. In re quae facta est, fit, fiet, recte etiam futurum tempus usurpari liquet. Vid. Matth. Gr. Pag. 954. Cet. cf. ad Ol. I, 7. — γαμβρῷ, futuro genero. προπίνων, propinans atque ita donans. Exemplum propinationis Boeckh. affert e Demosth. περὶ Παραπρεσβ. p. 384, 10. et vid. de verbo Boeckhii not. ad Schol. — V. 4. οἴκοθεν οἴκαδε, suavis formula de phiala, quae non in alienam domum venit, sed in eadem fere familia manet propter affinitatem soceri et generi; quem sensum formulae bene hic monstrat Scholiastes v. 6. cf. Ol. VI, 99. Imitatores notavit Schneid. ap. Boeckhium. — πάγχρυσον,

auro solidam. κορυφάν, Ol. I, 13. — V. 5. συμποσίου seqq., et convivii decus phialam et affinitatem honorans iunctam cum genero. — ἐν δέ, atque ita simul, cf. Blomfld. ad Aesch. Sept. 965. — V. 6. θῆκε, de hac suavi mutatione temporum in comparationibus constat ex Homero. — ὁμόφρονος εὐνᾶς, cf. Hom. Od. IV, 181 seqq. — V. 7. Ut comparatio sibi constet, nunc victorialia convivia cogitanda, in quibus poeta carminis dono victores beet. — καὶ ἐγώ, pr. οὕτω καὶ ἐγώ post praegressum ὡς, ut Ol. XI, 86 seqq. ὥτε — καί. Add. Nem. II init. — χυτόν, fusum, infusum, tanquam vinum in phialam. — πέμπων. Non semper missa esse carmina, sed interdum etiam ipsum affuisse Pindarum constat. Cur igitur πέμπων dicit in sententia generali? Nempe hoc nostrum carmen missum, ut notat etiam Boeckh., et sententia generalis more Pindarico statim e re praesenti colorem ducit seu, quod malim dicere, res praesens mutatur in formam generalem. Ad eandem normam, quum Diagoras in duobus nobilissimis certaminibus Olympiae et Delphis vicisset, nunc Olympicos et Pythios victores se canere dicit in sententia generali, licet alias etiam aliorum certaminum victores canat. Hoc dicendi genus, vulgo non satis perspectum, per totum Pindarum videbimus; cf. supr. ad Ol. VI, 86. Senties nunc quo iure hoc carmen in convivio cantatum dicamus. — V. 8. καρπὸν φρενός, de prudentia Nem. X, 12., de consiliis Pyth. II, 74., hic de carmine, ut καρπὸς ἀμπέλου est vinum. — Porro construe: ἀθλοφόροις ἀνδράσιν πέμπων, Οὐλυμπίᾳ Πυθοῖ τε νικώντεσσιν, ἱλάσκομαι, h. e. εὐφραίνω. Quum enim ἵλεως non solum propitius sit, sed etiam hilaris, ut Plat. Sympos. P. 206. et alias non raro, cf. Steph. Lex. nov., dubitari nequit ἱλάσκεσθαι esse exhilarare, et supplendum esse αὐτούς, monstrante sensum etiam comparationis concinnitate. Vox meo iudicio hic insigniter apta propter tristem Diagorae casum Olympicum. Similiter φᾶμαι ἀγαθαί, h. e. laus et fama bona per carmina a poeta victori parata, dictum cum respectu ad excusationem Diagorae quam parat. Nam in hac stropha omnia e re praesenti petita sunt. — κατέχοντι, cf. ad Pyth. I, 96. et notissimum Hom. Od. I, 95. — V. 11. 12. Quum supra dixisset ἀθλοφόροις ἀνδράσιν, plurali numero, nunc sententiae ambitum sic absolvit, ut dicat, contingere enim alio tempore alii

victoriam cantumque. Sic antecedentia apte nexâ sententiâ claudit et sequentia bene praeparat. *Χάρις* non solum victoriam, sed etiam cantum epinicium praebet, cf. Ol. IV, 9. add. Ol. IX, 27. Pyth. V, 42. IX, 3. Isthm. IV, 21. — *ζωθάλμιος*, vitam vigentem faciens hilaritate, cf. Schneid. Lex. — *ἐποπτεύει*, benigne respicit, ornat, ut *ἰδοῖσα* Ol. XIV, 16. *εἶδε* Isthm. II, 18. *δέρκεται* Pyth. III, 85. *ἐποπτεύειν* Anthol. Palat. VI, CCCXIII. cf. laudata a Blomfld. ad Aesch. Sept. 664. Add. Tafel. hic et ad Pyth. III, 85. et Mitscherl. ad Horat. IV, 3, 1. Dicuntur haec verba inprimis etiam de virtutibus, quas dii adspectu tribuant, cf. praet. Hor. l. cit. Iacobs. Anthol. Lips. T. VI, p. 42. — V. 12. *θαμά* pr. *ἅμα*, cf. Boeckh. Nott. critt. ad h. l. — *παμφώνοισι*, Plat. Rep. P. 399. *τί δέ; αὐλοποιοὺς ἢ αὐλητὰς παραδέξει εἰς τὴν πόλιν; ἢ οὐ τοῦτο πολυχορδότατον καὶ αὐτὰ τὰ παναρμόνια αὐλοῦ τυγχάνει ὄντα μιμήματα;* Nempe tibia mature sonos plures habuisse videtur (tibiae multifores, Bartolin.); praeterea unius eiusdemque soni modulationes varias admittebat, vivo spiritu inflata, quum cithara, cuius chordae vulgo non premebantur manu sinistra, modicum sonorum numerum haberet chordis parem. Iam Plato dicit, quum animadversa esset varietas sonorum in tibiis, inde etiam citharae sonos et chordas augeri coeptas, et sic deinceps eam pluribus harmoniis aptatam. Ac philosophus tibias improbat; Pindarus autem lyricus et patria Boeotus laudat *τὸ πάμφωνον* in tibiis; cf. etiam Isthm. IV, 30.

V. 13 — 19. Transit ad victoris laudem et patris. — V. 13. *ὑπ᾽ ἀμφοτέρων*, cf. Ol. IV, 2. — *κατέβαν*, appuli (Pyth. III, 73.), non vere eo profectus, sed animo et per carmen, ut Isthm. IV, 21. V, 21. — *τὰν ποντίαν-Ῥόδον* bene iungit Tafel, ut *ποντίᾳ ἐν Κύπρῳ* Nem. VIII, 17., in medio positis verbis *παῖδ᾽ Ἀφροδίτας Ἀελίοιό τε νύμφαν*, quemadmodum Fragm. Dithyramb. 4. *λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι*, et Ol. VIII, 21. *Σώτειρα, Διὸς ξενίου πάρεδρος, Θέμις*. — V. 14. *ὑμνέων*, h. e. veni laudes habens Rhodi. Demosth. adv. Callicl. init. *ἐν δὲ τούτοις τοῖς ἔτεσιν ἅπασιν οὔτ᾽ ἐγκαλῶν οὐδεὶς πώποτε ἦλθεν οὔτε μεμφόμενος.* Eurip. Suppl. 131. *ἦλθον ἐξαιτῶν.* Matth. Gr. Pag. 1117. — Rhodus aliis Neptuni filia est et Haliae Telchinum sororis, aliis Amphitritae, aliis, ut vide-

tur, Thetyis et Oceani, nunc Veneris secundum fabulas Rhodiorum, ut videtur, cf. Boeckh. — *Ἀελίοιο νύμφαν*, quum Solis cultus inde ab antiquissimo tempore esset in insula, vid. infr. — V. 15. *εὐθυμάχαν*, cf. Hom. Il. VII, 168. add. VIII, 115. et cf. *εὐθύμαχος* atque *εὐθύμαχοι* ap. Simonid. Anthol. Lips. T. I, p. 62. 65. — *πελώριον*, ob ingentem staturam, cf. Schol. 28. — *στεφανωσάμενον*, qui coronam sibi paravit, ut saepius. Activum est Ol. XIV fin. Neque enim sine necessitate admittenda est passiva significatio horum aoristorum, licet non plane sine exemplis, cf. Meineke ad Euphor. p. 116. ibique laudatum Schaeferum. — *παρ' Ἀλφειῷ* quum usitatissimum sit pro Olympia dictum, concinnitatis causa pr. Delphis dicit *παρὰ Κασταλίᾳ*, ut hic et Ol. IX, 17. Nem. XI, 24. Ceterum vid. ad Pyth. VIII, 19. Coniunguntur autem hae duae victoriae, Boeckhio iudice, non tantum ut nobiliores ceteris, sed ut tempore etiam propinquae. Similiter Ol. IX Prooem. — Porro iunge *ἄνδρα αἰνέσω πυγμᾶς ἄποινα*, ut Isthm. III, 7., de quo genere constr. cf. Matth. Gr. P. 772 seqq. coll. Pag. 803. Ceterum inprimis in laboribus pugilatus, pancratii, quinquertii aptum est, *ἄποινα ἔργων, μόχθων, νίκας* hymnum dicere, ut hic et Nem. VII, 16. Isthm. III, 7. VII, 4. — V. 17. *Δαμάγητον*, prytanin urbis, ut visum Boeckhio et Müllero. — *ἁδόντα Δίκᾳ*, ut Isthm. III, 33. *Ἄρει ἅδον*. cf. Ol. I, 89. Memorat hunc honoris causa, et ut sic ad familiam veniat, quo tendit oratio. — V. 18. *Ἀσίας — πέλας ἐμβόλῳ*, Peraeam Cariae intellige cum Boeckhio, cunei forma in mare exeuntem. Hoc est enim simplicissimum. — V. 19. *Ἀργείᾳ σὺν αἰχμᾷ*, h. e. *αἰχμάταις*, ut Eurip. Phoen. 445. *μυρίαν ἄγων λόγχην*. al. Cum Doriensibus Argivis, ait, in Rhodum olim profectis. cf. Introd. Praeparat, ut vides, sequentem fabulam.

V. 20 — 76. Antiquitates Rhodi tribus fabulis expositae. Ac primum quidem de Tlepolemo. Nexus hic est: „Repetam altius familiae decora. Lubens conabor (*ἐθελήσω*) iis a principio inde a Tlepolemo communem exsequi ex veritate laudem, Herculis propagini. Nobilissima enim origine sunt, patrem Iovem, matrem Amyntoris filiam Astydamiam habentes. Verum mentes hominum tenendum est erroribus innumeris esse obnoxias; nam sic Licymnium occidit huius terrae egregius conditor

ira abreptus, quum etiam sapiens non tutus sit a perturbationibus. Hinc adiit deum; hic vero ei hanc praeclaram insulam dedit.“ Vides scite in fronte et in fine posita iucundiora, in medio vero memoratam caedem praemissis et subiectis verbis ita excusatam, ut nihil nisi communis naturae imbecillitatem deprehendas. Tamen ne haec quidem dixisset sine graviore causa, qui alias talia prudenter tegit, cf. Ol. XIII, 91. Nem. V, 16 seqq.; ista causa quae videretur, diximus in Introd. — V. 21. ξυνόν, communem filio patrique s. omnino familiae laudem. — διορθῶσαι, vulgo emendare, corrigere (Lobeck. ad Phrynich. p. 250.), similiter h. l. est: accuratius tractare. Vix enim dubito respici maxime tractationem piaculi a Tlepolemo commissi, quod verius et correctius narrat, quippe explicans et excusans ex idoneis causis. Ita vero omnino hanc fabulam διορθοῖ, ut solent e graviore re designare totum. — ἀγγέλλων, publice nuntians, ut omnes audiant, additum ut Pyth. IX, 2. — Ἡρακλέος γέννᾳ, cum vi appositum. Manifestum est simul nobilitate originis commendari familiam, monente etiam Boeckhio. — V. 23. ἐκ Διός, qui pater Herculis, avus Tlepolemi. Astydamia Tlepolemi mater dicta Hesiodo, Pindaro et genealogo cuidam, cf. Schol., ferentibus ita etiam Rhodiorum fabulis, quae si Astyocham Homericam (Il. II, 658.) agnovissent, etiam Pindarus hoc sequi debuisset. Cet. cf. Müller. Hist. Dor. I, p. 421. — Amyntor rex Ormenii in Magnesia, quam urbem Hercules expugnaverat. — τὸ δ᾽, partim vero. Sed in primo membro τὸ μὲν πατρόθεν iunges. — V. 24. ἀμφὶ δ᾽ — κρέμανται. Similiter Isthm. II, 43. Loquutionem ductam suspicor ab arborum fructibus pendentibus, qui nos alliciunt, sani alii, alii male sani intus. — V. 26. νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ, quod non solum primo consilii et actionis tempore conducat, sed etiam postea effectus habeat bonos. Nota aptam positionem, ἐν καί, etiam in. — φέρτατον τυχεῖν, quod utilissimum sit usu, si consequaris, infinitivo saepissime sic pleniorem reddente orationem; cf. Ol. XIII, 13 et 45. Nem. IV, 94. V, 18. X, 20 et 72. Isthm. II, 37. IV, 50. — Licymnius ex Electryone et eius pellice Midea; cf. Schol. et Apollod. II, 8, 2. — νόθον, unde ira Tlepolemi. σκάπτῳ σκληρᾶς ἐλαίας, quum haec arbor baculis et clavis inserviret, Hom.

Od. IX, 320. Eurip. Cycl. 454. Nam durum inprimis olivae lignum, cf. Tafel. — *ἐν Τίρυνθι*, ubi tum habitabat Hercules ceterique. — V. 30. *χολωθείς*, erat igitur *φόνος ἀκούσιος*, quem qui admisissent historica aetate ad tempus exsulabant, donec expiati essent; cf. Müller. Hist. Dor. T. I, p. 334. Antiquo tempore non plane incognitam credo fuisse expiationem, at minus vulgatam; quare tunc tales homines ut *ἀφρήτορες* plerumque in perpetuum abiisse videntur, quemadmodum nunc Tlepolemus et Aeacidae, Nem. V. — *παρέπλαγξαν*, cf. Hymn. in Ven. 255. Eurip. Hippol. 240. Ad sensum Hom. Il. IX, 553. — V. 32 seqq. Tlepolemum ipsum venisse in Rhodum ibique regnasse, licet etiam apud Homerum legatur in Catalogo, cf. Il. II, 653 seqq., iure negant Boeckh. et Müller. Etenim qui historico tempore regnabant in Rhodo Heraclidae haud dubie erant posteri eorum, qui Argis Doriensium coloniam in insulam duxerant; quare Argis necesse est tum fuerit gens a Tlepolemo originem derivans. Quid igitur, num Tlepolemus in Rhodum abiens partem filiorum in Peloponneso reliquit, qui deinde cum Hercule inde exirent, quorumque posteri cum Doriensibus Argos redirent, ipse autem cum altera parte filiorum in Rhodo vixit, et quum nova colonia venisset, Peloponnesii et Rhodii Heraclidae se agnoverunt eodem patre natos, et se coniunxerunt, et quae sunt alia? Noli credere. Quid multa? Ab Heraclidis in Rhodium profectis inventa videtur fabula, iam olim insulam Tlepolemo ab Apolline datam, ut sic etiam iustius possiderent. Sic postea creditum gentem totam inde a Tlepolemi tempore in Rhodo fuisse, quasi qui postea Argis venerant Dorienses nonnisi auxerint coloniam priscam. Hoc fere sequitur Pindarus et auctor Homerici loci in catalogo. — Accedimus ad oraculum. Ferebant opinor eaedem traditiones Rhodiorum Tlepolemo oraculum datum, ut in insulam navigaret, ubi aurum pluisset in natalibus Minervae. Atque hoc Pindarus nunc ornatius narrat, ceterum nihil in ea re fingens. *Χρυσοκόμας*, cf. Ol. VI, 41. — *εὐώδεος ἐξ ἀδύτου*. Separatum erat adytum a ceteris templi partibus septo lapideo, cf. Müller. d. tripod. Delph. p. 14. Herm. ad Eurip. Ion. 1336. In adyto per intervalla suavis odor oriebatur, cf. Plutarch. d. oracul. defect. c. 50. Hutt., surgens e sacro foramine, cui tripus imposi-

tus. — V. 33. *Λερναίας ἀπ' ἀκτᾶς*, quadraginta stadiis ab Argis dissitae, cf. Pausan. II, 36, 6. Strab. VIII, p. 566, 570. Qui Lernam accuratius cognoscere cupit adeat praeclaram Buttmanni dissertat. in Act. Acad. Berolin. ann. 1822. p. 331 sqq. — *εἶπε πλόον εὐθύν*, imperavit, edixit, ut recta via, fidenter per medium mare in insulam tenderent; felicem enim expeditionem fore, utpote diis probatam. — *ἐς ἀμφιθάλασσον νομόν*, (das Weideland im Meer) h. e. insulam, in quo Pindarus, qui nusquam inanes circumscriptiones habet pulcre imitatur oraculorum orationem. cf. ad Ol. VIII, 45. Significat autem sic *νομός*, ut notum, terram *φερέσβιον*, pecudibus hominibusque alendis aptam, ut v. 63. dicit *πολύβοσκον γαῖαν ἀνθρώποισι καὶ εὔφρονα μήλοις*. Sic *νομὸς Ἑλλάδος* Eurip. Rhes. 477. Aliud est *νομὸν* (victum) *ἐν θαλάσσῃ ἔχειν*, ut pisces, Herodot. V, 92., quem *εἰνάλιον νομὸν* Archiloch. Fragm. 30. p. 101. Lieb. aliique dicunt. — V. 34. *ἔνθα ποτὲ βρέχε*, ex sua persona narrat quid dixerit oraculum, bene monente Boeckhio. — *πόλιν*, habitationes hominum s. terram, civitatem, cf. Boeckh. add. Liebel. ad Archiloch. Fragm. nr. 67. Est saepe de insulis. Erant enim iam tum tres urbes, cf. 73 seqq. — *χρυσέαις νιφάδεσσι*. De aurea hac pluvia celebratissima cf. locos hic apud Boeckh. et Iacobs. ad Philostr. p. 546. Vere pluisse aurum creditum haud dubie; origo tamen fabulae obscura. Quidam opulentiam insulae priscam vel ante Dorienses significari putant; Müllerus Argis rem traductam suspicatur, ubi constat Iovem in aurea pluvia descendisse. — V. 35 seqq. De Minerva e Iovis capite orta cf. Hesiod. Theog. 924. Hom. Hymn. in Apoll. 308., in Minerv. 5., et Schol. Vide praeterea quos laudat Boeckhius, quibus add. Welckerum d. Aesch. Trilog. p. 277 seqq. et ad Philostr. II, 27. editores doctiss. Sunt hae *Παλλάδος γενέσεις, γοναί*. — *τέχναισιν*, frequentat pluralem, cf. Ol. IX, 52. Pyth. III, 11. VIII, 60. — V. 36. *χαλκελάτῳ*, exempla vocis habet Tafel. Ceterum alii nonnulli Promethei ope Minervam editam tradiderunt, cf. Apollod. I, 3, 6. et Hemsterh. ad Lucian. Dial. Deor. 8. — V. 37. *ὑπερμάκει βοᾷ*, bellicoso clamore, quo coelum terramque percutiente magnifice nunc ipsa haec numina horruisse dicuntur.

V. 39 — 53. Succedit altera fabula de Heliadis, praeparata iam ante. — Ὑπεριονίδας, Sol. De cultu Rhodiorum solari nota omnia, cf. Fabric. ad Dion. Cass. T. 1, p. 514. et Iacobs. Antholog. Gr. T. VIII, p. 353. T. IX, p. 52. — καί, tunc etiam hoc factum, quod nunc narrabo. Tali enim hic transitu opus; quare minus recte de Atheniensibus cogitares, quibus similia dicta. — V. 40. μέλλον χρέος, proxime futurum debitum s. officium ut observarent; χρέος rem appellat, quoniam praecipit eam et iniungit Heliadis ut minime omittendam. — V. 42. ἐναργέα, magnam et conspicuam. — V. 44. Affert virtutem et gaudia hominibus consilii providi, prudentiae reverentia; quod primum propter Heliadas dictum, qui hoc modo artis sollertiam impertitam acceperant et opes, tamen etiam ad viventes pertinet. Similiter, ait Pindarus, ob prudentiam et providentiam etiam postea Rhodus floruit et adhuc floret virtutibus opibusque; tamen, pergit, quum omnia humana imperfecta sint, etiam errores inviti et olim hic admissi sunt, et nunc si fiunt non mirandum. — Προμαθέος, Promethei nomen dictum interdum pro prudentia, providentia, vid. praeter Boeckh. Nott. critt. etiam Welcker. de Aeschyl. Trilogia p. 70. Unde ego maiusculam literam restitui, suadente etiam Tafelio, fere ut sunt Ἥφαιστος, Ἀφροδίτη, alia nomina pro rebus. Atque hoc convenit dignitati sententiae, quam neglexit Heynius nomen pro adiectivo habens et de quocunque prudenter monente explicans. Pyth. V, 25. Ἐπιμαθεὺς est. — V. 45. λάθας νέφος, ut Pyth. I, 7. νεφέλα de somno. — V. 46. πραγμάτων ὁδόν, Pyth. III, 103. ἀλαθείας ὁδός. Eurip. Hecub. 727. ὁδὸς βουλευμάτων, et cf. ad Ol. I, 110. Ceterum sententia haec est: Oblivionis nubes circumtegit res et subducit ex animo. — V. 48. σπέρμα φλογὸς est quod σπέρμα πυρὸς apud Hom. Od. V, 490. — οὖ, magna cum vi postpositum. — V. 49. ἄλσος, h. e. τέμενος, locus deo sacer, etiam non consitus arboribus, cf. Schol. et Boeckh. Nott. critt. ad Ol. III, 17. et Blomfld. ad Aesch. Pers. v. 115. — ἐν ἀκροπόλει, scil. Lindiorum. Est enim haec Pallas Lindia, de qua cf. Boeckh. ad h. l. et Müller. Hist. Dor. T. I, p. 398. Etiam de ἀπύροις ἱεροῖς vid. locos veterum apud Boeckhium. Videntur mihi in hoc cultu victimae dissectae in ara positae esse absque igne iterumque

sublatae finitis adorationis ritibus. Nam obliti erant Heliadae nihil praeter ignem; victimas igitur adduxerant, opinor. — κείνοις ὁ μὲν seqq., hoc est: Illis contra dedit Iuppiter auream pluviam, Minerva manuum artificiosam sollertiam. De damno ex errore praecedente orto nihil inest; nam etiam in ceteris fabulis damnum non oritur Rhodo ex errore, sed ornamentum tantum, quae ipsa mirifica Rhodi fortuna est. — V. 50. ὤπασε, dedit iis, ut in omni arte homines vincerent. πᾶσαν τέχναν, quum ligno, lapide, metallo uterentur, opinor. — V. 52. ἔργα κέλευθοι φέρον, viae ferebant, h. e. movebant se in viis opera imitantia vitam gressumque animantium, in quo iam veteres in Scholiis Daedali opera fabulosa compararunt et Homerica Vulcani Il. XVIII, 418. — V. 53. κλέος βαθύ. cf. Pyth. I, 66. Necesse est igitur in fabulis antiquis magna fama fuerit Heliadarum artis; tamen etiam Pindari aetate Rhodios insignes fuisse signorum elaborandorum peritia facile cum Boeckhio credimus, atque ita etiam iucundior est antiquarum rerum commemoratio. — δαέντι δὲ-τελέθει. In his σοφία ἄδολος est ars, peritia artis, quae fraude abstinet, et μείζων τελέθει significat: potior est, praefertur, ut Soph. Antig. 637. ἐμοὶ γὰρ οὐδεὶς ἀξίως ἔσται γάμος μείζων φέρεσθαι, mihi nullum merito coniugium potius erit, quod consequar. Videtur autem Pindarus, ut iudicarunt interpretes, his verbis tangere Telchines, fabulosos istos fabros Rhodios, qui primum ibi ferrum et aes tractabant, celebresque erant ante Heliadarum artem. Vide Hoeck. Creta T. I, 345 seqq. et Welcker. de Aesch. Trilog. p. 182 seqq. Qui quidem fabri quum praestigiis magicisque artibus usi videantur, ut signis suis augustiorem speciem conciliarent, contemnit has fraudes Pindarus prae Heliadarum arte. Magna fuit Heliadarum gloria, ait, et iure quidem; nam ut in omnibus rebus fraus improbanda, sic etiam in arte sciens et intelligens iudex praefert quae sine fraude facta sunt.

V. 54 — 76. Tertia fabula, ut insula Soli data sit. — παλαιαὶ ῥήσιες, quum fabula e Rhodiorum traditione hausta esset, cf. Schol. Ceterum post laudatam artem Heliadarum bene transit ad originem eorum explicandam. — V. 58. ἔνδειξεν, admonuit, ut etiam huius sors in urnam demitteretur. — V. 60. ἁγνὸν

θεόν, propter lucis puritatem, ut est ἁγνὸν φάος et πῦρ. Praeterea aliorum deorum epitheton est, cf. Liebel. ad Archil. p. 184. Ac Musarum quidem et Dianae propter virginitatem, Cereris et Proserpinae propter σεμνότητα, denique summo Iovi accommodatur, vid. Herm. ad Philoct. 1273. — V. 61. ἂμ πάλον θέμεν, h. e. ἀναθέμεν, retractare, cf. Boeckh. Nott. critt. — V. 62. αὐξομέναν, surgentem et crescentem in altum, ut βλάστε v. 69., metaphora a plantis petita. Cogitantur enim insulae radices habere in fundo maris. — V. 63. πολύβοσκον, quum Rhodus coelum et solum felicissimum haberet. Vinum, frumentum, oleum hodieque ibi proveniunt; in nummis Ceres est, cf. Rasche IV, I, 1028. Unde Quint. Smyrn. X, 222. πίονα γαῖαν dicit et Nonn. XIV, 47. εὔκαρπον, notante Tafelio. Praeterea etiam balsamum, fici, galli, pisces Rhodii laudantur. — V. 64. χρυσάμπυκα, apud Pindarum epitheton Musarum et Horarum ἄμπυξ, quae fronti circumdabatur, illustratur a Boettigero Pictur. Vascul. T. I, fasc. II, p. 87. add. Heyn. ad Il. XXII, 469. Aptissime autem Lachesis adest, quum sortiantur dii. — V. 65. θεῶν ὅρκον μέγαν, non admodum errabis hic quoque intelligens notissimam formulam: Ἴστω νῦν τάδε Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν, καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅςτε μέγιστος Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν Hom. Hymn. Apoll. 83 seqq. Il. XV, 36. Od. V, 184. — παρφάμεν autem ὅρκον est: simulate dicere, non ex animi sententia, ut Pyth. IX, 43. λόγον παρφάμεν. cf. Boeckh. — χεῖρας ἀνατεῖναι secundum Scholia est manibus sublatis, ἐπιχειροτονίᾳ suffragari; sed gravitati loci convenientius ad iurationem verba referas. Quidni enim in illa formula pronuntianda manus sustulerit? — Ceterum eximiam vim habet universi loci verbositas. — ἐᾷ κεφαλᾷ, cf. Ol. VI, 60. — V. 68. Heynius iungit τελεύτασαν πετοῖσαι, h. e. eum finem habuit iusiurandum, ut vere eveniret. Ego vertam: Exitum habuit verborum s. iurisiurandi summa, vere eveniens; in quo minime inutilia sunt verba ἐν ἀλαθείᾳ πετοῖσαι, sed recte pluribus affirmat rem gravissimam. Ceterum τελευτᾶν perfici, ut Aesch. Choeph. 523. et ἐν ἀλαθείᾳ ut ἐν δίκᾳ. — πετοῖσαι, proprie a tesseris ducta translatione, ut notissimum. cf. Ol. XII, 10. Alia vid. apud Tafel. ad h. l. et ap. Wunderl. ad Tibull. I,

6, 85. — *βλάστε*, de Rhodo ex mari enata vid. Meurs. Rhod. 1, 2., de Heliadis Creuzer. ad Cic. d. N. D. III, 21. et Boeckh. h. l. cum Scholiis. — V. 72. *σοφώτατα-ἐπὶ προτέρων ἀνδρῶν* cf. Matth. Gr. p. 1162. — *ὧν εἷς*, Cercaphus. *πρεσβύτατον* addit honoris causa, notante Boeckhio, quum Ialysi canatur carmen. — *διὰ-δασσάμενοι* iunge. — *ἀπάτερθε*, seorsim quisque sibi habebant partem urbium ab ipsis conditarum. Ceterum Boeckhius notat divisionem Heliadis tributam proprie Doriam esse; hi enim *τριχάϊκες* et in potissimis rebus tripartitam divisionem sequuti sunt.

V. 77. — ad finem. Redit ad Diagoram, eius victorias ceteraque supra dicta persequitur. — *τόθι*, omnino in Rhodo. — *συμφορᾶς οἰκτρᾶς*, aerumnarum ex illo tristi casu. Repetita res magna cum vi, ut mihi quidem videtur non sine respectu ad Diagoram. — *λύτρον*, compensatio. — V. 78. *Τιρυνθίων ἀρχαγέτᾳ*, duci et conditori coloniae Tirynthiae, cf. d. voce Heindorf. ad Platon. Lys. p. 9. Ephor. ap. Strabon. VIII, p. 562. Sed cur hoc addidit Pindarus? Ut ratio pateret sequentium. Cf. Herod. VI, 38. de Miltiade mortuo: *καί οἱ τελευτήσαντι Χερσονησῖται θύουσιν, ὡς νόμος οἰκιστῇ, καὶ ἀγῶνα ἱππικόν τε καὶ γυμνικὸν ἐπιστᾶσι.* Add. Thucyd. V, 11. Ac vulgo pro heroibus colebantur *οἰκισταί*, Tlepolemus vero etiam pro deo. — *ἵσταται*, instituuntur, habentur in eius honorem Tlepolemia, s. fit, *γίγνεται*, sacrificium sollemne et ludorum concertatio. cf. de his ludis Scholia et Boeckh. Post Heraclidarum deminutionem etiam Tlepolemi honos minutus festumque Soli dedicatum videtur. — V. 80. *κνισσάεσσα πομπὰ* est nidorosum sacrificium ovium in pompa ductarum. *κρίσις ἀμφ' ἀέθλοις*, pr. certaminibus, cf. Nem. X, 23. Praemium fuit *λεύκινος στέφανος*, cf. Schol. 147. quare *ἄνθεσι* est pr. coronis simpliciter. — In sequentibus attendes ad artem in enumeratione tot victoriarum collocatam. — *εὐτυχέων*, vincens. — *ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ* sc. *εὐτυχέων*, duas geminatas victorias nulla interiecta Nemeade (cf. Schol.) consequutus, *ἐστεφανώσατο.* De ellipsi vocis *νίκη* cf. Lambert. Bos. p. 320. Schaef. — *καὶ-ἐν Ἀθάναις*, repete: *ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ*, ne, si unam tantum Atheniensem ponas, minus laudetur post maius. Epitheton *κρανααῖς* sollemne,

Ol. XIII, 38. N. VIII, 11. Talia epitheta dignitatem habent ex antiquitate et epico usu. Ludos, qui hic habebantur, bene indicat Scholiastes v. 151., coll. Boeckh. not.; sed in quibus Diagoras vicerit, non constat. — V. 83. *ὅ τ᾽ ἐν Ἄργει χαλκὸς ἔγνω μιν*, h. e. clypeus aheneus Argis in Heraeis praemium dari solitus novit eum. cf. Schol. ad Ol. XIII, 148. et de ludis Schol. Ol. IX, 132. et Nem. X init. Ceterum vid. doctam Boeckhii notam. Tafel clypeo nomina victorum inscripta censet coniectans, non probans. Denique ad *ἔγνω* cf. Ol. VI, 97. — *τά τ᾽ ἐν Ἀρκαδίᾳ ἔργα καὶ Θήβαις*, noli vertere: facta, quae in Arcadia et Thebis sunt pr. ludis ibi habitis; hoc enim ita dici vix potest, licet in aliis loquutionibus *ἔργον* pro contentione, certamine recte dicatur. Accedit aliud argumentum ex collocatione verborum. Si enim *ἔργα* certamina essent, non potuisset in sequentibus vox *ἀγῶνες* primo loco poni, sed dicendum erat: *καὶ Βοιώτιοι ἀγῶνες*. Nunc autem si *ἔργα* post clypeum memoratum cum Boeckhio interpretaris de aliis artis operibus s. praemiis, quales sunt lebetes, tripodes, crateres, vides primum recte dici, *ὅ τ᾽ ἐν Ἄργει χαλκὸς τά τ᾽ ἐν Ἀρκαδίᾳ ἔργα*, quia quum in utroque commate praemia significentur, oppositio hic in locis tantum est; tum in sequentibus recte *ἀγῶνες* opponuntur *ἔργοις*, quoniam nunc etiam hae notiones differunt, non loca tantum. Sed ad collocationes verborum saepe video non satis attendere viros doctos. Ac *χαλκόν*, vasa ahenea, etiam in Arcadia data, ubi Lycaea, Alcaea, Coreia, Hermaea agebantur, ipse Pindarus ostendit Nem. X, 45 seqq. Thebis vero in Iolaiis s. Heracleis tripus aheneus propositus, cf. Schol. et vid. Boeckhium uberrime haec omnia tractantem. — *ἔννομοι*, legitimi et ordinarii qui dicuntur Boeotorum ludi, recensentur a Boeckhio hi: Thespiis Erotidia, Plataeis Eleutheria, Oropi Amphiaraia, apud Delium Delia. — V. 86. *Πέλλανα*, Achaicum oppidum; de ludis cf. ad Ol. IX, 104. — *Αἰγίνᾳ τε νικῶνθ᾽ ἑξάκις*, sc. *οἱ ἀγῶνες ἔγνωσάν νιν*, cf. Boeckh. Nott. critt. Nam etiam *Πέλλανα* dicta fere est pr. ludis Pellanensibus. Ceterum Aeginetarum ludi sunt Aeacea, Delphinia, Heraea. — *ἐν Μεγάροισιν*. Ludi Megarici Boeckhio notante sunt Dioclea, Pythia, Nemea, Alcathoea. — Porro Megaris, ut in aliis locis multis, victorum

nomina columellae, στήλη, inscribebantur ex decreto iudicum, cf. Schol. et Boeckh. add. Müller. Hist. Dor. I, p. 130. Non est autem verisimile Diagoram Megaris semel tantum vicisse aut post sex Aegineticas unam Megarensem victoriam laudari. Quare presse verto: Megaris autem habetur inscriptio eundem numerum victoriarum offerens. Pausan. VI, 13, 1. Ἀνάκειται δὲ ἐν τῇ Ὀλυμπίᾳ καὶ στήλη λέγουσα τοῦ Λακεδαιμονίου Χιόνιδος τὰς νίκας. Est igitur λιθίνα ψᾶφος hic inscriptio columellae, decretas de sententia iudicum singulas victorias Diagorae testans. — Ἀταβυρίου, montis Rhodii, in quo colebatur Iuppiter. Strab. XIV, 968, a. E Rhodo nomen cultusque etiam in Siciliam translatum. Vid. Boeckh. h. l. et quae Müllerus habet Hist. Dor. I, 398. Aptissime autem nunc invocatur Iuppiter, idem Olympiorum rector et Heraclidarum parens Artabyriusque. — τίμα μέντέ, cf. Ol. V, 10. — ὕμνον τεθμόν, h. e. hymnum sollemni more institutoque tibi oblatum. τέθμιον enim est, ut Iovi gratiae habeantur pro victoriis, quas dedit, et hymni dedicentur epinicii. — V. 89. ἀρετάν, gloriam virtutis, Ol. VIII, 5. cf., si tanti est, laudata ab Herm. ad Soph. Philoct. 1406. — εὑρόντα, Pyth. II, 64, et medium Pyth. 1, 48. Et saepe al. — V. 91. εὐθυπορεῖ recta, nec deflectens, strenue tenet viam insolentiae oppositam. — σάφα δαεὶς seqq. In his ἐξέχρασν pr. oracula ediderunt, admonuerunt, non satis graeca in tali re dictio videtur. Praefero quod etiam Gurlittus indicavit: Probe sciens et observans, quae ei recta mens ex patribus bonis (orta) impertiit. Est igitur Diagoras ἀγαθὸς ἐξ ἀγαθῶν, cf. Pyth. VIII, 45. Verbum χράω pr. dare, impertire, habet Herodotus, cf. libr. VII, 38. et Schweigh. Lexic. Add. Buttm. Gr. Gr. ampl. T. II, p. 257. — V. 92 sq. κοινὸν σπέρμ᾽ ἀπὸ Καλλιάνακτος, familiam Callianactis, unde Demagetus necesse est originem traxerit. κοινὸν vero addit, ne unum Diagoram intelligas. — μὴ κρύπτε, ne perde, ait Herm. ad Soph. Oed. Col. v. 284., quemadmodum etiam Heynius explicat. et cf. Hom. Il. XVIII, 397. Boeckhius autem vertit: obscurare et minuere detrahendis honoribus. — Ἐρατιδᾶν τοι seqq. In Eratidarum enim laetis festis convivia habet etiam urbs, h. e. neque enim urbs res suas ab Eratidarum rebus seiungit. Noli igitur committere, ut felix

haec coniunctio dissolvatur. — ἔχει θαλίας, vid. Valcken. ad Herod. VIII, 99. et Liebel. ad Archiloch. p. 138. — V. 95. διαιθύσσοισιν, agitantur, discursant. Verbum αἰθύσσειν cum compositis omnino de celerrimo motu dicitur, transitive et intransitive, quum propria significatio ad radios et scintillas diffusas pertineat. Varios usus Tafel illustrat exemplis multis appositis. — μιᾷ, una eademque, Ol. IX, 85. XIII, 37. αὖραι pertinent ad fortunae vicissitudines. Pyth. III, 104. Isthm. III, 23. Sed lubricae sunt res humanae. In quo, ut saepe alias, non directe loquitur, sed per metaphoram, quod lenius. cf. Ol. VI, 101. — Ceterum qui nonnisi ad ultima haec verba attenderit credat simplicem inesse modestiae admonitionem talem, quales saepe breves sunt in exitu carminum, etiam ubi nulla certa pericula instant; sed nunc plura similia coniuncta habes: Ne perde familiam Callianactis, amati sunt a civibus, verum alio tempore sunt alii venti. Haec igitur in uno loco posita qui consideraverit, si pondera orationis Pindaricae sentire didicit, vix dubitabit fuisse pericula familiae futura, quae poetam moverent.

Carmen Olympicum octavum.

INTRODUCTIO.

Victoria haec reportata est Ol. 80. ab Alcimedonte, puero Aegineta, e nobili gente Blepsiadarum. Carmen cantatum Olympiae statim post victoriam, quum pompa duceretur, ut moris erat, in Altin ad Iovis aram, cf. ad Ol. IV. — Post prooemium de fausto oraculo accepto poeta statim ad victoriam Alcimedontis transit. Alcimedon, ait, pulcro certamine luctae victor proclamari iussit Aeginae nomen, quae exin disertius laudatur ex iustitia adversus advenas et ex bellica Aeacidarum fortitudine, Aeaco quondam ante Troiam praedicto. Tum pergit ad Milesiae magistri laudem, quum moris sit, notante Boeckhio, in carminibus pueris dedicatis ut

etiam magistri honoris causa nominentur, quod si cursores exceperis, raro omittitur, ut Ol. X et N. VII factum. Ac Milesiae quidem haec Alcimedontis discipuli victoria tricesima erat. Post haec Pindarus ad ipsum victorem redit, qui tali magistro dignus, ἔφεδρος quattuor victores deiecit; meminit deinde avi laeta re denuo roborati et gentis nunc sexta victoria ornatae, denique etiam ad patrem patruumque defunctos suavem nuntium deferri dicit, ut solet patris quoque et avi mentio in talibus carminibus fieri. — Singulis commemoratis, ut nexum interiorem explicemus, primo loco illud notandum est, redire omnia in hoc carmine ad laudatam coniunctionem summarum virtutum, pietatis iustitiaeque dico cum fortitudine. Similiter in aliis carminibus iustitiam et fortitudinem, modestiam et fortitudinem, prudentiam et fortitudinem, musicas et bellicas artes proponit coniunctas, nec quidquam pulcrius tali virtutum societate, tali laude viri vel civitatis. Iam quod fundamentum carminis esse dixi, paucis demonstrabo. Igitur quum faustum oraculum tulisset Alcimedon e sacrificio, quod Iovi pro eo oblatum erat ante certamen, primum hac re scite in prooemio utitur sic, ut pietati hoc a deo datum significet. Fortitudinis autem laudem illustrat ipsam victoriam praeclaram pueri laudans, qui quattuor victores deiecit ἔφεδρος, et patriam, magistrum, gentem, cognatosque pariter ornavit, quae in ultima parte carminis exponuntur. Restat, ut de medio carmine dicam. Scilicet privatas civium virtutes Pindarus non semel cum publica urbis laude componit, ut peculiaria ad generaliorem formam revocentur propositaque ampliore civitatis imagine illustrentur minores singulorum virtutes. Hoc etiam nunc facit. Praedicatur igitur in medio carmine iustitia Aeginae insulae, ut pietatem Alcimedontis familiae significaverat in prooemio (pietatem et iustitiam constat apud veteres cognatas esse virtutes), tum Aeacidarum monstratur fortitudo bellica, ut Alcimedontis luctatoris gymnicam fortitudinem dixi in fine laudari; in quo etiam illud pulcherrime excogitatum est a Pindaro, quod quum Alcimedontis avo victoria nepotis praedicta esset oraculo Iovis, similiter Aeacidarum victorias Aeaco nuntiatas narrat fausto ad Troiam omine. Atque ita compositionem carminis vides suavissimam, revocatis Alcimedontis gentisque virtutibus ad illu-

striorem universae insulae laudem, quemadmodum, ut carmen antecedens comparem, Diagorae privatas res ibi revocatas vidimus ad generale Rhodi fatum. Postremo si reputaveris publice haec cantata in Olympico conventu, quo tempore iam oriri videbantur pericula interitum insulae praeclarae minantia, etiam sic carmen prudenter adornatum senties, nec addi cupies, nisi quod ipse poeta addit in fine: Iuppiter avertat fortunae invidiam et augeat hanc familiam et civitatem.

EXPLICATIO.

V. 1 — 14. Prooemium. Dedicatur carmen Olympiae. — Constructio est plane ut Ol. IV init., iterata et absoluta invocatione in secundo membro: *Μᾶτερ ὦ χρυσοστεφάνων ἀέθλων Οὐλυμπία — ἀλλ' ὦ Πίσας εὔδενδρον ἄλσος — δέξαι*, mater ludorum Olympia, te alloquor, age Pisae nemus - accipe. Porro vides carmen cantatum esse Olympiae, ut notavit Boeckhius, non in Aegina; neque enim inanes phrases scribit Pindarus, sed quae ad rerum veritatem accommodatae sint. — *μᾶτερ ἀέθλων*, h. e. regio, ubi fiunt certamina, cf. Seidl. ad Eurip. Troad. 226. — *χρυσοστεφάνων*, cf. ad Ol. X, 8. — *δέσποιν' ἀλαθείας*, domina oraculi s. veritatis oraculo patefaciendae. Propria vox *τὸ ἀληθές, ἡ ἀλήθεια* de iis, quae vere fient aut evenient, vaticinatione et oraculis cognoscendis, cf. Soph. Oed. R. 300. Add. Merrik. et Wernick. ad Tryphiod. v. 641. Aliis in locis est de vero eventu dictorum, cf. Müller. Dor. I, p. 336. — *μάντιες ἄνδρες* sunt Iamidae, Clytiadae et Telliadae, de quibus dixit Müller. Hist. Dor. I, p. 253. Quum enim hi omnes Olympiae vaticinati sint, vaticinatio autem Olympica cum Iovis religione, non aliorum deorum, coniuncta fuisse videatur, Müllerus censet etiam Clytiadas et Telliadas in Iovis ara oracula edidisse. Nempe multi erant ludorum tempore sacrificantes, quorum alius alium istorum vatum adhibebat. — V. 3. *ἐμπύροις*, sacrificiis flammaque incensarum hostiarum; cf. Boeckh. add. Aesch. Prom. 502 seqq.

cum Nott. Blomfld. et Valcken. ad Phoeniss. 1261. Poeta pro vulgari formula δι᾽ ἐμπύρων adscivit participium τεκμαιρόμενοι, de quo cf. Matth. Gr. pag. 724. et Rost. Gr. p. 396. — παραπειρῶνται Διός, bene confertur Xenoph. Memor. I, 4, 18. Nam πειρᾶσθαι est explorare. — εἴ τιν᾽ ἔχει λόγον, non est: si rationem habeat, a qua significatione formulae abest περί, sed: si quid dicendum, nuntiandum habeat de iis, qui victoriam expetunt, h. e. si quod oraculum faustum iis edere velit, verissime notante Boeckhio in Nott. critt. — Mox iunge μαιομένων θυμῷ, et ἀρετὰν λαβεῖν verte laudem victoriae reportare, ut Ol. VII, 89. — ἀμπνοάν, de laetitia victoris compensatrice laborum. — V. 8. ἄνεται δὲ seqq. Sensus: Ratae autem fiunt preces in gratiam pietatis virorum precantium, non vatum, opinor, a quorum piis precibus si res penderet, omnes vincerent, sed τῶν μαιομένων ἀρετὰν λαβεῖν. Hi enim, opinor, adhibito popa sacrificant et adstant precantes victoriam omenque bonum. Vates autem non ipsum sacrificium peragit, sed hostias cremantes inspicit et oraculum edit; fere ut Hom. Il. II, 305 seqq. Graeci sacrificant, Calchas autem praesens est ad vaticinandum, nisi quod ibi extraordinaria res accidit, ex qua deinde vaticinatur. — De verbo ἄνομαι cf. Boeckh. Nott. critt., Hermann. in edit. Heyn., Tafel. h. l. et Blomfld. ad Aesch. Choeph. 786. Vix verti potest: Perficitur res precibus, hoc sensu: Perficiunt rem preces; quum adiectum sit: in gratiam pietatis. Explicabis igitur: Perficitur res rogata et conceditur a deo precibus in gratiam pietatis virorum, nisi potius impersonaliter dictum est ἄνεται λιταῖς pr. fit perfectio precibus, ἀνύονται λιταί, audiuntur. — πρὸς χάριν, cf. Herm. ad Vig. 865. — εὐσεβίας, vid. de his formis Monck. ad Eurip. Hippol. 1365., Boeckh. Gr. Tragoed. princip. p. 264., Hermann. ad. Soph. Electr. 1025. Ceterum licet oratio proоemii generalis sit, tamen vere monet Boeckhius omnia dicta esse propter Alcimedontem, ut solet Pindarus ubique talia accommodare praesentibus rebus et personis, cf. ad prooemium Ol. VII. Sacrificabant autem pro puero in tali tempore parentes vel tutores, ut par erat; nunc autem, quum mortuus esset pater, avus credo sacrificaverat, praesente ceterum Alcime-

donte. Atque horum pietati oraculum datum. Fuisse autem avum praesentem colligo e vers. 78. et ex fabula de Aeaco. Porro tale oraculum haud dubie etiam alii multi victores tulerant, ais, neque tamen huius rei vestigia apparent in his carminibus. Sed quid hoc ad rem? Est haec profunditas ingenii Pindarici, ut non opus habeat saepe uti iisdem. Valde autem aptum tale exordium videtur in carmine Olympiae canendo, ubi simul laus Olympiae requirebatur. Ac quum Olympia multis modis laudari posset, commode elegit nunc hanc rem, quae etiam ceteris rationibus carminis apta esset. Ceterum aliud omen memoratum notavimus Ol. IV initio, quod carmen similiter Olympiae cantatum. Iam universo prooemio sententia subest haec: Olympia, domina veritatis, ubi Alcimedon faustum oraculum tulit piis precibus concessum, accipe comissationem gratiarum causa tibi consecratam. Atque haec mutavit in formam generalem. Quare ab interiore rerum nexu aberrant qui *ἀλάθειαν* v. 2. ad *ἁγνὰν κρίσιν* Hellanadicarum referunt et cum primo versu iungunt. — V. 10. *στεφαναφορίαν*· Nempe victor coronam oleagineam in capite gerens petit Iovis aram, ostensurus eam deo et gratias acturus. Simul ceteri comitantes coronati sunt. *στεφανηφόρος* significat eum, qui gerit coronam et qui reportat; similiter *στεφανηφορία* duplicem significationem habet, cf. Eurip. Herc. fur. 781. et Electr. 862. — V. 12 seqq. Non ad minuendam laudem Olympicae victoriae haec pertinent, quod absonum esset. Sensus: Alia enim alii bona contingunt multaeque sunt viae felicitatis, quarum rerum etiam tuum donum unum est idque non ultimum. Nempe et Olympicam victoriam laudat et non contemnit alios modos. Hoc autem ita facit propter Timosthenem.

V. 15 — 20. Orditur victoris laudem, infra demum absolvendam. — Timosthenes, frater haud dubie natu maior, quum prius vicisset Nemeae, honoris causa memoratur. Sic Isthm. V. Phylacidas non sine Pythea maiore fratre laudatur. Atque hoc loco quod non Alcimedontem sed Timosthenem alloquitur, ob eandem aetatis rationem factum. — *ἐκλάρωσεν*, vos sors fortunae genitalis attribuit Iovi gentilitio. Colebat igitur gens Iovem ut auctorem et patro-

num suum. Comparat Boeckh. Pyth. IV, 167. Vid. plura infr. ad v. 30. Ceterum πότμος saepe etiam de fortuna natali. — V. 16. Quum et Olympiae et Nemeae Iuppiter ludos regeret, commode poeta hac re utitur, ut vides. — V. 19. καλός, saepe puerorum et iuvenum laus, Ol. IX, 94. XI, 103. — κατὰ εἶδος ἐλέγχων, comparat Tafel. Tyrtaeum I, 9. Similia Nem. III, 19. Isthm. IV, 22. — V. 20. ἐξένεπε, h. e. et digno certamine victor honoravit patriam, proclamari iubens eius nomen, cf. Ol. V, 8. Pyth. I, 31, 2. Ceterum de forma verbi vid. Herm. ad Soph. Oed. R. 330. — δολιχήρετμον, nauticam, Hom. Od. VIII, 191.

V. 21 — 52. Tractantur Aeginae laudes ex iustitia et fortitudine petitae. Ac primum quidem laudat iustitiam usque ad v. 30. Fuit Aegina opportunitate situs et industria civium florentissima commercio; atque ut ipsi Graeciae portus et oppida cum mercibus suis frequentabant, ita suam urbem emporium fecerant, ubi inquilini et mercatores omnis generis recepti, et aequum promptumque ius in litibus mercatoriis redditum. Simul singulae gentes hospitalitate conspicuae erant. Vid. Müller. Aeginet. p. 74 seqq. Hinc Pindarus plus semel hanc laudem attingit, ut Nem. IV, 12., nusquam tamen disertius quam in hoc carmine, quod quum non in Aegina, sed apud exteros in maxima frequentia Graeciae caneretur, nihil potuit ad commendationem insulae reperiri accommodatius. — V. 21. Ζεὺς ξένιος, in cuius tutela hospites et omne ius circa advenas, unde assidet ei Θέμις. Hanc cum Iove nominat Homer. Od. II, 68., ubi de concionibus agitur; nunc lites mercatorias cum Iove ordinat. Eadem fere loquutio redit Nem. XI, 8., ubi tamen alius sensus. Ceterum comparant Δίκην πάρεδρον Iovis, de qua vid. interprett. ad Soph. Oedip. Colon. 1384. Iunge vero hic Σώτειρα Θέμις, Διὸς ξενίου πάρεδρος. Est Σώτειρα ut Ol. IX, 15. Εὐνομία, Ol. XII, 2. Τύχα, et alibi Ceres, Proserpina, Minerva; cf. Interprett. ad Aristoph. Ran. v. 380. Additur a Boeckhio Ἄρτεμις apud Syracusios, et Ζεὺς, Νεῖλος Σωτήρ. — V. 22. ἀσκεῖται, h. e. exercetur, confusa aptissime deae et virtutis notione. Ac proprium ἀσκεῖν de virtutibus et vitiis, cf. Blomfld. ad Aesch. Prom. 1102. — V. 23. ἔξοχ᾽ ἀνθρώπων, maxime inter homi-

nes, cf. Heind. ad Plat. Lys. p. 23., Ast. Animadv. ad Plat. Legg. p. 24. — ὅ τι γὰρ πολὺ seqq., quod enim multiplex est (πολύ, ποικίλον, cf. v. c. Plat. Sympos. p. 205. B.) et multifariam inclinat, quales sunt causae mercatoriae. Ipsum mercaturae et cauponariae nomen non nominat, quippe non aptum lyrico carmini; scite tamen per metaphoram lancium, alias aliter inclinantium, similem naturam harum litium indicat, quae plerumque non simplices sunt et varia habent momenta iudicandi. Potest comparari ἀστάθμητον, ὧδε κἀκεῖ ῥέπον, cf. Stephan. Thes. — V. 24. μὴ παρὰ καιρόν, non inscite, sed convenienter. — V. 25. τεθμὸς δέ τις ἀθανάτων seqq. Ista diiudicare, ait, difficile est, sed decretum aliquod deorum etiam hanc insulam insigne columen et praesidium omnigenis advenis constituit. — καί me iudice poeta necessario adiecit, quum haec Olympiae canerentur, quae, licet alio modo, et ipsa est δαιμονία κίων παντοδαποῖσι ξένοις, universae Graeciae cives sacro luco suo excipiens securos ἐκεχειρίᾳ et tutela deorum. — ἁλιερκέα, vulgare epitheton regionum maritimarum, cf. Tafel. — V. 28. ὁ δ᾽ ἐπαντέλλων — κάμοι, futurum tempus hoc agere ne cesset, ut etiam in posterum sit κίων. Sunt verba poetae solliciti. Insula triennio post ab Atheniensibus capta. — V. 30 seqq. Transit ad alteram laudem ex Aeacidis. — Δωριεῖ λαῷ — Αἰακοῦ. De miro hoc loco mea sententia haec est: Quum Doricum nomen illustre sit, cf. Nem. III, 3. V, 57. Isthm. II, 15. VII, 64., non dubito sensum esse: Quae illustri Doriensium populo ab antiquissima memoria, inde ab Aeaco, gubernata est. Sed quomodo Aeacus, Myrmidonum rex, fuit Doriensis? Mihi Pindarus ex Aeginetarum sententia loqui videtur. Etenim Dorienses constat Achaeos heroes passim pro suis adscivisse, ut pauci quum essent, etiam sic magis firmarent imperium suum. Herculem Tirynthium confuderunt cum suis fabulis; Tyndaridas Achaeos pro Doriensibus habuerunt Spartani; Aeginetae autem quantopere coluerint Aeacum et Aeacidas ex toto Pindaro patet. Atque Aeginam quidem olim occupaverant Hellenes Myrmidones, Hellenii Iovis conditores (Müller. Aeginet. p. 18 seqq.); et quanquam Aeacidae discesserant iterum, Aeacus tamen cum parte Myrmidonum remanserat ex Aeginetarum traditione, et sepultus habebatur in

Aeaceo, cf. Pausan. II, 62, 6. Manserat sic etiam cultus Iovis Hellenii et Aeaci gentis. Iam quum Dorienses Peloponnesum ingressi et ipsi Hellenicum nomen prae se ferrent et primi ceterorum Graecorum historico tempore se dicerent et haberentur Hellenes, certe non est mirum, si hi, qui cum Triacone in Aeginam descenderant, nominis opportunitate usi, non diversos a se dicerent prima origine mythicos Aeginae Hellenes et Iovem Hellenium patrium etiam sibi deum. Nam etiam Herculis et Telamonis amicitia (Isthm. V.) inventa postea videtur eodem consilio Quum autem deinde Dorica instituta per totam insulam propagata essent, quum veteres incolae, licet in quartam tribum, ut videtur, recepti (Müller. Hist. Dor. II, 77.), magis magisque cum Doriensibus coaluissent et vetera discrimina fere obliterata essent in insula tota mercaturae dedita, tum vero sine controversia dici et credi potuit in Aegina Doricum populum ab Aeaco ibi fuisse et Aeacum ipsum Doriensem. Atque ita Pindarus his utitur, manifesto commendans, ut dixi, in hoc carmine Aeginam Graecorum studiis. Denique ad Blepsiadas ut veniam, qui Iovem γενέθλιον coluerunt, simplicissimum sit dicere eos Heraclidas fuisse, ut fuerunt Bassidae (Nem. VI.). Boeckhius vero eos ab Aeaco censet originem repetiisse; sic ex tribu veterum incolarum fuerunt, quorum sane quaedam gentes illustriores erant, ut Budidae (Müll. Aegin. p. 140.), ac fieri potuit, ut ex his gentibus nonnullae Aeaci posteros quosdam fabulosos, qui post Aeacum ibi regnassent, pro auctoribus suis ferrent. Utrum praeferas, ad sequentem fabulam explicandam nihil interest, quantum video. Etenim cur posuit hanc fabulam Pindarus? Celebrantur, ait Tafelius, primordia Aeginae; sane, sed quum omnino multis modis hoc fieri posset, v. c. sic, ut factum Nem. VIII., cur nunc hanc maxime rem elegit? Ac primum quidem facile patet bellicam Aeacidarum fortitudinem memorari propter praesentem Alcimedontis victoriam, ut per totum Pindarum luctatores, pugiles, pancratiastae bellica heroum virtute illustrantur. Sed ne hoc quidem sufficit. Cur enim non tam exponuntur haec facta quam praedicuntur ex omine? Nam etiam ad formam tractationis attendere debet accuratus interpres. Sagaciter vero Boeckhius meus perspexit huius rei causam. Nempe ut nunc Alcimedontis avo

(avum dico, suadente ut vides ipsa concinnitate comparationis) oraculo Iovis praedicta est eximii pueri victoria, sic olim ipsius insulae rex Aeacus in maiori re omen a Iove accepit futurae filiorum fortitudinis. Qua ratione nihil certius et Pindaro dignius. Sed simul inde perspicitur opus non esse, ut Blepsiadas ab Aeaco descendisse statuamus, quemadmodum etiam Isthm. V. in re non absimili nulla cognatio est nec desideratur. Ceterum fabulam de Aeaco Scholiastes notat ante Pindarum non tractatam; quare domestica traditione Aeginetarum eam vides exceptam. — V. 32. στέφανον, h. e. murum, cf. Pyth. II, 58. et exempl. ap. Tafel. — ἐπί iunge c. τεῦξαι. De aoristo post μέλλοντες cf. praeter Boeckh. Nott. critt., quos laudavit Matth. Gr. Pag. 952. Ceterum de Apolline et Neptuno muri Troiani conditoribus vid. Hom. Il. VII, 453. ibiq. Heyn. et ad Apollod. II, 5, 9. Praeterea multos veterum locos collegit Tafel. — νιν Boeckhius monet ad στέφανον referri, quum τεῖχος quoque flamma vastatum sit, collat. Fragm. 81. Ac non potuisset capi, nisi pars a mortali facta esset. — V. 34. ὀρνυμένων — μάχαις, ornate. — V. 36. λάβρον, Pyth. III, 40. Blomfld. ad Aesch. Pers. 114. — ἀμπνεῦσαι, de aorist. post πεπρωμένον ἦν cf. Iacobs. ad Anthol. Pal. P. 802. — V. 37. γλαυκοὶ δὲ δράκοντες — οἱ δύο μὲν seqq., schema Homericum quod dicitur in prosa et poesi usurpatum, ubi aptum. Cf. Hom. Il. V, 27. XVI, 317. ibique Eustath., Od. VII, 103. ibiq. Schol. et Apollon. Dyscol. d. Constr. p. 35. Thucyd. saepe, ut I, 89. Plat. Theaetet. p. 150. d., cf. Matth. Gr. Pag. 581. Adduxi haec, ne imperfectae orationis rem dicas, ut sunt qui credant. — V. 38. πύργον, murum, Eurip. Hec. 1209. — αὖθι, statim in loco sunt mortui. — ἀτυζομένω, attoniti. — ψυχάς, cf. Nem. I, 47. — V. 40. βοάσαις, ut victor, monente Boeckhio. Sed omnino non clamant, ais, dracones; nempe βοᾶν latius de magno strepitu dictum, ut undae, litora, alia clamant, ut non opus sit de peculiari miraculo cogitare. — Ceterum tres dracones sunt propter tres conditores muri, qui tribus nunc locis tentatur. Ac duae quidem partes divinae sunt, quare hinc decidunt bestiae; tertia pars ab Aeaco facta ascenditur, ac per hanc Troia bis capietur. Cave vero hoc in opprobrium Aeaco vertas, quod mortalis

mortale opus fecit. Potius honorificum, quod, quum Troiae excidium in fatis esset, ipse socius assumitur deorum et quod non a quibusvis, sed a suis ipsius filiis fortissimis murus expugnabitur. — V. 41. ἔννεπε δ᾽ ἀντίον, statim dixit coram, Hom. Od. XVII, 529. — ὁρμαίνων, animo volvens prodigium. — V. 42. ἀμφὶ τεαῖς χερὸς ἐργασίαις, qua parte tu moenia exstruxisti. Iungendum vero arcte χερὸς ἐργασίαις, ut vides, quasi una notione, cf. Lobeck ad Soph. Aiac. pag. v. 308., Matth. et Herm. ad Eurip. Ion. 1352. — Ceterum eximie Boeckhius notat Il. VI, 431 seqq. hanc ipsam muri partem significari., ibiq. Heyn. — ἁλίσκεται, bene notante Boeckhio, de eo, quod in prodigio expressum praesens ante oculos videt; at postea futuro utitur ἄρξεται, nam haec accuratiora addi ex mente sua, quum in ipso prodigio nihil nisi expugnatio muri repraesentetur. Ceterum praesens propheticum habes Pyth. IV, 49. Herod. VII, 140. in oraculo. Aristoph. Equitt. 177. Add. Matth. Gr. Pag. 857. — V. 43 sq. πεμφθέν, non regit genitivum, sed additur, ut plenior fiat oratio, ut saepe, cf. Soph. Phil. v. 3. Trachin. 1. Ceterum vere notat Boeckhius consulto hoc comma positum esse a poeta, ut Iuppiter, et Aeacidis et Blepsiadis genitalis, etiam oraculi utriusque auctor significetur. Sunt hae concinnitates vere Pindaricae, quas non negligere debet qui poetae rationem in fabularum usu assequi cupit. — V. 45. οὐκ ἄτερ seqq., Pyth. V, 71. — ἄρξεται, parebit, veluti ἄρξονται passivum est Aesch. Pers. 591. cf. de his formis Monck. ad Eurip. Hippol. v. 1458. Rost. Gr. Gr. p. 435. — πρώτοις, Telamoni maxime, cf. Isthm. V, 26 seqq. Nem. III, 35. IV, 25., et fortasse etiam Peleo, qui saltem Fragm. incert. 55. additur socius Herculi. Add. Schol. ad h. l. — τετράτοις, Neoptolemo, cui adiiciunt Epeum, Phoci nepotem. Quanquam omnino pluralem hic debuit praeferre poeta, quum singularis nimis tenuis fuisset. Porro vides duplicem numerandi rationem, in Graecis scriptoribus obviam, hic coniunctam esse, pro τρίτοις posito τετράτοις numeratoque nunc Aeaco etiam, ut Battus Pyth. IV, 65. numeratur; quod cum Boeckhio credo hic consulto admissum a Pindaro, oraculorum orationem ambiguam imitante. cf. Ol. VII, 33. et Pyth. IV, 56. — V. 47. ἤπειγεν — ἐλαύνων,

properabat curru, in quo ἤπειγεν intransitivum, ut Eurip. Or. 797. Heraclid. 732. Phoeniss. 1286., et cf. Buttm. Gr. ampl. T. II, p. 47. Tendit autem Apollo ad Hyperboreos, versus septentrionem ad Istri fontes habitantes, cf. ad Ol. III, 14. Neque tamen via brevissima vehitur, sed, ut faciunt dii etiam alias, amica simul loca tangens. Talis primum in ipsa planitie Troiana Xanthus est, haud dubie dilectus Apollini fluvius, cf. Müller. Hist. Dor. I. p. 302. — Tum Amazones ad Thermodontem, de quibus cf. Müller. l. cit. p. 389 seqq., sunt sororis Dianae cultrices, ait Boeckhius; ac negari nequit eas nunc amicas Apollini cogitari, quanquam ceteroquin obscura est quaestio de Apollinis et Amazonum sive amicitia sive inimicitia. — V. 49. τάνυεν intendebat, h. e. incitabat, ut Hom. Il. XVI, 375. τανύοντο δὲ μώνυχες ἵπποι, vires sua sintendebant, celeriter currebant. add. Odyss. VI, 83. — V. 50. ἀποπέμπων, deducens, notum ex Homero. — V. 51. δεῦρο, ad Aeginam, in quo Boeckhius usum Graecorum notat, δεῦρο de eo loco dicentium omnino, de quo sermo est, etsi qui loquitur alio sit loco. Commode affert Plat. Phaedon. p. 58. B. — ἀν᾽ ἵπποις, cf. Ol. I, 41. — V. 52. καὶ Κορίνθου δειράδα, et ad Corinthi iugum, quum in Corinthiorum ditione esset Neptuni templum et ludorum sollemnitas. Aliis in locis contentus fuisset Pindarus verbis ἐπ᾽ Ἰσθμῷ ποντίᾳ, qui nusquam temere nomina cumulat; sed hic, quum post ἀποπέμπων — χρυσέαις non posset statim sequi ἐποψόμενος δαῖτα κλυτάν, ob eam ipsam causam novam loci designationem interponere debebat. — ἐποψόμενος visurus sacrificium sollemne, post quod sequentibus diebus celebrantur ludi, cf. Nem. V, 37 seqq. Cave enim de alio festo hic cogites quam de celeberrimo illo, quod primo intuitu se offert. Ac suspiceris Pindarum fortasse verna Isthmia intellexisse, quum Apollo non quovis tempore Hyperboreos adiisse videatur, sed maxime vere, orto quoque anno, ut erat in Delphorum traditione, cf. Müller. Dor. I. p. 269. Sed hoc utpote sanctioris traditionis in his quidem carminibus nusquam tetigit Pindarus; ex populari autem opinione dii etiam praeter stata tempora adeunt amica loca, quando lubet. — Restat, ut cum Boeckhio quaeramus, quid omnino sibi velit hic exitus narrationis, cur tot verbis explicetur quo se receperint dii; nam etiam in talibus non temere versatur Pindarus. —

Igitur mihi quidem nihil nisi transitum parare videtur poeta ad ludos et ad rem praesentem: ut Apollo ad Istrum tendit, unde postea oleaster venit Olympiam, cuius nunc etiam Alcimedon coronam fert, sic Neptunus ad Isthmia et ipsa magnopere tunc frequentata ab Aeginetis; reducimur igitur sensim ad gymnicorum certaminum cogitationem. Neque enim statim a rebus Troianis ad Milesiam transire poterat. Atque hoc mihi satisfacit. Boeckhius meus Apollinis iter tantum concinnitatis causa memoratum statuit omnemque vim in Isthmiorum mentione quaerit, quae suspicatur, Alcimedontem aut Timosthenem adire voluisse. Aliis locis hae allusiones non dubiae, ut Pyth. V. Isthm. VI fin. et Nem. V, 37. hic tamen ipsi Boeckhio res videtur incertior.

V. 53 — ad finem. Revertens ad rem ludicram poeta primum Milesiam laudat magistrum, tum ad Alcimedontis victoriam redit pluribusque eius laudes persequitur. In fine addit preces. — Ac Milesias quidem, patria Atticus (cf. Schol. Nem. IV, 155), erat rei gymnasticae magister peritissimus, qui memoratur a Pindaro etiam N. IV. et VI fin., idem vero invidia flagrabat apud Aeginetas, cf. N. IV fin. Hinc Pindarus orditur sic: Iucundum inter homines aeque placens erit nihil, quare etiam quae hoc carmine cecini aut canam non placebunt pariter omnibus. Si vero nunc Milesiae puerilem victoriam Nemeaeam memoravero, nolim tamen nimis vehementer reprehendi, quasi cupidius eius laudem amplificem; nam praeter hanc puerilem victoriam etiam aliam dicam maiorem ibi inter viros reportatam pancratio. Talis autem debet esse magister, qui alios ad victorias e sacris ludis reportandas rite instituere vult. — V. 53. verba τερπνὸν δ᾽-οὐδέν eodem fere modo cepit Boeckhius. — V. 54 seqq. Duae explicationes cogitari possunt huius loci difficilioris. Primum sic: Si vero Milesiae laudem e pueris victoribus disciplina sua formatis tractavero, ne quis reprehendat gravius; nam Nemeae simul dicam contigisse ei puerilem victoriam et vero aliam maiorem inter viros pancratiasticam, h. e. nam non solum instituit pueros, sed ipse etiam vicit. Sic fere cum Schmidio Boeckhius. Erit igitur nunc oppositio inter laudem ex institutione puerorum victorum et proprias victorias, inter κῦδος ἐξ ἀγενείων

et ταύταν χάριν s. hoc genus laudis, quod Alcimedon habet, h. e. victoriam, quam non docueris, sed ipse tuleris. Sed hac oppositione maxime offendor, quia verba non satis differunt, quum κῦδος ἐξ ἀγενείων prima et vulgari significatione et ipsum significet victoriam ex pueris, qualem modo Alcimedon tulit. Quare magis placet Heynii explicatio, qui κῦδος ἐξ ἀγενείων intelligit de victoria puerili Milesiae, quanquam totum locum non pertractavit. Ac primum κῦδος saepe de victoria, ut Ol. IX, 94. Pyth. IV, 66 — ἀγένειοι sunt adultiores puerorum, Pausan. VI, 14, 1.: ἐπὶ τοῖς παισὶν οὓς ἀγενείους καλοῦσι. Ibid. c. 6, 1.: ἐγένετο δὲ αὐτῷ καὶ Νεμείων ἔν τε παισὶ καὶ ἀγενείων ἑτέρα νίκη. Fabr. Agonist. III, 9. — ἀναδραμεῖν est recolere, memorare altius repetitare; conferunt Scholia ad Eurip. Phoeniss. 215. Add. Schweighaeus. Lexicon Polybian. v. ἀνατρέχειν. Praeteritum quod hic per futurum exactum verti potest, similiter positum Nem. VII, 75 — V. 55. μὴ βαλέτω seqq. De hoc loco, qui insigniter placuit imitatoribus, vide Schneiderum in vita Pindari p. 117. et Boeckhium h. l. Ego hoc addiderim: Quum in promptu esset etiam alia metaphora τοξεῦσαι, τοξεύματα, βέλη ἀφεῖναι pr. dicta acerba in aliquem iacere, cf. Wyttenb. ad Plut. d. S. N. V. p. 5., Pindarus tamen hanc praetulit, quia in magna invidia quum esset Milesias, dicere volebat: Si probare nolunt, tamen ne nimis graviter irascantur neve inhumanius sermonibus me reprehendant, cui sententiae nihil aptius lapidis similitudine. Ceterum comparabo maxime κακοῖς βαλεῖν Soph. Ai. 1244., ψόγῳ βαλεῖν Aristoph. Thesmoph. 902., cf. Wyttenb. l. c. Denique φθόνος est pro invidis, ut facile patet. Cave enim cum nonnullis personificationem statuas. cf. Nem. VIII, 23. Soph. Ai. v. 157. — V. 56 seqq. Haec ego nunc ita intelligo, ut minoris victoriae mentionem excusari credam subiecta maioris laude. Verto: Nemeae enim simul dicam hanc ei laudem contigisse (κῦδος ἐξ ἀγενείων, qualem etiam Alcimedon habet.), sequentem vero virorum pugna e pancratio, h. e. dicam enim simul et hanc laudem et praeter hanc s. sed praeter hanc etiam aliam maiorem: in quo notabis formam dicendi. Quum enim aliis in locis dixeris: simul hanc et aliam, ut Nem. X, 10, 11. post οὗτος, quod ubique emphasin habet, τέ ponitur in secundo membro, contra nunc

oratio in appositionem transit, ut saepe leguntur τέ-δέ, cf. Matth. Gr. pag. 1276. Boeckh. ad Platon. Min. p. 86.; et recte quidem hic ac necessario, quum non coordinetur victoria secunda priori, sed tanquam maior et illustrior opponatur. Denique Νεμέα est Nemeae partam, ut infr. v. 83., cf. Ol. I, 94. et vid. ad Nem. IX, 42. Sensum, quem Tafelius infert, ab hoc loco alienum iudico. — V. 59 — 61. Praeparat nunc per sententias generales laudem, quam ex his victoriis reportatis elicere vult ad docendi peritiam Milesiae illustrandam. — διδάξασθαι vulgo discere, aut erudiendum dare, nunc active docere, cf. Boeckh. h. l. add. Elmsl. ad Eurip. Med. p. 131. Lips. — ἄγνωμον, ἀνόητον. — κουφότεραι, solidiore peritia carentes. — 62. Hinc ad Milesiam redit, cuius praestantia nunc, post praemissas sententias generales, maior apparet. — κεῖνα δὲ-ἔργα, scil. τίς τρόπος ἄνδρα προβάσει seqq., illas autem exercitationes et artes certaminis, quibus usque eo pervenias, ut in sacris certaminibus vincas, κεῖνος, Milesias, indicabit, docebit melius aliis. περαίτερον, nempe sapit ulterius aliis aliptis. — γέρας, decus, honor. Comprobatur his verbis veritas antecedentis sententiae. Atque ita ad Alcimedontem transit, qui se plane dignum praestitit hoc magistro, huius victoriae laudes in principio inceptas iam disertius persequuturus. Non poterant melius haec disponi. — V. 67. τύχᾳ δαίμονος, comparat Boeckh. Pyth. VIII, 53. Nem. IV, 7. VI, 25. Addit alia aliorum scriptorum Tafel. — ἀνορέας δ' οὐκ ἀμπλακών, non destitutus, carens, qui usus verbi e tragicis maxime notus; cf. Blomfld. ad Aesch. Ag. 336. Notum etiam ἁμαρτάνειν saepissime similiter dictum, velut Eurip. Alc. 328. Adde πλανᾶσθαι Nem. VIII, 4. — V. 68. ἐν τέτρασιν παίδων γυίοις, cf. Matth. Gr. Pag. 835. Locum verto: Et fortem se exhibens in quattuor deinceps puerorum corporibus, veluti Soph. Ai. 366. ἐν ἀφόβοις με θηροὶ δεινὸν χέρας, add. ibid. 43, 453. Hic aptissime dictum de lucta. Iunxerat ita Heynius. Quod verbum finitum ἀπεθήκατο interpositum est, ne te offendet; hoc enim saepe fit, et hic recte factum ad vocem τέτρασιν magis extollendam. — γυῖον, corpus, Nem. VII, 73. Ceterum ἔφεδρον fuisse Alcimedontem patet. — ἀπεθήκατο, a se removit, ut rem invisam, cf.

Ol. XI, 41 — V. 69. νόστον ἔχθιστον - οἶμον. Nempe victus homo redit in patriam tristis sine pompa, nec laeto vultu a suis exceptus; oratio eius non est gloriosa, sed tacet (bene comparat Boeckh. Fragm. 149. Pyth. IX, 92.), nec multum conspicitur in locis frequentioribus, sed plerumque remotiores a conspectu vias sequitur, cf. Pyth. VIII, 86. Boeckhius ἐπίκρυφον οἶμον explicat vitae viam obscuram cum Eustathio, in quo tamen significantiorem vocem exspectassem. Ac recte Tafelius notare videtur, quum νόστος de ipso reditu sit, ceteris describi quomodo se gerat deinceps post adventum. — V. 70. ἐνέπνευσεν μένος, θάρσος, quis non novit ex Homero. Videtur affuisse praesens avus, ut supra dixi. Nam carmen statim post victoriam Olympiae canitur, quo tempore vix acceperat nuntium avus, in Aegina si erat; quodsi Olympiae nepotis victoriam praesens vidit, omnia clara. — ἄρμενα πράξαις, h. e. εὖ πράξαις, ut ἀντία πράξει Pyth. VIII, 52. add. πράξειν τι κεδνόν pr. εὖ πράξειν Eurip. Troad. Seidl. 700., vid. plura ap. Wüstemann. ad Eurip. Alc. 621. 819. Vocem ἄρμενα illustrat Tafel. — V. 74. μναμοσύναν ἀνεγείροντα, etiam praeteritarum rerum memoriam excitantem. — φράσαι χειρῶν ἄωτον ἐπίνικον, decus, laudem (Ol. III, 4.) manuum dicere, quibus olim vicerunt, victoriae huius celebrandae causa, ut vertit Boeckhius. χεῖρες, oppositae pedum cursui, ad luctam, pugilatum, pancratium pertinent, veluti Pyth. X, 23. De lucta dicuntur N. VI fin. — φυλλοφόρων, h. e. στεφανηφόρων, cf. N. I. 17. — περίκειται, ut ἀμφιθεῖναι στέφανον Eurip. Ion. v. 1449. περιθέσθαι Med. 984. — V. 77, 8. Sensus ut Heynius et Boeckhius docent: Veniunt vero etiam mortui in partem laudis, quae iis rite persolvitur, ut inferiae; quum moris sit, ut in hymnis epiniciis puerorum etiam defunctorum parentium memoria recolatur. Ceterum ἔρδειν ἱρά, ἑκατόμβας, notum ex Homero. — V. 79, 80. κόνις constat frequentari de terra tegente mortuos. Haec non prohibent, quominus cognoscant viventium laudem. — V. 81. Ἑρμᾶ θυγατρὸς Ἀγγελίας. Noli de inani fictione poetica cogitare. Posse ad mortuos nuntios deferri e superis regionibus, credebant veteres; talis est Echo, de qua vide ad Ol. XIV fin., talis nunc Ἀγγελία, χθονίου ut notat Boeckhius, Mercurii filia, ideoque ut pater descendens in Orcum. Est dea ut

Ὄσσα apud Homerum, quum veteribus velox divulgatio famae, rumoris, nuntiorum per daemonicam vim fieri videretur. Ingeniose vero Müllerus addit *Ἀγγελίαν* deferre *κήρυγμα* praeconis, qui *ἀγγέλλει* (ut Pyth. I, 32.), ac Mercurius praeest etiam praeconibus. In quo *κηρύγματι* quum patris nomen proclamatum esset cum filio, vides, quod etiam Scholia perhibent, Iphionem patrem esse, qui propterea solus accipit *Ἀγγελίας* nuntium, eumque ad Callimachum deferre debet. — V. 83. *λιπαρὸν κόσμον*, victoriae decus. — *Ὀλύμπιᾳ*, cf. ad 54. — *σφι γένει*, cf. ad Ol. II, 14. — Ceterum Callimachus fortasse et ipse, dum vivebat, luctator fuerat et victor. — V. 84. *ἐσλὰ δ' ἐπ' ἐσλοῖς*, alia super aliis, cf. Matth. Gr. p. 1167. — *ὀξείας νόσους* admodum probabile est, quod Boeckhius censet, memorari, quum hi talibus morbis, fortasse pestifera lue, occubuerint. Teneamus modo Pindarum ubique orationem praesentibus rebus accommodare, nec inania verba loqui. — V. 86. *εὔχομαι* seqq. De Asyndeto in precibus cf. Excurs. Sensus vero loci hic: Precor Iovem, ut Nemesis ob pulcrarum rerum fortunam ne infesta fiat; sed consulto, leniore voce *διχόβουλος* utitur, dissentiat ab iis, pr. irascatur. *ἀμφί*, ob, Matth. Gr. Pag. 1158. — *καλῶν*, *ἐσλῶν*, *τερπνῶν*, *εὐδαιμονίας μοῖρα*, usitata phrasis Pindaro. Porro nota est sententia veterum de invidia deorum in magna felicitate, cf. Creuzer. de Arte Graecor. Historica p. 150. E Pindaro vid. Ol. XIII, 25. Isthm. VI, 39. Add. Monck. et Wüstem. ad Eurip. Alc. 1154. et quae Tafelius affert ex Anthologia. Ceterum quaeras, cur Iuppiter Nemesin hic adhibeat, nec simpliciter rogetur ipse ut *ἀφθόνητος* sit, veluti Ol. XIII, 25. Nempe videtur Nemesis in Aegina templum habuisse.

Carmen Olympicum nonum.

INTRODUCTIO.

Victoria haec Olympica reportata videtur Boeckhio Ol. 81; ex antiquitate nihil de ea re traditum. Epharmostus, oriundus a regibus priscis Opuntiorum, erat luctator singularis, non institutus, sed natus, natura factus ad haec certamina, qui praeter alias victorias non paucas ter Isthmia vicerat, aliquoties Nemea, Ol. 80, 3. Pythia, nunc denique Olympia, ut in omnibus sacris ludis clarum esset eius nomen. In tanta igitur excellentia viri carminis consilium nullum aliud esse potuit, quam ut ipsa haec ἀνδρία declararetur quam luculentissime. Quod quomodo factum sit, nunc videamus. Post prooemium, in quo nuntiat carmen Epharmosto urbique canendum, iam ipsam victoriarum laudem illustrius celebraturus magnos in suo genere viros divinitus exsistere dicit idque Herculis, heroum luctatorum principis, exemplo comprobat, qui nonnisi sic ad Pylum Neptuno, Apollini, Orco restiterit. Tum haec abrumpens ad Locrenses fabulas transit, orsusque a Deucalione et Pyrrha, qui post diluvium ibi sedem fixerant, eorumque progenie lapidea, narrat, ut hinc descendente Protogenia natus et Iove Opus huius urbis rex factus sit, unde ceteri deinde reges Opuntiorum, bellici Epharmosti maiores, originem traxerint. Idem Opus etiam advenis multis receptis auxit urbem, inter quos distinguitur Menoetius, pater Patrocli; sic ad Patroclum transiens narrat, ut is solus cum Achille in Mysia Telepho restiterit atque ita probaverit virtutem Achilli, ut hic in posterum eum semper iuxta se dimicare voluerit. Expositis his fabulis ad praesentia redit, persequiturque primum victorias omnes Epharmosti, deinde sententiis quibusdam eximiis naturae vim divinitus insitam laudat, cum qua etiam Epharmostus egregius luctator exstiterit. — Vides ex his, quae indicavi, Epharmosti virtutem gymnicam ipsam in priore carminis parte tractari et in posteriore; ita quidem, ut, quod in principio mythice Herculis comparatione significatur, quemadmodum etiam Boeckhius sensit, in fine directa oratione decla-

retur enumeratisque omnibus victoriis comprobetur Epharmostum esse luctatorem divinitus factum. Atque hac sententia nititur poetica vis huius carminis. Spectant eodem quae in medio carmine leguntur. In medio enim carmine quae habentur fabulae antiquo tempore et regiam stirpem illustrem Opunte ostendunt fuisse et heroes celeberrimos, Epharmostum autem robustis et bellicosis maioribus ortum simili virtute pollere; ut saepe a Pindaro praesentes civium virtutes ad mythicas urbis traditiones referuntur, nec quidquam laudabilius habetur quam patriae antiquitatibus et maiorum heroicae virtuti non dissimilem esse. Quare nunc collectis his omnibus imaginem habemus viri in certaminibus luctae divinitus insita virtute principis, qui priscam vim et fortitudinem gentis et publicorum urbis heroum praeclare refert. Quemadmodum autem hoc modo Epharmosti laus absolvitur, ita ab altera parte etiam urbi nihil honorificentius est quam habere talem civem, habuisse tales reges et heroes; ac videtur Pindarus consulto Locrenses fabulas simul etiam ea de causa disertius tractasse, ut minus cognitae urbis antiquitates magis divulgarentur. Atque ita praestitit quod in prooemio est: *αἰνέσαις ἕ καὶ υἱόν*. Carmen meo iudicio non infimum, quod primo adspectu minus alliciens luminibus sententiarum, at penitius perspectum vere poetica sententia nititur et praeclaram non unius tantum loci tractationem habet, de quo etiam infra dicetur. Post haec omnia quaeras quomodo cantatum sit. Ac Boeckhius quidem in convivio cantatum censet, quod ipse etiam probarem, nisi antecessisse viderentur epulae ad Aiacis aram. Suspicor igitur, quum victor post dedicationem coronae ab ara Aiacis reduceretur, tum vespere inter faces ardentes publice in celebri aliquo urbis loco carmen cantatum.

EXPLICATIO.

V. 1 — 20. **Prooemium. Nuntiantur laudes Epharmosti et urbis Opuntis.** Archilochi, ait, simplex hymnus Olympiae ad praeviam laudem Epharmosto sufficiebat, nunc autem maiori carmine opus ad celebrandas victorias viri etiam urbe

clara nati. Canam igitur hunc et urbem, quae bonis institutis legibusque floret et victoriarum laude e ludicris certaminibus reportata. — V. 1 seqq. Principium vides duarum rerum oppositione niti. Quum enim insignis esset vir Epharmostus, ampliore carmine vel maxime dignus, opponit minus et simplicius, ut sic quae nunc parantur laudes fortius extollantur; de quo usu oppositionis quum alibi, tum in prooemiis, cf. dicta ad Ol. I init. — *τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος* fuit hymnus nobilis in Herculem Callinicum, ex quo duo versus in Scholiis servati sunt. Ac *Καλλίνικος* quidem Hercules est suo iure ob innumeras victorias (Eurip. Herc. fur. 581. et Boeckh. h. l.), Olympiae autem maxime propter Augiam debellatum, quum victor rediens ex isto bello ludos instituisset, cf. Ol. XI. Habebat hymnus ter interpositum ephymnium *Καλλίνικε* (s. *ὦ Καλλίνικε*), unde ter divisus *τριπλόος* Pindaro dicitur. Obtinuit autem, quum victores ludorum post victoriam reportatam vespere pompam ducerent in Altin ad gratias Iovi agendas, cf. Ol. IV. et VIII., ut si cui musicae operae deficerent, hic hymnus caneretur. Ac canebatur ad tibiam aut ad citharam; ubi autem etiam instrumenta deessent, tum vero chori praefectus eo loco, ubi ephymnium erat, canebat *Τήνελλα*, ad imitandum instrumentorum sonum, ut in Aristophanis Pluto *θρεττάνελο* est, post quam vocem quum chorus succineret *Καλλίνικε*, ita demum ortum est coniunctum illud *Τήνελλα Καλλίνικε*, accuratissime tradente Eratosthene in Scholiis ad. h. l. pag. 208. Cet. cf. Boeckh. Expl. et Lieb. Archil. p. 178. ed. sec. — *φωνᾶεν*, quod cani solet Olympiae. — *Καλλίνικος* dicebatur etiam ipse hymnus; sic vox est N. IV, 16. et cf. Elmsl. ad Eurip. Bacch. 1158. — *κεχλαδώς*, de plena ac forti voce laete canentium accipe. cf. Passow. Lex. v. *χλάζω*. Originem Buttm. Gr. ampl. II, p. 255. rectius ab antiqua voce *χλήδω*, turgere, derivat, *χλιδή* comparans; ac similis videtur apud ipsum Pindarum *χλιδῶσα μολπά* Ol. XI, 84. Cet. add. Fragm. Dithyramb. 6. — *ἁγεμονεῦσαι*, in pompa. — V. 5 seqq. At nunc longe iaculante Musarum ab arcu Iovem Olympium et Cronium collem pete hisce talibus telis. Nempe ut Archilochi hymnus canitur in honorem Iovis et Olympiae, sic etiam hic hymnus, sed ibi levioribus melici carminis telis, ut e propin-

quo, uti licebat, nunc maioribus ac fortioribus opus est et longe iaculante arcu. Sic pulcre significatur, quod ratio postulat, nunc maiori arte, magnificentiori carmine opus esse. — V. 6. φοινικοστερόπαν, potentem, cf. ad Ol. IV init., nisi quod simul eligi potuit hoc epitheton cum respectu ad cultum Iovis fulminantis, monente Boeckhio, cf. ad Ol. XI, 80. — ἀκρωτήριον Ἄλιδος est Cronius mons paullo magnificentius dictus. Cronium autem dicit pro Olympia, et hic quidem aptissime, quia mons telis commodius petitur quam planities. — ἐπίνειμαι, secunda persona se exhortans utitur plerumque, raro prima. De verbo autem cf. Blomfld. ad Aeschyl. Agam. 469. — V. 8. τοιοῖςδε hisce talibus, maioribus. — τὸ Ἱπποδαμείας, h. e. locum nobilissimum, ubi Pelops olim certavit et regnavit. Adiectum ad absolvendum ambitum strophae. — V. 11. Pythiam victoriam addit, paullo ante, ut Boeckhio videtur, partam. Accedit nobilitas ludorum. Similiter utriusque loci victoriae coniunguntur et iisdem de causis, ut videtur, Ol. VIII, 15 seqq. — γλυκύν, quis enim non novit πικρὸν ὀϊστὸν ex Homero? — χαμαιπετής, inutilis, irritus, successu carens; cf. Pyth. VI, 37. N. IV, 41. Sensus: non ages nihil, ut vertit Boeckhius, h. e. non perdes operam in homine indigno. — ἐλελίζων, Buttm. Lexil. I, p. 138. Simil. Pyth, I, 4. et κιθάρην ἐλέλιζεν. Nonn. Dion. X, 337. ἀμφί, Pyth. II, 62. Matth. Gr. pag. 1158. — V. 14. αἰνήσαις, cf. Excurs. d. Asyndeto. De optativo cf. Ol. II, 91 — Θέμις in tali sensu est quae bona instituta et leges condit, unde eius filia Eunomia est. — λέλογχε de diis notissimum, cf. XI, 1. Plura habet Tafel. — οἶ, vid. Ol. I, 57. Ceterum videmus hinc etiam Opuntios Locros bene ordinatam rempublicam habuisse bonasque leges, quod de Epizephyreis notissimum, cf. ad Ol. XI, 13. Regebant apud omnes Locros civitatem optimates, ut observat Boeckhius, quorum sub imperio Graecae reipublicae tranquilliores fuerunt. — θάλλει, Isthm. III, 22. Pyth. XI, 53. Dicere omnino vult etiam certaminum studio Opuntem claram; Pythia et Olympia nominat instar omnium, quoniam hic nunc Epharmostus vicerat. — V. 19. ὅθεν unde reportata coronarum decora, στεφάνων ἄωτοι, praestantissimae coronae, Buttm. Lexil. II, p. 17. — ματέρα,

patriam, veluti Isthm. I, 1. — ἐπαείροντι. Alias αἴρειν dicendo extollere, ut Eurip. Heracl. 323. Aristoph. Ran. 380. Nunc conf. Ol. XII fin.

V. 21 — 41. Celebratur Epharmosti virtus gymnica, natura insita, comparatione Herculis. — V. 21 seqq. Sensus: Ego vero caram urbem eximio cantu illustrans celerrime simul hunc nuntium victoriarum Epharmosti in omnes partes divulgabo, si modo poesin divinitus calleo. Vides poetam illustria et eximia promittere. — φίλαν, cf. 83. — μαλεραῖς, ardentibus splendentibus, vox propria de igne, cf. Blomfld. ad Aesch. Pers. v. 62 — ἐπιφλέγων, cf. Pyth. V, 42. Nem. X, 2. Isthm. VI, 23. Videmus ubique Pindarum metaphoras suavissime accommodare praesentibus rebus; quodsi, ut supra conieci, hoc carmen vespere canebatur in urbe publice inter faces ardentes, quid pulcrius et felicius hoc loco, ubi ab ipso luminum splendore per noctem diffuso imago petitur cantus, dictorum splendore urbem illustrantis et nuntium victoriarum in omnes partes equo navique celerius divulgantis? cf. similem locum Isthm. III, 60 seqq. — ἀγάνορος, celerrimi, frequens inprimis de canibus et equis, cf. Tafel. — V. 24. ὑποπτέρου, propter remos, quae πτερὰ νηὸς sunt apud Homer. Od. XI, 124. XXIII, 272. aliosque, ut aliis in locis vela, vid. utrumque usum illustratum a Tafelio. — V. 26 seqq. Suavis dictio de horto, prato, agro Musarum aut Gratiarum (quas ap. Pindarum poesin epiniciam curare supra iam vidimus) a poetis possesso, culto, floribusque inde decerptis, cf. Pyth. VI init. Nem. VI, 33. X, 26. inprimisque praeter Boeckhium Iacobs. ad Anthol. Gr. V. 1, P. 1. p. 1. Valcken. et Monck. ad Eurip. Hippol. 72. Tafel. ad h. l. — σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ, non praeter fatum, h. e. natus, natura factus ad poesin; in quo τινί modestiae causa adiectum. Idem statim κατὰ δαίμονα, et δαιμοίᾳ infr. v. 110. Contra ἄνευθε θεοῦ sunt quae tantum didiceris, infra 103. Quemadmodum autem Pindarus natura valebat, sic alio modo etiam Epharmostus; quare ἀγαθοὶ hic memorantur propter hunc, ut σοφοὶ sunt poetae. Perspicitur nunc Herculis comparatio, qui quod ad Pylum pugnans a Minerva adiutus fertur Pausan. VI, 33., alienum videtur ab hoc loco; nam de naturae vi divinitus innata Pindarus loquitur, quare

nititur totus locus. Denique illud iure quaeras, cur Epharmostum hic laudaturus non directa via ad Herculem tendat, sed suam personam et poetas immisceat; hoc vero mox explicabo. — V. 29 seqq. De nobilissima Herculis pugna ad Pylum adversus deos vid. Boeckhium h. l. et add. Müller. Histor. Dor. I, p. 445. II, p. 479. — V. 30. σκύταλον, h. e. ῥόπαλον, cf. Suid. Constat primum a Pisandro et Stesichoro clavam Herculi tributam; cf. Heinrich. ad Scut. Hercul. Prolegom. p. LXIX seqq. Müller. Dor. II, p. 475. 6. — V. 31. ἀμφὶ Πύλον σταθείς, ut defensor ante muros dilectae urbis, in quo Homerica περιβῆναι, ἀμφιβῆναι comparabis. — ἤρειδε, premere, urgere, sed bene utitur vocabulo etiam luctae apto. — V. 33. ῥάβδον, baculum, notante cum Schol. Boeckhio, quo defunctos in Orcum compellit, qualem apud Homer. Od. XXIV, 5. Mercurius habet. — V. 34. βρότεα σώματα iunge cum θνασκόντων, in quo βρότεα pr. βροτῶν dictum, et σώματα sunt inania corpora, Virg. Aen. VI, 306. defuncta corpora vita. — κατάγει (Hom. Od. XXIV, 100.), deducit, compellit sub terram s. ad viam subterraneam (κοίλαν ἀγυιάν), quae in Orcum fert. — V. 37. λοιδορῆσαι θεούς, h. e. βλάςφημα de iis loqui. — καυχᾶσθαι παρὰ καιρόν, gloriari intempestive, ut nunc laudare Herculem, dum laedas dignitatem deorum. — V. 39. ὑποκρέκει. Proprie κρέκειν λύραν, κιθάραν est pulsare fides idque plectro, ut ψάλλειν digito, nunc ὑποκρέκειν neutrali sensu de cithara voci respondente, ut ὑπᾴδειν, ὑπαυλεῖν, ὑπηχεῖν, cantu, tibia respondere, succinere; unde nunc explicant per συμφωνεῖν, consonare, convenire cum, similem esse. — μανίαισιν, pluralis fortius singulari, frequens Atticis. — V. 40. λαλάγει, temere loquere obtrectando, cf. Ol. II, 97. — ἔα πόλεμον seqq., mitte omne bellum absque diis gestum. — Singulis explicitis iam de universi loci tractatione dicendum est plane admirabili, quam Boeckhius meus, hic brevior, non attigit. Quum Epharmostus athletica vi paene Herculea esset, necessario se offerebat poetae huius herois comparatio, nec levius aliquod facinus, sed ingens, in quo vis et audacia Herculis enormis quam maxime conspiceretur. Tamen hoc facinus erat contra deos, quod si Hercules ausus erat, non item poetae recolere debent. Nihilominus facit hoc Pindarus, amans ille audacia poesios tentamina, quum parem etiam auda-

cissimis se sentiret. Ac vide nunc quomodo rem impiam tractaverit felicissime. Primum igitur vix effatus eam, statim se revocat, ἀπό μοι λόγον τοῦτον, στόμα, ῥῖψον, quasi oblitus sui eo delapsus sit, sententiisque gravissimis ita damnat impios poesios conatus, ut hactenus religioni plane satisfactum sit. Scilicet fieri potest, ut poeta incidat in tales fabulas, modo statim redeat ab iis. Attende nunc etiam ad initium loci. Etenim quaesivimus supra, cur poeta Epharmosti laude occupatus non directa via ad Herculem tenderet, cur suam in hac re personam adderet, poetas immiscens ubi de lucta sermo: nunc videbis causam. Epharmostum illustraturus Herculis narrando facinore audacissimo, sed eodem contra deos suscepto, tectius agere debebat, ne iure reprehenderetur ab Opuntiis, quod Epharmosti virtutem nimis aperte cum tali hic pugna comparasset. Ferebant veteres etiam audaciora, bene illi intelligentes quid poeta vellet; at ut caute, decenter, non nimis aperte talia tractarentur, postulabant. Hinc nunc a se ipso orditur, atque ἀγαθοὺς et σοφοὺς coniungit, tum demum subiicit locum de Hercule, qui nunc ad universam sententiam antecedentem pertinet, nec magis ob Epharmostum positus videtur quam ob ipsum Pindarum et poetas. In quo illud pulcherrimum, quod simul etiam praestat se talem, qui nunc ipsum difficillimam rem eximie tractans, insignis apparet luctator et ipse, par iis, quos canit. Atque ita patet interior praestantia huius loci. Non perficias talia διδακταῖς ἀρεταῖς, Pindarus ait, sed ingenio innato; quare qui cognoscere volunt τὸ εἰδέναι φυᾷ quale dicat Pindarus, non solum ad dicta praeclara sententiasque singulas sublimes attendere debent, sed inprimis etiam ad has tractationes rerum ingeniosissimas.

V. 41 — 79. Antiquitates Locrenses. Locus memorabilis, quum Pindarus ipsam domesticam Locrorum traditionem expresserit. — V. 41. γλῶσσαν φέρειν, ut Μοῖσαν φέρειν Nem. III, 27. — Πρωτογένειαν Boeckhius hic intelligit Deucalionis et Pyrrhae filiam (Apollod. I, 7, 2.), quae cum parentibus primum Opunte habitaverit, postea in Elide ex Iove pepererit Aethlium; videri tamen eam etiam Opuntem maiorem in Elide peperisse. Ab hac distinguendam esse Opuntis mox memoratam filiam, probabiliter tamen et ipsam Protogeniam ab avia dictam. In qua sen-

tentia ego illud laudo, quod duas mulieres distinguit Boeckhius, Protogeniam tamen crediderim hic nominari Opuntis filiam. Etenim Deucalionis et Pyrrhae filia excessit Opunte in Elidem, et hic nonnisi indirecte significatur, vid. κορᾶν v. 56. At Opuntis filia Locro nupta vera regina est urbis et mater huius, de qua Pindarus loquitur, regiae gentis, eiusque filius urbi nomen dedit Opuntis. — V. 42. αἰολοβρόντα, potentissimi. Vid. tamen ad Ol. XI, 81. — De diluvio nota omnia. Nuper de his rebus egit Völkerus Mythologie des Japetischen Geschlechtes, qui tamen hunc locum non excussit accuratius. — V. 44. ὁμόδαμον, consimilem; sed ὁμόγονον, ὁμογενῆ dicere non poterat. — V. 46. Λαοὶ maiuscula litera scribendi. Sunt enim hic filii filiaeque Iapeti et Pyrrhae lapidei, nobile genus, ut Sparti Thebani, unde Opuntia traditio gentes nonnullas urbis derivabat, ut Epharmosti domum, non vero universum populum, cf. v. 67. — V. 47. Οἶμος ἀοιδῆς proprie est via, ratio cantus, cf. Passow. Lexic. et Hom. Hymn. in Mercur. ἀγλαὸς οἶμος ἀοιδῆς, ut ὁδὸς λόγων Ol. I, 110.; in quibus loquutionibus, quum non prima viae notio sed metaphorica regnet, recte εἰπεῖν, ᾄδειν, ἰαχεῖν ὁδὸν λόγων, ἐπέων, ὕμνων dicitur, cf. ad Nem. VII, 50. Sic nunc Pindarus λιγὺν οἶμον ἐπέων ἐγείρειν dixit, sonorum, eximium genus cantus, eximiam laudem excitare, ut alias λιγυρὴ ἀοιδή, λιγυρὴ οἴμη est. — σφίν, Opuntiis, ait Boeckh., Πρωτογενείας πολίταις. cf. Nem. VII, 10. Nisi ad Laos pronomen pertinet; nam hos et ab his descendentem regiam gentem canit. — V. 48. Fabulae de diluvio et Deucalione Pyrrhaque notissimae; at quae poeta canere vult de origine regum Opuntiorum a Lais, ea nondum videntur tractata esse ante Pindarum, unde, pulcre monente Boeckhio, ἄνθεα ὕμνων νεωτέρων dicit. Adde nos ad Ol. III, 4. Miror Tafelio non intellectum Boeckhium. Non Opuntios dicimus incuriosos fabularum suarum, immo apud hos hae traditiones ferebantur, sed a lyricis forte nondum tractatae erant, cuius rei iam tria exempla vidimus in antecedentibus. Denique verba: αἴνει παλαιὸν μὲν οἶνον non ad fabulas nescio quas hic pertinent, sed rhetoricum usum habent: Vetusta laudamus in aliis rebus, in poesi nova, inaudita, ut vi oppositionis magis extollatur id, quod nunc canere vult. cf. supr. ad prooemium. Ceterum propter vini mentionem Boeck-

hius in convivio carmen cantatum suspicabatur, cuius rei sane multa apud Pindarum exempla sunt; sed ut etiam in pompa, statim sequente convivio, talia admittebantur, cf. Nem. IV, 48 seqq., sic idem fieri potuit in reditu ab epulis. — V. 49 seqq. Narrationis ordo, non sine arte institutus, quem Boeckhius non exposuit data opera, hic est: Tradere vult ortum regiae Opuntiorum gentis. Quare deducta oratione ad Opuntias fabulas primum memorat a Deucalione et Pyrrha ortos ibi Laos, et recte quidem; nam ab his ipsis regia gens originem traxerat. Tamen antequam pergat, subsistit paullulum, et excitat attentionem ad ea, quae dicturus sit; esse enim rem novam. Hoc et per se commodum et propter celerem transitum ab Herculis fabula paene necessarium erat. Exin continuatur narratio; quum autem iam non posset statim ordiri a κείνων, necessario praemittenda erant quaedam, quibus nexus rerum restitueretur. Hinc dicit: „Fertur nempe magna fuisse inundatio; sed Iovis artibus subito tamen ea absorpta est. Ex illis autem Lais tum ortis geniti sunt vestri maiores." Quare nihil non suo loco hic positum. Vides etiam illud, κείνων necessario ad Laos pertinere. Quodsi Deucalionem et Pyrrham intelligis, ita ut praeter lapideam gentem fuerit alia ab his parentibus per concubitum genita, mire Pindarus lapideam commemoravit quae sic aliena erat, tacuit autem eam unde oriundos dicis Opuntiorum reges. Immo aliam Deucalionis et Pyrrhae gentem praeter lapideam hic quidem locus non novit. — V. 52. ἀνάπωτις est fluidi ἀναχώρησις εἰς βαθύ, cf. Foës. Oecon. Hippocrat. et Bekk. Anecd. p. 215, 9. Spanh. ad Callimach. in Del. 130. Valcken. ad Herod. VIII, 129. — V. 53. ἄντλος, aestus aquarum, ut passim poetae omnino de aquis et mari. Cf. ceterum d. v. Elmsl. ad Heraclid. 169. — V. 54. χαλκάσπιδες, bellicosi, utpote lapideo robore instructi; atque hoc robur, hanc virtutem nunc Epharmostus refert. Haec vera mens Pindari, et propter hanc causam dixit de maioribus Epharmosti. ὑμέτεροι enim, cum Scholiis monente Boeckhio, plane non dubium est ad Epharmostum pertinere, cuius familia a regibus Opuntiis descendebat. Universos Opuntios quo minus credamus eum sic alloqui, et oratio accuratior vetat et ipsa res; neque enim profecto omnes fuerunt e regia gente oriundi. — V. 55. Ἰαπετιονίδος φύτλας κοῦροι κορᾶν seqq.

Difficilior locus, de quo sic habe: Orti erant Opuntiorum reges proxime a Iove et Protogenia, Opuntis Elei filia, quod nunc ad maiorem laudem consulto effatur magnificentissime sic, ut pro duobus hisce parentibus gentes eorum nominet, pro Iove magnorum Cronidarum gentem, vere monente Boeckhio, cf. ad Olymp. VI, 68. Pyth. II, 25. IV, 72., pro Protogenia mulieres gentis Iapeti. Nempe Protogenia Opuntis descenderat ab illis Lais, non tamen a viro, sed a femina aliqua lapidea, cuius nomen Pindarus, ut hic inutile, tacet. Boeckhius aliique Protogeniam maiorem fuisse putant. Nunc vide Graeca: Ex illis Lais, ait, erant vestri maiores, materno illi genere filii mulierum Iapeti generis (Protogeniae Opuntis eiusque inter Laos aviae) paterno filii Cronidarum (h. e. Iovis). Ceterum κόρος, κοῦρος appellatione honorifica dici, Welckerus monet ad Theognid. p. 150. Denique, ut totum locum penitius etiam perspicias, attende ad adornationem narrationis. Orsus a Deucalione Pyrrhaque et Lais simplex narrator perrexisset sic: Lai partim in alias terras abierunt; una eorum fuit quae in Elidem venerat avia Protogeniae Opuntis filiae; Protogenia a Iove compressa peperit minorem Opuntem, regiae gentis sequentis conditorem. Sic vos estis materno genere a mulieribus Iapeti generis, paterno a Cronidis. Pindarus autem, ut poeta, magnificentius invertit ordinem, ultimum locum quasi quoddam splendidum aenigma praemittens, priorem vero pro explicatione subiiciens, atque ita differt poetica ratio a vulgari. — V. 57. πρίν, olim enim, cf. Isthm. VII, 68. Asyndeton est, quum explicet antecedentia. De constructione θύγατρα ἀναρπάσαις μίχθη (αὐτῇ) cf. Stallb. ad Plat. Euthyphr. p. 42. Matth. Gr. p. 792. — V. 58. ἕκαλος, cf. Buttm. Lexil. I, p. 144. — De Locro vid. Boeckh., qui notat antiquissimam eius memoriam exstare ap. Strabon. VII, p. 496. A., Hesiod. edit. Dind. p. 75. — V. 60. αἰών, vitae tempus procedens, χρόνος. — ἐφάψαις, afferens, imponens ei mortem sine liberis, Hom. Il. II, 15. VII, 402. XX, 513. — V. 61. Conceptum ferebat gremio summum s. divinum semen Iovis, Pyth. III, 15. — V. 62. θετόν, ποιητόν, adoptivum. — V. 63. ἐκάλεσσε - ἔμμεν, cf. Matth. Gr. pag. 768. Ex Opunte avo dicitur Opus. — V. 65. ὑπέρφατον, singularem, μορφᾷ τε καὶ ἔργοισι, manifesto iterum dictum cum respectu ad Epharmostum, qui maioribus similis. — V. 66. seqq.

Adiicitur narratio de Patroclo. Qui artem Pindari ab omni parte cognoscere cupiunt ad illud etiam attendere debebunt, quam concinne diversos rerum ordines nectere sciat. Quod saepe fit sententiis generalibus; hoc loco aliter. Etenim dixerat de regia gente; nunc commode subiiciens nonnulla de populi incremento, qui minime totus descendebat a Lais, sic transitum sibi parat ad narrationem de Patroclo. Urbs post diluvium initio tenuis erat, nunc augetur advenis plurimis atque ita conditur populus Opuntius. De singulis populis Boeckhius annotat, Thebanis suaviter simul significari a poeta suae patriae cum Opuntiis coniunctionem; Arcades memorabiles esse propter Maenaliam Iovis cum Protogenia consuetudinem, Pisates propter Opuntem memorari et priscam Opuntiorum et Eleorum cognationem. Atque ibi nunc vicerat Epharmostus. — De Actore Phthiota, qui ex Aegina genuit Menoetium, vide Müller. Aeginet. p. 22. pulcre disputantem. Menoetius Opunte suscipit Patroclum. Patroclus autem una cum Achille in Mysia pugnaverat ad Caicum adversus Telephum, de qua re quae hic narrantur ab aliis notatum est ex Cypriis fluxisse, docentque id Excerpta ex Procli Chrestomathia. Pindarum vide iterum Isthm. IV, 41. VII, 50. — Teuthras fuerat rex illius terrae, maritus Auges, quae, antequam in Mysiam deferretur, ab Hercule Telephum susceperat. — V. 74. ὥςτ' ἔμφρονι δεῖξαι seqq., h. e. ut iis, qui mentem haberent, ostenderet Patrocli virtutem, qualis esset; in quo Patrocli nomen cum emphasi pronuntia, veluti est Ovid. Met. XIII, 17, 18. Aiacis et Ulyssis nomen positum, et Sil. Ital. II, 29. Hannibalis. — δεῖξαι μαθεῖν, usitatus post haec verba infinitivus ad pleniorem orationem, Pind. N. VI, 8. Soph. Oed. R. 792. Electr. 1458. — V. 77. παραγορεῖτο, hortaretur, rogaret. — Denique restat, ut de consilio huius narrationis moneamus. Ac Boeckhius quidem, quum poeta post haec ad Lampromachum transeat, respici putat pugnam aliquam, in qua Epharmostus et Lampromachus una stetissent. At enim si Epharmostus Patroclo similis, uti non dubitamus, videbitur Lampromachus Achilli comparari, quod incommodum. Omnino de bellico aliquo facinore Epharmosti cogitandum non videtur. Pindarus dicit: Patroclus statim in principio expeditionis Troianae tam fortem se praestitit, quum ceteri plerique

Danai fugerent, ut inde ab hoc tempore Achilles maximis eum rebus parem haberet. Haec autem eximia laus herois domestici quomodo ceteris rationibus huius carminis optime conveniat, in Introductione declaravi ad normam aliorum Pindari carminum.

V. 80 — ad finem. Ultima pars carminis. Redit ad Epharmostum, eiusque victorias et virtutem athleticam uberrime pertractat. — V. 80. εἴην εὑρησιεπὴς seqq. Sensus: Plura invenire liceret, possemque ulterius progredi in heroicis hisce rebus, et audacia ac larga vis sequeretur (quum praeter inventionem audacia et dicendi facultate opus sit ad res magnificas digne eloquendas); sed avocat me proxenia et virtus Lampromachi, cuius Isthmiacam victoriam laudare nunc debeo, quum eodem die cum Epharmosto ibi vicerit. εἴην, omisit ἂν hic et ad ἕσποιτο, cf. Ol. III fin.; et recte, quum confidentius loquatur. Neque enim de voto hic cogitem, cf. similem transitum Nem. VII, 50. — εὑρησιεπὴς malo sensu est apud Aristoph. Nub. 447., ubi vid. — ἀναγεῖσθαι, ulterius provehi. Porro de Μοισᾶν δίφρῳ, qui manifesto ad res heroicas hic pertinet, cf. supr. ad Ol. VI, 22. — V. 81. πρόσφορος, Blomfld. ad Aesch. Choeph. 699. Musgr. ad Eurip. Heraclid. 481. Pind. Nem. VIII, 48. IX, 7. accommodatus, idoneus s. accommodato habitu, digno modo. Ceterum cf. Matth. Gr. Pag. 834. — V. 82. τόλμα, Ol. XIII, 14. Nem. VII, 50. — ἀμφιλαφής, cf. Spanh. Callim. Apoll. 42. Cerer. 769. Blomfld. ad Aesch. Agam. 985. Tafel ad h. l. — V. 83 seqq. Lampromachus, ait Boeckhius, est proxenus Thebanorum, quo munere a Thebanis ei delato simul Pindaro Thebano conciliatur. Simul patet eum fratrem vel propinquum Epharmosti esse. — προξενίᾳ δ᾽ ἀρετᾷ ἦλθον, sed propter proxeniam et virtutem veni Lampromachi victoriae laudator, non ipse, sed per carmen. (Ol. VIII, 13). De dativis cf. Matth. Gr. P. 728. Ceterum vera causa, quare abrupit mythica, haec erat, quod dixerat quae volebat. Sed sunt hae suaves formulae apud Pindarum, quibus quod relinquat fabulas excusare solet, nunc quidem bene duobus substantivis iunctis et proxenia memorata, ut satis idonea causa videretur, quae eum avocasset. — V. 84 τιμάορος, h. e. ἐπίκουρος (Ol. XIII), 97. vindex.

cf. praeterea Nem. IV, 73. τιμωρεῖν et βοηθεῖν, τιμωρία ac βοήθεια, — μίτραις, h. e. taeniis laneis. Significantur, notante Boeckhio, Isthmiae coronae, quibus hae imponi solebant, cf. Isthm. IV. fin. Vide omnino Boeckhium. — V. 85. ἔργον, certamen, Pyth. VIII, 80. al. κρατεῖν ἔργον, cf. Matth. Gr. Pag. 746. Lampromachus igitur, eodem die in Isthmo vincens cum Epharmosto, non certaverat lucta, sed alio genere. — V. 86. ἄλλαι δὲ δύο seqq. Aliae duae in Isthmo contigerunt iis postea victoriae, non uno die, ut ante, sed diversis temporibus. Ut enim etiam hic Lampromachum in partem vocem, moveor eo, quod Epharmosti nomen in sequenti demum versu legitur, quare tum demum ad hunc solum redire censendus est. Si aliter voluit, non loquutus est accurate. — V. 87. ταὶ δέ, aliae, non dicit quot. — Νεμέας κατὰ κόλπον, in valle Nemeaea, Ol. XIV, 23. κόλποις Πίσας de valle Olympica. Soph. Antig. 1120. Ἐλευσινίας Δηοῦς ἐν κόλποις, in valle Eleusinia, ubi perperam de sinu Saronico cogitant. — De Argivis et Atticis ludis vid. Ol. VII, 82, 3., et Scholia. — Marathone fuerunt Heraclea, cf. Schol. et Boeckh. add. de cultu Herculis in illis regionibus Müller. Dor. I, p. 438. — V. 89. συλαθεὶς ἀγενείων, modo ereptus per aetatem ex pueris, quorum decus fuerat. Etiam Boeckhius puerili aetate maiorem, sed admodum adolescentem intelligit. De genitivi constructione cf. Matth. Gr. Pag. 667. Furtim egressum e pueris et maiorem aetatem mentitum si indicare voluisset Pindarus, verbum ἐκκλέπτειν, ὑπεκκλέπτειν, simile exspectassem. Nunc sibi opponuntur παῖς et συλαθεὶς παίδων. Ceterum d. v. ἀγένειος cf. Ol. VIII, 54. — V. 90. πρεσβυτέρων, quum forte ceteri certatores aetate provectiores longeque validiores essent. — ἀργυρίδες, χρυσίδες Atticis maxime dicuntur phialae argenteae, aureae, cf. Boeckh. h. l. Ac tales in his ludis dabantur, cf. Schol. v. 34, et plures quidem, ut Sicyone Nem. IX, 51., binas puta. — V. 91. ὀξυρεπεῖ δόλῳ, suaviter de luctatore, qui celeribus motibus adversarium fallit. — V. 92. ἀπτῶτι, non labente, firmo, certo, corruere nescio. παλαίσας ἀπτώς Anthol. Pal. IX, 588. Inprimis honorificum, si quis per tria certamina luctae non ceciderat, quanquam pancratiastae etiam iacentes luctabantur. Nunc ad δόλον traductum epitheton. Plat. Rep. VII, p. 534.

ἀπτῶτι τῷ λόγῳ. Aristoph. Nub. 1231. τὸν ἀκατάβλητον λόγον, coll. Heind. ad Plat. Euthydem. p. 354. — V. 93. κύκλος, Boeckhio cum Schol. est area, in qua lucta fuit, palaestra Herculi Marathonio dicata; ego coronam spectantium malim, coll. Ol. XI, 72. — V. 95. τὰ δέ, ex alia parte, Ol. XIII, 53. Pyth. VIII, 28. ibiq. Nott. critt. Boeckh. — Apud Parrhasiorum populum celebrantur Lycaea, cf. ad Ol. XIII, 108. Nem. X, 48 et vid. Boeckh. ad Ol. VII, 83. — V. 96. ἀμφί, Matth. Gr. p. 1159. — V. 97 seq. Ludi Pellanenses fuerunt, uberrime explicante Boeckhio, Theoxenia et Hermaea Apollini et Mercurio dicata, praeterea Iovialia; in quibus omnibus olim laenas pro praemiis datas suspicatur, quum hae ibi optime fabricarentur. Diserte traduntur in Hermaeis datae; in Theoxeniis Pausaniae tempore argentum reportatum, sed statuit Boeckhius postea laenarum praemia obsolevisse. Pindaro laenae iterum memorantur Nem. X, 44. — φάρμακον αὐρᾶν, confertur Hipponact. Fragm. p. 34. ed. Welck. χλαῖναν δασεῖαν ἐν χειμῶνι φάρμακον ῥίγευς, tum Quint. Smyrn. IX, 359. Hom. Od. XIV, 529. — De Iolaiis s. Heracleis Thebanis cf. Boeckh. Ol. VII, 84.; habebantur ad Iolai tumulum, qui idem Amphitryonis et Alcmenae, ante portas Proitides, in stadio s. gymnasio Iolai. cf. ad Pyth. IX, 84. Nem. IV, 20. Praeterea etiam curulia certamina habita, ut etiam hippodromus ibi fuerit. cf. ad Pyth. II, 3. — σύνδικος, patronus causae, h. l. pr. μαρτυρεῖ testatur eius victoriam. — Eleusinia duplicia notissima; moiorum die septimo ludi acti. Praeterea Demetria Eleusine habita. Vid. Boeckh. — ἀγλαΐαισιν, Ol. XIII, 14. Isthm. II, 18. Non superflua vox, licet logico suffecerit αὐτῷ, sed laudis causa addita. — V. 100. Denique sententiis quibusdam eximiis declarat naturae praestantiam in Epharmosto. Quicquid natura obtigit, ait, optimum; multi vero disciplina acquisitis virtutibus gloriam quaesiverunt, sed frustra; sine deo, nulla naturae indole, peracta res omnis aeque bene tacetur quam praedicatur, h. e. sive taceas, sive laudes perinde est, quum interna praestantia careat. — V. 103. De constructione σεσιγαμένον οὐ σκαιότερον cf. Nem. V, 16. Frequens inprimis apud Atticos genus, cf. Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 315. Matth. Gr. Pag. 1091. — V. 104 seqq. Sunt enim plurimae

viae aliae aliis longiores, nec possumus omnes eidem rei studere; excellere vero in aliquo genere arduum quidem est, sed huius rei laudem Epharmostus habet, s. sed hoc nunc afferens praemium elata voce clama fidenter, hunc virum divinitus exstitisse luctatorem singularem. — Verba: ἐντὶ γὰρ ἄλλαι seqq. posita sunt, ut gradatio adesset. Vult dicere Epharmostum esse in suo genere perfectum; quare praemittit haec: Esse quidem vias alias aliis longiores, perfectionem tamen esse difficilem. cf. de hoc oppositionis usu ad prooemium. Exspectaveris igitur: σοφίαι δὲ αἰπειναί, sed quum haec simul sequentibus opponenda essent indeque penderet vis sequentium, melius praetulit μέν, oppositione adversus antecedentia sensu et collocatione indicata. — σοφίαι, excellentia in aliquo genere artis quocunque. Mirum vocem non ab omnibus hic sic intellectam. — V. 108. τοῦτο ἆθλον, h. e. σοφίας ἆθλον, pulcre dictum de excellentiae laude tanquam praemio victori exhibita. — V. 109. ὄρθιον, magna voce. — ὤρυσαι, sexcenties poeta de se loquitur per secundam personam. Et hic quidem exhortatione nihil aptius. — θαρσέων, ut in re verissima. — V. 111. ὁρῶντ' ἀλκάν, Blomfld. ad Aesch. Sept. 53. Matth. Gr. Pag. 746. — V. 112. Αἰάντεον-Ἰλιάδα-βωμόν, Matth. Gr. Pag. 802. — τε-ὅς, h. e. ὅςτε. Sensus: Qui victor coronavit Aiacis aram; quum moris fuisse videatur, ut victores in ara domestici huius herois deponerent coronas. Cogitabis autem τέμενος cum ara; ibi sacrificatum heroi et epulum habitum sub divo, inter haec corona dedicata. Eodem die carmen cantatem credo cum Boeckhio; et hic quidem in literis ad me datis, „dum καθαγίζεται, ait, ara coronatur, in epulo statim sequenti canitur carmen. Δαὶς vero tota commissatio est.“ Mihi incommoda videntur verba ἐν δαιτί, si adhuc erant in convivio, atque ita demum apta, si distinguitur convivii tempus ab eo, quo carmen canitur. Quare post has epulas dixi mihi carmen videri cantatum.

Carmen Olympicum decimum (undecimum).

INTRODUCTIO.

Agesidamus, Archestrati filius, Locrus Epizephyrius, vicit puer pugilatu Ol. 74. Monente Boeckhio Pindarus Olympiae tum praesens (cf. fin. sequentis carminis) statim post victoriam hoc carmen scripsit in vespertina comissatione ibi canendum, quum alium maiorem hymnum suscepisset in Italiam mittendum ad sollemnia epinicia apud Locros post reditum Agesidami celebranda, quem licet sero, postea etiam misit, carmen dicimus sequens. Interim praeludit his strophis, quarum summa eo redit, ut nuntietur hymnus, quem faciet, maior; ac quum Agesidamus trans mare in longinquis regionibus habitaret, quid aptius quam pignus dari promissi abituro? Atque hoc voluit esse propositum carmen.

EXPLICATIO.

V. 1 — 6. Principium. In rebus gestis ait carmine opus esse. De forma loci, qui oppositionem duorum membrorum habet, ut magis extollatur id, quo tendit oratio, cf. ad Ol. 1 init. — V. 1, 2. constructio: *ἔστιν ὅτε ἀνέμων πλεῖστα χρῆσις, ἔστιν ὅτε οὐρανίων ὑδάτων.* cf. Herm. ad. Vig. p. 919. De sententia tenebis, Pindarum, ut solet proximis uti et praesentibus, non longe petitis, quum Agesidamo per mare redeundum esset, commode a ventis ordiri naviganti necessariis, quibus deinde pluviam addit agricolis utilem, ipsa concinnitate ductus. Legitime enim navigatio et agricultura componuntur, cf. v. c. Soph. Antig. 334 seqq. — V. 3. *παίδων*, cf. ad Ol. II, 32. — V. 4 seqq. Sensus: res gestae autem carmine opus habent, pro quo pulcrius dicit sic: Res autem qui bene gessit, ei hymni sunt fundamenta et initia futurae memoriae (quum per eos notae fiant res gestae), et pignus magnarum virtutum (quum

testentur virtutem posteris fide firmissima). Atque ita etiam Boeckhius. — σὺν πόνῳ, ut in pugilatu. — V. 5. ὑστέρων λόγων, futurae apud posteros mentionis et laudis. Ceterum quod in Introductione hoc breve carmen pignus dixi maioris, non dixi propter hunc locum, sed propter totius carminis sensum, ut Boeckhius. — V. 6. τέλλεται. De schemate Pindarico vid. Boeckh. ad Ol. VIII, v. 8. Nott. critt., Hermann. ad Soph. Trachin. 517. Matth. Gr. Gr. P. 603. Quum verbum in hac constructione in principio ponatur apud Atticos, Hermannus etiam hic nunc iterum post λόγων interpungi vult, quod valde ieiunum, ut mihi quidem videri solet cum Boeckhio. Welckerus ad Hipponactis Fragmenta p. 41. notat non comparatos a criticis illius poetae versus hos: Δύ' ἡμέραι γυναικός ἐστιν ἥδισται, ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν, quanquam Gaisfordius ad Hephaestionem p. 253. εἰσὶν scribat.

V. 7 — fin. Significata generaliter utilitate carminum, nunc paulatim ad Agesidamum transit et hymnum epinicium ei promittit. — V. 7. ἀφθόνητος seqq. Merentur autem, ait, omnium iudicio inprimis Olympionicae hanc per carmina laudem. ἀνακεῖσθαι nosti vel e Pausania de statuis aliisque sacris donariis pretiosis in ludorum locis. Quodsi igitur Olympionicis factorum per carmina monumentum exstat, sacrum illud et intactum habetur et ἀφθόνητον est, h. e. nemo non meritum dicit. — V. 8. τὰ μέν, quae quidem, h. e. tales Olympicas laudes, ego canere volo. — V. 9. ποιμαίνειν, regere, gubernare, ducere, inprimis autem curare, fovere, alere significat, similiterque ποιμήν dux, aut possessor et dominus est aut curator. cf. Ol. XI, 88. Nem. VIII, 6. Isthm. IV, 14. Add. Plat. Lys. p. 209, A. Anacreon Carm. LX. Long. Pastor. II, 5. Abresch. ad Aeschyl. T. III, p. 9. Iacobs. ad Anthol. gr. V. XII, p. 150. Tafel ad h. l. Denique cf. βουκολεῖν, de quo vid. laudata ap. Blomfld. ad Aesch. Agamem. 652. — V. 10. ἐκ θεοῦ seqq., a deo enim adiutus vir nunquam caret inventionis sollertia, sed floret semper sapienti ingenio, ut fidenter tale carmen in se recipere et promittere possit, optime sensum explicante Boeckhio. — V. 11. ἴσθι νῦν seqq. Scito igitur, Agesidame, me, quum tu praeclare steteris in pugilatu, dulce cantus ornamentum additurum coronae aureae a te reportatae, in quo ἐπί est praeter, insuper, cf.

Matth. Gr. pag. 1167. Cave enim vertas: propter ornamentum coronae reportatum canam ornamentum carminis tibi. Ceterum κόσμος de carmine non uno modo, cf. Fragment. Pind. 103. Fragm. Parmenid. ed. Brandis v. 113. Plat. Phileb. P. 66. — χρυσέα dicitur ἐλαία pro pretiosissima, pulcherrima, unde χρυσοστέφανοι ἀέθλοι Ol. VIII, 1. et φύλλα χρύσεα Nem. I, 17., et δάφνη χρυσῇ Pyth. X, 40., monente Boeckhio. — V. 15. ἀλέγων, fovens, ornans, cf. Alcaeum in Schol. — V. 17. μή μιν φυγόξενον στρατόν seqq. Spondeo vos non venturos ad eam gentem tanquam ad inhospitum populum, sed poesios gnarum et bellicosum. De construct. μιν-στρατόν cf. Herm. ad Vig. p. 637. Suspicatur Boeckhius ξενηλασίαν Doricam, ut in Aegina, hic minus severam fuisse. Ceterum pulcre hac re utitur poeta exhortans Musas, ut eo tendant ad epinicia. cf. simil. Nem. III, 2. IV, 12. — V. 18 seq. μηδ᾽ ἀπείρατον καλῶν, ἀκρόσοφον, ad musicas Locrorum artes pertinent, de quibus docte ad h. l. exposuit Boeckhius. Fuerunt poetae apud eos plures, ut Xenocrates, Erasippus, Theano femina, alii, inprimisque nota Λοκρικὰ ᾄσματα molliora et amatoria, Sapphicis Anacreonticisque ingenio similia. Denique notanda harmonia Λοκριστί, qua nonnulli Pindari et Simonidis aetate utebantur. Ceterum ad ἀκρόσοφον cf. Wessel. Herod. V, 124. — αἰχματάν, cf. de rebus gestis Locrorum Heyn. Opusc. T. II, p. 55 seqq. Suavis autem coniunctio musicarum et bellicarum artium, laudata etiam Ol. XI, 14, 15. — τὸ γὰρ ἐμφυὲς seqq. Non degenerasse dicuntur Epizephyrii, licet procul habitantes, a virtutibus et institutis patrum suorum, Ozolarum et Opuntiorum Locrorum, cf. Müller. Dor. II, p. 227. et Boeckh. h. l. Inprimis Ozolae clari fortitudine. Pindari proverbialis loquutio de vulpe et leonibus fortitudinem et ingenium callidum et sollers significare videtur. — V. 20. αἴθων, Blomfld. ad Aesch. Sept. c. Theb. v. 444. — V. 21. διαλλάξαιντο, sine ἄν, cf. ad Ol. III fin. Denique ad universum locum de laudibus Locrorum illud notes velim, Olympiae haec cani in publico Graeciae conventu.

Carmen Olympicum undecimum. (decimum).

INTRODUCTIO.

Quum Pindarus carmen antecedens Agesidamo puero proxime post victoriam Olympiae profligaret, promiserat simul maius post reditum victoris in patria, sed oblitus erat, ut ait. Hoc nunc mittit longo tempore post, quum Agesidamus aetate iam senior esset, ut caneretur, vere notante Boeckhio, in redeuntibus victoriae sollemnibus, fortasse singulis Olympiadibus repetitis. Solent autem victoriae plerumque cani a poetis recenti memoria, quum victor domum redux primum ibi epinicia celebrat, idque legitimum tempus est; sed multis demum annis post olim exspectatum carmen epinicium mitti absonum quodammodo posset videri et praeter rem, nisi ita id componas, ut, etsi sero missum, aptum et commodum veniat. Pindarus duo maxime huiusmodi carmina fecit, Nem. III et hoc; quorum illud infra videbimus, nunc de hoc explicandum est, quomodo notum, quem dicimus, solverit facillime et optime. Igitur post prooemium, quum primum urbem laudasset et victoriam, tertium accedit ad certamen Olympicum, quod nunc tractat uberrime. Narrat igitur primum, ut Hercules Cteatum et Eurytum devicerit, Augiae socios, post Augiae vastaverit urbem et ipsum regem occiderit, tum venerit Pisam ibique condiderit Olympia. Nempe Olympicum festum, ait Pindarus, Hercules sollemniter condidit *καλλίνικος*, praesente toto victore exercitu cum universa praeda, et fuerunt sic prima Olympia Herculis epinicia. Exin poeta institutionem ipsam et primae sollemnitatis rationem describit. Designavit igitur Hercules Altin diis duodecim, campum extra Altin comissationibus epiniciis, et Cronium collem nominavit; tum prima sacra fecit e primitiis praedae, ludosque habuit, quinquennalem simul reditum festi imperans. Adstiterunt sollemnitati Parcae, institutionem Olympiorum immutabili lege sancientes, et Tempus veram memoriam rei posteris traditurum, ut rite observarentur omnia prout acta essent primum. Ita vero

nos quoque novimus universam primae sollemnitatis rationem, certaminum genera, nomina victorum et comissationem ludicram vespere fulgente luna laetis cantibus habitam. Atque ad hanc normam etiam nunc canamus victoriam; sero venit carmen, sed ut natus senili patri puer hereditatem servaturus. Haec hactenus. Victoriam autem ipsam laudat in principio, ut dixi, et suaviter in fine iterum recordatur temporis illius, quum videret Agesidamum Olympiae victorem iuventutis decore florentem. — Vides ex his Pindarum pulcherrime omnia consequutum coniunctim, quae postulari ab eo poterant. Canit aeternum Olympiorum institutum ritumque, eoque haec epinicia revocat. Quemadmodum igitur Olympia sacro ritu hodieque celebrantur quinto quoque anno, sic etiam privata singulorum victorum epinicia cantu ad normam priscae Olympicae comissationis recoli debent stato tempore, cf. Boeckh. ad Ol. I, p. 106. Venitque carmen commode hodie non minus quam olim. Quo quidem praeclaro posito fundamento carminis ornat simul victoriam ipsam, ut in vetusto hoc et nobilissimo ludo reportatam, ornat virum callinicum Herculis callinici tacita comparatione, qui omnibus Olympiae victoribus athletis summo exemplo suo praefulget; ornat denique urbem huius civis patriam. — Quae quum ita sint, quod olim visum viris quibusdam doctis, Pindarum inopia rerum ad Olympicas res delapsum male compositum carmen fecisse, id vero, monente etiam Boeckhio, iudicatum est non intellecto divino poeta. Ac satis certum est haec carmina pleraque omnia et habere fabulas et debuisse habere. Quodsi non aderant domesticae fabulae ornatiores aut rei praesenti satis aptae, reprehendemus an admirabimur poetam, qui ingenio felicissimo facile e fabularum copia quae convenirent inveniebat? Quo pertinet etiam Boeckhii annotatio, in exteris regionibus et coloniis fabulas, Graeciae continentis memorabilia loca illustrantes, haud dubie magnopere placuisse. Ceterum cantatum est carmen in vespertina comissatione, opinor, lucente luna, ut olim Herculis tempore.

EXPLICATIO.

V. 1 — 9. Prooemium. Poeta carmen olim promissum oblitus memoriae lapsu non consulto fracta fide, nunc mittit, debitum cum usuris se redditurum significans. — V. 1. τὸν Ὀλυμπιονίκαν seqq. constructio notissima, cf. Matth. Gr. Pag. 592. Tu illud notabis, necessarium esse hoc genus, ubi accusativus ob vim sententiae primo loco poni debet. — V. 3. γέγραπται, cf. de δέλτοις φρενῶν Boeckh. h. l. et Tafel. add. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 814. Ceterum ratio loci haec est: Poetae subito in mentem venit se adhuc debere hymnum olim promissum, credit autem Agesidamo eum deberi, sed quum primo momento nondum clare recordetur, certone hic sit, anxie quaerens, alloquitur iam forte adstantes, ut adiuvent, si possint, memoriam suam. Suavissimum hic ethos est. — ἐπιλέλαθα, perfectum, quum etiamnum quaerat. — At mendacii et malae fidei reprehensionem fortissime repulsam vult. Ἀλάθειαν invocat ob pollicitationem factam, Μοῖσαν, quum pollicitatio ad poesin pertineat. — V. 4. ὀρθᾷ χερί, Schol. δικαίᾳ, sed praestat, opinor, propria significatio, cf. Ind. Pind., erecta h. e. minante manu, fortiter repellite, si quis talia dicere audeat. — V. 5 seq. ψευδέων ἐνιπὰν ἀλιτόξενον vertas: reprehensionem mendacii adversus hospitem, pr. ἐνιπὰν ψευδέων ἀλιτοξένων. Nam quum verba ψευδέων ἐνιπὰν quasi in unum nomen cogitatione contracta sint, sic subiicit ἀλιτόξενον, veluti Pyth. VI, 5. Πυθιόνικος ὕμνων θησαυρός, et ὑμετέρα ἀκτὶς ὄλβου Pyth. IV, 225. cf. Lobeck. ad Aiac. 7. et Matth. Gr. Pag. 837. Sed meo iudicio hic illud obstat, quod est alius personae ψεῦδος, alius ἐνιπά. Quare potius esse videtur mendacii reprehensio dicens peccasse me in hospitem. — V. 7. ὁ μέλλων χρόνος videtur a veteribus dictus esse solutionis tempus promissae (der Zahlungstermin), quod quum diu praeterierit, nunc e longinquo superveniens incessit eum et accusat. De verbo ἐπέρχεσθαι cf. Passowii Lex. Ceterum ne quis hic lusum videat, lusus alienus est a re seria, nec unum tantum usum habent oxymora. Et hic quidem cum brevitate magnam vim quaesivit acuta hac oppositione

praeteriti et futuri temporis. Haec ipsa enim subito in mentem veniens repugnantia tantopere perculit eum, ut nunc statim ad cantum accedat. — V. 8. *καταισχύνε*, h. e. ἔλεγξεν, ἐπονείδιστον ἔδειξε. — V. 9. *τόκος ὀνάτωρ* ex emendatione Hermanni, proba, commoda, apta usura, h. e. hymnus promisso magnificentior. — *λῦσαι*, levare, minuere, tollere, ut *μελεδήματα*, ἄλγεα, ἀνίαν, πόνους, φόβον, μίασμα, alia.

V. 10 — 24. Ad rem ipsam accedit. Nunc, ait, videamus ubi initium capiat oratio, et quomodo communem laudem bene solvamus. Nam propter virtutes egregias urbs laudanda est; Agesidamus autem victoriam tulit; denique, certamen Olympicum ut canamus, leges Iovis postulant. — Est igitur similis hic orationis forma ac supra Ol. II, 3 seqq., ubi pariter tria memorantur canenda, nisi quod ibi breviora commata, atque ut ibi in tertio membro est *γεγωνητέον*, sic hoc loco *ἀεῖσαι* (v. 24), etiam antecedentibus membris applicandum. — V. 10. *Νῦν-ὅπα-ῥέον*; Constructionem optime expediunt Scholiastae: „Nunc videamus (*σκεψώμεθα*) quâ lapidem volutatum unda fluens deferet, h. e. quorsum feretur oratio fluctuans?" — *κατακλύζειν* est proluere, nunc proluendo provolvere, deferre. Comparationes fluminis in poesi ex ipso Pindaro notae, cf. Nem. VII, 12. Isthm. VI, 19. Vid. praeterea Mitscherl. ad Horat. IV, 2. v. 5. et Tafel h. l. Sensus tamen non ubique plane idem. Et nunc quidem copia magna laudum significatur, ut quasi in flumine undis permittere debeas, quorsum orationem ferant. Neque enim probanda est Scholiorum explicatio, vituperium undis diluendum intelligentium, in quo et repetitio antecedentis sententiae ieiuna et minime Pindarica inest, et gloriatio iniucunda. Hermannus autem ad Sophoclis Ai. v. 789. *νῦν ὅπα* cum *νῦν ὅτε* comparans videtur sic intelligere: Nunc lapidem volutatum unda provolvit; quod num commodiorem sensum habeat eo, quem supra posui, ipse videris. — V. 11. *ὅπα τε* seqq.: Et quâ communem laudem (cum tria canenda sint) iucunde solvamus. Igitur *ὅπα* bis proprie est quâ. — V. 13. *Ἀτρέκεια*, veritas iudiciorum, dictorum et conventorum, s. fides et iustitia publice privatimque. — De republica Locrorum Epize-

phyriorum eorumque legibus a Zaleuco conditis cf. Müller. Dor. II, p. 227 seqq. De poesi et bellica fortitudine cf. supr. Ol. X fin. — Nunc ad Agesidamum transire vult. — V. 15. Κύκνεια μάχα. De Cycno Martis et Pelopiae filio, quum victimas Apollini Delphico destinatas raperet, in luco Apollinis Pagasaeo ab Hercule occiso vid. Hesiod. Scut. Herculis et Boeckh. ad h. l. add. Müller. Dor. I, p. 205. Herculem initio pugnae recessisse tradiderat ante Pindarum Stesichorus in Cycno, cf. Schol. et Müller. Hist. Dor. II, p. 480. Nunc vide poetam. Quum Pindarus in transitu pulcre cavere soleat, ut omnia nexa sint, cf. ad Ol. IX, 67., ego haec verba primum ad Locros traham, sive in bello adversus Anaxilaum, cf. Pyth. II., sive alio tempore hoc iis acciderit, deinde ad Agesidamum, qui similiter adversario primum cessisse videtur. Neque enim talia reticentur, cf. Nem. IV, 28 seqq., immo iucundam post victoriam recordationem habent. Quodsi solos Epizephyrios intelligas cum Tafelio, non eleganter civitati opponetur hac in re Agesidamus, ac difficile eius certamen fuisse v. 22. prodit. Sin de Agesidamo tantum cogites, ut vulgo fit, quum bella gesserint Locri, sine causa quae de fortuna bellorum dicuntur divellis ab horum bellicis rebus. Ceterum Herculis mentio etiam propterea hic apta, quia pars civium Dorica origine erat, civitasque Doricas leges habebat, cf. Müller. Dor. II, p. 228 seqq. Iam nexus hic: „Sunt etiam bellicosi. Sed ut cedat paullisper, etiam fortissimo proeliatori accidere potest; in pugilatu vero quod Olympiae vicit et superior discessit adversario ingruenti, Ilae institutioni debet Agesidamus." — V. 17. Ἴλᾳ φερέτω χάριν, haec verba, quae Boeckhius de exhortatione magistri inter certamen intelligit videntis cedentem discipulum, Tafelius melius de institutione capit. Nam exhortationes aliptarum ante certamen novi, cf. Fabr. Agonist. II, c. 31., sed inter certamen nihil huiusmodi licuisse probare videtur ibid. laudatus locus Chrysostom. Homil. 42. — V. 19. ὡς Ἀχιλεῖ Πάτροκλος, h. e. ut Patroclus ab Achille quasi magistro grandia facta didicit, quum in consortio eius viveret et semper iuxta eum pugnaret, explicante Tafelio. Patroclum, Opuntiorum heroem domesticum, etiam ab Epizephyriis cultum videri bene monet Boeckhius. — V. 20. θήξαις de alipta docente, cf. Isthm. V, 73. Sensus: Docendo potest aliquis hominem natura ad virtutem factum

ad ingentem gloriam impellere. Cet. cf. θήγειν τὰς ψυχάς Xenoph. Cyrop. I, 2, 10. 6, 41. nec non θήγειν τὸ φρόνημα ibid. II, 1, 13. Add. Wyttenb. ad Plutarch. Apophth. Lacon. p. 235. — V. 22. ἄπονον seqq. Hermannus: „Pauci quidem sine labore eam adepti sunt gloriam, quae prae quibusvis praeclare factis vitam reddere iucundam posset, ita ut qui ea frueretur ne opus quidem haberet ulla exercitatione virium et contentione. φάος est igitur iucunditas, felicitas, ut saepe.

V. 24 — 75. Tertium accedit ad certamen Olympicum eiusque institutionem persequitur. — V. 24. θέμιτες Διός, sacrae leges, decreta, instituta Iovis. Nam ut omnia circa Olympia aeterno ordine constituta esse sequentia docebunt, sic etiam laus et honor ludorum in epiniciis a Iove praescriptus est, quanquam non ubique data opera hoc fit, ut Ol. I. III. et hic, sed plerumque breviter aut indirecte, celebrata victoria. cf. Boeckh. Cur autem omnia hic ad θεσμόν referantur, Introductio ostendit. — σάματι, Ol. I, 93. — V. 25. cf. Boeckh. Nott. critt. — V. 26 seqq. De Cteato et Euryto Molionidis vid. locos ap. Boeckh., inprimis Sturz. Pherecyd. p. 178. Oppressit eos Hercules prope Cleonas ad Isthmum per inducias proficiscentes ex Elide, quum antea Herculi causa fuissent infausti exitus expeditionis contra Augiam susceptae propter mercedem pro stabulo purgato negatam. Sublatis igitur iis iterum copias duxit contra Augiam. — V. 28 seqq. λάτριον μισθόν, operariam mercedem. — V. 29. ὑπέρβιον cum Αὐγέαν iunge. πράσσοιτο, cf. Matth. Gr. p. 764. — V. 30. ὑπὸ Κλεωνᾶν, cf. Müller. Dor. II, p. 433. et Strab. VIII, 6., qui dicit esse urbem ἐπὶ λόφου περιοικουμένου πανταχόθεν. — καὶ κείνους, ut alios plurimos. — V. 32. στρατόν, adversus Augiam ductum, Epeorum regem. — V. 33. ἥμενοι, insidiati. — V. 34. Μολίονες, de forma v. Buttm. Gr. ampl. II, p. 333. — ξεναπάτας, cf. Eurip. Med. 1392. — V. 37. πλαγαῖς σιδάρου Tafelius ad hominum tantum stragem trahit, sed cur non etiam ad alia multa, quae in eversionibus urbium ferro vastari solent? — εἰς ὀχετὸν ἄτας. Notae sunt loquutiones, tragicorum maxime, κακῶν πέλαγος, κύματα συμφορᾶς, ἄτας κλυδών, cf. Monk ad Eurip. Hippol. 824., et ipsum βάθος κακῶν, Aesch. Pers. 718. Eurip.

Helen. 310. Pindarus hic ὀχετὸν ἄτας videtur quasi fossam perniciei dicere a Tirynthiis factam. — V. 38. ἵζοισαν εἰς, nolim cum Matth. Gr. Pag. 1143. pro ἐν dictum accipere; quum enim ruentem videat urbem et ruentem in profundam perniciem, motus notio aptissima. Omnino constructio horum verborum cum εἰς aut ἐν saepe subtili iudicio nititur. Ceterum cf. Virg. Aen. II, 624.: Tum vero omne mihi visum considere in ignis Ilium. Vides post haec omnia totum locum a Pindaro ornatissime tractatum, quod propter Herculem factum et ad augendum splendorem victoriae. — V. 39. Constat heroes et deos κατ' ἐξοχὴν dictos κρείσσονας, vid. Blomfld. ad Aesch. Prometh. v. 635. Sed hic nihil huiusmodi, licet Blomfieldius credat. — V. 40. ἀποθέσθαι, cf. Ol. VIII, 68. — V. 41 seq.: Quare etiam ille mortem non effugit, quum temere postremus captioni occurrisset, deprehendi se passus esset. De asyndeto cf. Excursum. — Absolvimus hic primam partem narrationis mythicae, quae in victoria Herculis versatur. Etenim Hercules Olympia instituit victor e bello contra Molionidas et Augiam quemadmodum Pythia condita sunt propter Apollinis de Pythone victoriam, atque ut alia omittam, etiam Panathenaea nuper suspicatus est Müllerus dissertat. tert. d. Phidiae vita et operibus in Comentatt. Societ. Gotting. ann. 1827. ad certamen Minervae contra Neptunum referenda esse. Sic igitur Olympia primâ origine fuerunt epinicia Herculis καλλινίκου, qua quidem re nihil hic dici potuit illustrius et ad ludorum et ad victorum laudem, qui Herculis exemplum imitantes, heroum athletarum principis, et ipsi facinora edunt Olympiae prisca rerum memoria et origine sollemnitatis non indigna. Atque hoc quidem loco etiam Boeckhius monet Agesidami simul respici certamen, qui primum cesserat, tum vicerat adversarium, ut Hercules, primum victus ab hostibus suis, postea victor eorum exstitit luculentissimus. Vides interiorem rationem huius loci.

V. 43 — 75. Sequitur altera pars narrationis mythicae de institutione Olympiorum ipsa. Locus non uno nomine memorabilis. Exponitur autem primum de dimensione et partitione loci, deinde de institutione festi, tertium de prima ludorum celebratione. — V. 43. ἕλσαις, cf. Buttm. Lexil. II, p. 146. — V. 45. ζάθεον ἄλσος mecum ne dubita hic esse uni-

versum τέμενος, quod circumscribit Hercules et Iovi dedicat. Arbores in illo templo tum nondum erant, cf. ad Ol. III, 18. Complectebatur autem hoc τέμενος tria loca, ut hic videmus, ubi Pindarus accuratissime loquitur et loqui debebat, Altin, campum huic adiacentem versus meridiem et orientem, denique a septentrione Cronium collem. Atque haec fuit Olympia. — περὶ - πάξαις, septo muniens separavit primum Altin, de quo nomine cf. Boeckh. Ceterum quod Pausan. V, 10, 1. Altin appellat τὸ ἄλσος τὸ ἱερὸν τοῦ Διός, h. e. lucum, eo ne decipiaris, ut hoc loco ἄλσος et Ἄλτιν confundas. — ἐν καθαρῷ, Hom. Il. XXIII, 61. VIII, 491. X, 199. — V. 47. δόρπου λύσιν, h. e campum destinavit ad vespertinae comissationis requiem post ludos. Fuerunt enim ibi populorum privatorumque hominum σκηναί et ἑστιατόρια, hospitia et tabernacula, in quibus habitarent advenae et epularentur; cf. Boeckh. Idem λύσιν cum Scholiis explicat hospitium, deversorium, κατάλυσιν epulis; Hermannus autem persolvendas diis epulas sacrorum. — V. 48. τιμάσαις πόρον Ἀλφεοῦ seqq., recepto Alpheo inter duodecim deos dominos hic colendos; quod addit, quia campus iste erat ad ripas Alphei. Est igitur Alpheus terminus sacrati loci ab hac parte. — V. 50. μετά, cum, ipso incluso. De duodecim diis συμβώμοις cf. Schol. ad Ol. V, 8. Nisi fallor, his Altis dedicata erat, ut universum τέμενος supremo deo. — De Cronio cf. ad. Ol. I, 111. II, 12. — V. 51. ἇς, ἕως, cf. Koen. ad Gregor. Corinth. p. 188. ed. Lips. Sensus: Antea nomine carens tegebatur nivibus; nunc Saturni cultum accepit, et tectus est arboribus. Si enim non accepit arbores, sed vacuus et apertus mansit, sequetur eum antea sine nomine rigatum nive, nunc idem pati cum nomine, quod nihili. Immo antea plane neglectus et incultus erat, quod nunc mutatum. Hactenus de locis. — πρωτογόνῳ τελετᾷ. Ut in puerorum eximiorum partu Parcae ipsae adstant, vitae cursum illustrem praesentes daturae et firmaturae, sic hoc loco adsunt, ut Olympiorum illustrem per tempora fortunam et ordinem statum immutabili lege sanciant, quod, per se clarum, ex universae narrationis consilio apparet certissime. Tempus quid velit, ipse poeta subiicit, ut mireris non ab omnibus animadversum; adest, cf. Boeckh., ut memoriam harum rerum servet et posteris tra-

dat, qui aliter non possent rite observare omnia. Atque ex hac traditione Olympica Pindarus etiam victorum primorum nomina suscepit — V. 53. ἐξελέγχων, indicans, declarans. — V. 55. τὸ δὲ σαφανὲς seqq., perspicuam autem rei rationem progrediens indicavit, quomodo omnia acta sint. — V. 56. ὅπα τὰν πολέμοιο δόσιν seqq., h. e. quo pacto belli dona primitias sacrificarit dividens duodecim diis (cave cogites de praeda sociis divisa, quod alienissimum; verum etiam Gurlittus vidit): sacrificium sollemne, offerendum postea ab Eleis similiter; tum quomodo una cum primo hoc sacrificio (Ὀλυμπιάδι πρώτᾳ) et ludis institutis, (h. e. iudicio, certaminum ratione, ordine, praemiis) etiam reditum sollemnitatis quinquennalem imperaverit, praescriptis haud dubie mensibus statis et diebus. Sic nihil hic superfluum ex poetae mente; nam haec omnia tum ordinavit Hercules secundum Olympicam traditionem, ceterum fabulosam, ut apparet. Cf. Boeckh. ad Ol. III, p. 138. Müller. Dor. I, p. 252. — Illud restat, ut moneam Pindarum, supra partitionem locorum directa oratione narrantem, nunc indirecta usum esse. Etenim quae prosa oratio praemittit in principio aut subiungit in fine ad universum aliquem locum pertinentia poetarum ars saepe pulcrius in medio collocat. Licet igitur etiam locorum partitionem sanxerint Parcae, tradiderit tempus, tamen aptius de Parcis et tempore in media demum narratione dixit, quum ad ipsam sollemnitatis rationem venisset. Sic igitur hic proxima commode per obliquam orationem subiungit. Sed obliqua oratio in poesi nunquam continuari potest diutius. Quare in sequentibus, ubi certamina narrantur, suaviter ad directam orationem redit. — V. 63. ἀγώνιον ἐν δόξᾳ θέμενος εὖχος, h. e. ludicram gloriose sibi parans victoriam, ut Boeckhius vidit. εὖχος, κῦδος, δόξα de victoria sunt notissima; sed minus est εὖχος quam κῦδος et δόξα, unde hic recte ἐν δόξᾳ addi potuit. — θέμενος, sibi parans, cf. Herm. ad Vig. 761. Inprimis frequens βουλήν, θυμόν, νόον, al. cf. Nem. X, 89. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 169. Infr. Ol. XIII, 54. Sed nota satis etiam alia, ut πρόσοψιν θηκάμενος Pyth. IV, 29., ut proprie ὅπλα τίθεσθαι quis dicitur. — ἔργῳ καθελών, ut Pyth. V, 20. εὖχος ἑλών. Ceterum qui tautologiam hic queruntur, obliti sunt multa apud omnes

scriptores cumulate dici, non perspicuitatis causa, sed ad vim et ornatum. — Victores, qui nunc nominantur, fuerunt heroes in Herculis exercitu, sed ex diversis Peloponnesi urbibus, ut statim prima Olympias quodammodo πανήγυρις esset, Hercule nunc quasi universae Peloponnesi duce; cf. Müller. Dor. I, p. 445. — V. 64. σταδίον ἐυθὺν τόνον, h. e. στάδιον ἐυθύτονον. — De Oeono Licymnii filio et de Echemo Tegeata cf. Boeckh. — V. 65. ποσσὶ τρέχων. Ut semel moneam quod notari non video, ποσσί ad vim oppositionis adiectum, quum πάλᾳ sequatur, quemadmodum etiam alias non vacant haec addita substantiva, ποσσί, χερσί, ὀφθαλμοῖς, οὔασιν, al., sed suis locis vim habent. — V. 66. στρατὸν ἐλαύνων, copias adducens Herculi. — Ἔχεμος, scil. ἦν. — V. 67. Doryclus ignotus. Sed de Semo Halirrhothii filio cf. Boeckh. Nott. critt. Erant Mantinenses Neptuni equestris gnavi cultores, et Halirrhothius Neptunius heros, ut monet Müllerus. Ceterum supple ἔφερε τέλος. — V. 72. ἔδικε πέτρῳ, Isthm. I, 24. Nem. I, 18. add. Matth. Gr. P. 723. — ὑπὲρ ἁπάντων, cf. Nem. IX, 54. Isthm. II, 36. — χέρα κυκλώσαις, ut Hom. Od. VIII, 189. περιστρέψας δίσκον. — συμμαχία, socii militares. — V. 73. παραίθυξε, excitavit; cf. ad Ol. VII fin. Ceterum pro ultimis duobus generibus postea quinquertium institutum. Traditio fabulosa nomina quidem horum victorum servaverat, sed non patriam. Quae praeterea de toto hoc loco disputari possunt, vide in Excursu de certaminibus Olympicis. — V. 75. σελάνας φάος, luna illustravit vesperam, cf. Ol. III, 20. et ad ἔφλεξεν Ol. IX, 22. — V. 76. ἀείδετο, personabat cantu, veluti est αὐλεῖται πᾶν μέλαθρον Eurip. Iphig. Taur. 367. cf. plura ap. Elmsl. ad Sophocl. Oed. R. 1094. et add. Schaef. ad Longum p. 334. — πᾶν τέμενος, totus locus sacer, πᾶν ἄλσος, cuius partem vides esse τὸ κύκλῳ πέδον supra dictum. — V. 77. τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον, modo qualis adhibetur laudibus victorum in comissationibus. Omnia iam tum facta, ut nunc.

V. 78 — fin. Redit ad victorem carmenque absolvit. — Primum locum verto: „Primordia prisca sequuti etiam nunc dignum victoria eximia ornamentum canemus tonitru et ardenti manu vibratum telum Io-

vis, fulmen in omni victoria praesens." — V. 78. *ἐπωνυμίαν* cum emphasi dictum. Nempe hymnus epinicius nomen habet a *νίκη*, nunc autem cantum canere vult, qui iure habeat nomen a victoria, h. e. qui par sit ei et plane dignus; ac statim sequuntur magnificentissima verba. Quare accusativum, *ἐπωνυμίαν χάριν*, vides appositionem esse sequentium *κελαδησόμεθα* - *ἀραρότα*, ut monent interpretes, cf. Matth. Gr. P. 803 et 7. — V. 79. *ἀγερώχου*, cf. Buttm. Lexil. II, p. 98. — V. 80. *πυρπάλαμον* (das Geschoss der Feuerhand), quum ardere videatur fulguratoris manus, dictum ut Aesch. Choeph. 21. *ὀξύχειρ κτύπος*, et Eurip. Phoeniss. 1370. *λευκοπήχεις κτύποι χεροῖν* (die Handschläge der weissen Arme), aliaque multa tragicorum. E Pindaro cf. *μαλακόχειρα νόμον* Nem. III, 55. Boeckhius intelligit fabrefactum artificiose Vulcano et Cyclopibus, quod mihi hic longius petitum videbatur; propius est quod ego posui et magnificentius. Minus audax Horatius rubentem fulguratoris dextram dicit Od. I, 2, 2.; *βέλος* autem de fulmine notissimum, cf. Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 225. Herod. IV, 79. VII, 10. — Verba: *ἐν ἅπαντι ἀραρότα*, verti fere, ut Hermannus. *κράτος* victoria, ut saepe, v. c. Ol. I, 78. Isthm. VII, 5. *ἀραρότα* autem mihi dicere videtur nexum, iunctum, omni victoriae, h. e. inseperabile a victoriis, quum nulla victoria esse possit, nisi annuente Iove potenti fulmine suo. Boeckhius meus explicat: summae potentiae Iovis aptatum; ego vero pro generali notione definitius victoriarum auctorem significari malo. Universum locum ne quis tumidum dicat, praeclare Boeckhius in nummis Locrorum Epizephyriorum fulmen haberi notavit; huic igitur magnifico telo debetur Agesidami victoria. Simul Boeckhius fulmen omnium Locrorum commune insigne fuisse, eoque etiam Ol. IX, 5 et 12. pertinere acute suspicatur, quod in medio relinquo. Denique idem in prytaneo carmen nostrum cantatum coniicit, ubi propositum esset Locrorum insigne, fulmen. Quod ut non nego, tamen non necesse habeo statuere. — V. 84. *χλιδῶσα*, non mollis, sed plene sonans, cf. ad Ol. IX, 2. — *ἀντιάξει*, obviam ibit, respondebit tibiae. Ceterum quid suavius his verbis de cantu plene sonante ad priscam normam, ut qui sero venerit, pulcherrimus veniat! — V. 85. *φάνεν*, cf. Ol. II, 84. — V. 87. *ἵκοντι νεότατος τὸ*

πάλιν ἤδη, qui iam venit ad aetatem iuventuti contrariam, h. e. senectutem. De loquutione τὸ πάλιν, τὸ ἔμπαλιν, τὰ ἔμπαλιν, ἔμπαλιν c. genit. Boeckh. laudat Ol. XII, 11. Pyth. XII fin. Eurip. Herc. fur. 773. et Valcken. ad Hippolyt. 388. Aesch. Pers. 223. Add. Herod. VII, 58. Anthol. Palat. IX, 250. — Ceterum sententia veteribus valde frequentata. Exempla nonnulla attulit Tafel. Nihil Graecis antiquioribus tristius quam non habere progeniem, cf. Herod. VI, 86 fin. add. Müller. Dor. II, p. 192. — V. 88 seq. Confer cum his laudatum a Boeckhio Menandri dictum p. 230. Meineke et Gatak. ad Antonin. Phil. p. 248, d. et Eurip. Ion. v. 275. 491. — V. 88. ποιμένα, dominum, possessorem, cf. ad Ol. X, 9. — V. 89. ἐπακτὸν ἀλλότριον, non interpretandi causa alterum alteri subiicit, sed ut magis extollat id, in quo tristitia rei inest. — V. 91 seqq. καί pr. οὕτω καί, cf. ad Ol. VII, 7. Comparatio haec est: Ut filius patri senili desideratus venit, sic etiam victori carmen, quamvis sero missum; sed quum interiecta sint verba: ἐπεὶ πλοῦτος - στυγερώτατος, monente Boeckhio, mortis cogitationem continuans dicit in hunc modum: Ita etiam qui post res bene gestas sine carmine discessit, brevem habet hilaritatem. Faciunt talia saepe scriptores, non obliti quae dixerant, ut multis videtur, sed scientes et consulto, ne abruptius cogitatio et oratio ad priora redeat, sed continuo omnia flumine decurrant. — Ceterum ex Pindari hoc loco colliges Agesidamum in seniorum certe aetate tum fuisse. — V. 93. κενεὰ πνεύσαις vertas: inutilem spiritum spiravit, inutiliter vixit. Sed praefero tamen: vana conatus, coll. Nem. III, 41. Pyth. II, 61., quum alterum gravius videatur quam pro sequentibus. Is inutili conatu, ait, brevem fructum consequutus est. — ἔπορε - τερπνόν, labori brevem iucunditatem pro praemio paravit, in quo cave μόχθον personam credas esse, cf. ad Ol. II, 17. 19. Ceterum ad universum locum cf. Horat. IV, 8, 21. ibiq. Mitsch. — τὶν δ᾽ seqq. Tu non eris tam infelix, tibi dulcissimus cantus paratur. — V. 94. ἀναπάσσει, adspergit. — V. 95 τρέφοντι, augent autem gloriam factorum Musae, et fit celeberrimum quod canitur a Musis. — εὐρύ, ut ampla fiat. cf. Ol. I, 68. — V. 97. συνεφαπτόμενος, scil. τοῦ ἔργου, una cum Musis operam navans

huic rei studiose laudavi populum Locrorum et Agesidamum. — V. 98. ἀμφέπεσον, amplexus sum, proprie dictum Hom. Od. VIII, 523., nunc pr. colui amice et rebus eorum lubens me dedi. Sic ἀμφαγαπάζειν, ἀμφαγαπάζεσθαι est fovere, benigne, amice tractare. Add. etiam ad Ol. I, 8. — μέλιτι καταβρέχων, Isth. V, 21. ῥαινέμεν εὐλογίαις. — V. 101. βωμὸν παρ᾽ Ὀλύμπιον, h. e. in stadio Olympico, Pindaro Olympiam designante a potiori, quum ara maxima Iovis dignitate prae reliquis Olympiae locis emineret. Apud Xenoph. Hist. Gr. VII, 4, 29. sensus videtur hic, stadium relictum propter hostes appropinquantes, et luctatores versus aram regressos inter stadium et aram certasse, ne turbarentur. Ceterum distat ara a stadio ex Mülleri ratione nonnisi CC pass. Roman. — V. 104. ὥρᾳ κεκραμένον, μιχθέντα, Pyth. X, 41. add. Blomfld. ad Aesch. Choeph. v. 732. — ἅ ποτε seqq. Sensus: Quae non levis dos est, sed pretiosissima, et quae immortalitatem adeo paraverit interdum pueris. Tecte, sed eximie comparat puerile decus Agesidami cum pulcritudine Ganymedis. — V. 105. ἀναιδέα, Theogn. 207. θάνατος ἀναιδής. — Denique universi huius loci admirabilis pulcritudo in eo inest, quod omnem viri laudem pristinam in fine complectens Pindarus ex diu praeterito tempore tam clare et luculenter resuscitat, praeclare nitens, ne quid detrimenti cepisse videatur gloria viri, diu cantu carens, ut nunc recentibus coloribus quam integerrima posteritati tradatur. Atque ita eximio exitu finitur carmen.

Carmen Olympicum duodecimum

INTRODUCTIO.

Ergoteles Himeraeus, vir eximius, Cnoso Cretae intestina seditione pulsus, Himeram in Siciliam venerat ante Ol. 72, 3., ubi quum civitatem consequutus esset et alios honores, exin, ut par erat, in certaminibus Himeraeum renuntiari se voluit. Atque haec

quidem Olympica victoria reportata est Ol. 77. Ante in Pythiis vicerat bis, et in Isthmo; post Ol. 77. autem iterum vicit Olympiae alio tempore, et bis Nemeae, ut praeclarum cursorem eum appareat fuisse. Acciderat autem paullo ante hanc, de qua nunc agitur victoria, ut Himera Agrigentino Theroni (Ol. II.), tum filio eius Thrasydaeo subiecta, immiti hoc tyranno suo liberaretur, qui exeunte anno Ol. 76, 4. gravi proelio ab Hierone fusus imperio exciderat pulsusque perierat apud Megarenses: quo facto Agrigentini pacem fecerant cum Hierone et libertatem confirmatam acceperant, quod etiam Himerensibus contigisse videtur. Quum igitur et urbs mirificam Fortunae vim experta esset et Ergoteles civis, carmen totum in huius deae potentia celebranda versatur, quod cantatum videtur in ipso fano quodam Fortunae, offerente Ergotele deae coronam suam. Pindarus tum erat in Sicilia. Docuit haec omnia Boeckhius uberrime.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Fortunam invocat pro salute urbis. — V. 2. Τύχα, aliis poetis Oceanis habita, a Pindaro in Fragmentis ap. Boeckh. p. 565. eximie Parcarum una dicta est. Parcae autem a multis et haud dubie a Pindaro etiam Iovis filiae habitae, summi fatorum rectoris. Sic pulcre haec explicat Boeckhius. — Σώτειρα, cf. Ol. VIII, 21. add. τύχη σωτήρ Aesch. Agam. 672. Soph. Oed. R. 80. — Videtur Himerae fanum deae fuisse, ut Syracusis et aliis in locis. — Ἐλευθερίου Iovis honores in aliis Graeciae urbibus Boeckhius monet alienos esse ab hoc loco, ubi de Himerensium rebus agatur. Esse autem proxima cogitanda, libertatem anno antecedente probabiliter recuperatam post expulsum Thrasydaeum et pacem cum Hierone factam; antiquiorem esse quam quae huc referri queat expulsionem Terilli, tyranni ante Theronem urbi imperantis, et pugnam adversus Carthaginienses a regibus Siculis ad Himeram pugnatam. In qua sententia illud certissimum videtur, si huius carminis tempore Himera serviisset Thrasydaeo aliive tyranno, Pindarum non loquuturum fuisse de Iove Liberatore, etsi prius a Terillo et ab Afris liberati erant; unde vero

monet Boeckhius tunc liberam fuisse urbem. Sed florente nunc libertate quidni etiam priorum temporum simul redeat memoria, si quid olim ab eadem dea simile contigerat, certe nobilissima illa de Carthaginiensibus reportata victoria sponte propemodum se offert. — ἀμφιπόλει. Comparat Tafel Anthol. Palat. T. II, p. 699. Epigr. 142, 8. Orph. Hymn. 55, 77. Et ἀμφιβαίνειν Callim. Del. 27. ibiq. Spanh. — V. 3. τὶν γὰρ seqq. Quum poeta dicat: Tibi in mari gubernantur naves, in terra autem bella, vides eum de navalibus pugnis hic non cogitare, quales etiam vix gesserat Himera. Est autem oratio tota Himerensium rebus accommodata. Potius de mercatura cogitandum urbis ad mare sitae. Ceterum conferunt Horat. Od. I, 35, 6., ubi vid. interprett. add. Iacobs Anthol. T. 12, 117. Tafel ad h. l. — πόλεμοι, ut olim pugna adversus Carthaginienses, nunc Thrasydaei et Hieronis. — V. 5. κἀγοραὶ βουλαφόροι, quales nunc Himerae sunt libertate restituta. Ceterum res externas et internas quum opponat, noluit πόλεμοι et εἰράνα dicere, et nulla hic est inaequalitas orationis vituperanda. — αἵ γε μὲν ἀνδρῶν seqq. Hominum de rebus futuris cogitationes fluctuant nec quidquam certi in se habent, sursum deorsum feruntur in medio mari errorum; his igitur certo confidere non licet. — V. 6. πόλλα-τὰ δέ, ut Nem. IX, 43. cf. Herm. Vig. p. 701. — ἄνω-κάτω κυλίνδονται, de iis, quae in mari feruntur. Inprimis frequens loquutio ἄνω καὶ κάτω μεταστρέφειν, μεταβάλλειν, ἕλκειν, μεταπίπτειν apud Platonem, cf. Ast. ad Phaedr. p. 378., quae modo turbare et confundere significat, modo in omnes partes versare, modo huc illuc fluctuare, ut ἄνω καὶ κάτω τὰς δόξας μεταβάλλειν Rep. VI, p. 508. Add. Phaedon. p. 90. c. πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς ὥςπερ ἐν Εὐρίπῳ ἄνω καὶ κάτω στρέφεται καὶ χρόνον οὐδένα ἐν οὐδενὶ μένει.— τάμνοισαι, Pyth. III, 68. Hom. Od. III, 175. Horat. I, 1, 14. — V. 7 seqq. Nec signum a diis quisquam certum consequutus est de eventu aliquo futuro. Nempe obscura sunt et variam interpretationem habent oracula, vaticinia ceteraque signa et omina deorum; cf. Nem. XI, 43. Eurip. Herc. fur. 62. add. Tafel. h. l. — V. 9. τῶν δὲ μελλόντων seqq., sed, ait, futurarum rerum obcaecata, caeca est cognitio, prudentia. φραδαί, γνώσεις. Noli vero indicia, signa interpretari ex

Aesch. Choeph. 934. Eumenid. 240., ut sit idem quod σύμβολον. Licet enim Pindarus, ut alii omnes, similes sententias coniungat, alteram negativam, alteram positivam, hanc tamen subiecti eiusdem repetitionem ieiunam nusquam admisit. Denique tentare possis, αἱ φραδαὶ τυφλαί εἰσι τοῦ μέλλοντος, ut τυφλός est cum genitivo Xenoph. Sympos. IV, 12 et al.; sed displicet φραδαί genitivo destitutum. — V. 10. ἔπεσεν, cf. ad Ol. VII, 69. — V. 11. ἔμπαλιν, Ol. XI, 87. — V. 12. βαθύ, ingens, ut κλέος, πλοῦτος, al. — πεδάμειψαν, nacti sunt; cf. Wunderl. Observatt. critt. in Aesch. p. 182.

V. 13 — fin. De Ergotele loquitur. — V. 15. τιμὰ ποδῶν, praeclara vis pedum. — κατεφυλλορόησε, defluxisset, consenuisset, interiisset. — ἐνδομάχας ἅτ' ἀλέκτωρ, h. e. ἅτε ἐνδομάχου ἀλέκτορος τιμά, brevitate in comparationibus notissima eademque aptissima, quum plena oratio ieiuna esset. Cet. cf. Ol. I, 7. — Sensus: Cretae tantum in patria certasses, non in sacrorum ludorum lucem progressus esses, ut quum gallus domi pugnat, non in publica certamina producitur. Igitur Cretenses ea aetate non videntur ad sacros ludos profecti esse. De certaminibus coturnicum et gallorum (Lucian. d. Gymnas. c. 37.), ut apud Athenienses ex bello Persico, constat; laudat Boeckhius Ael. V. Hist. II, 28. et intt. Petit. legg. Att. p. 84. Dicuntur tales ἀλεκτρυόνες μάχιμοι, ἀθληταί, πλῆκται. Inprimis Tanagraeorum galli celebres, cf. Columell. d. R. R. VIII, 2. Denique Heynius et Boeckhius monent gallum gallinaceum in nummis Himerensium haberi, ut facile in hanc comparationem inciderit poeta, praesertim quum etiam certamina gallorum in Minervae honorem ibi fuisse videantur, explicante Boeckhio. De domestico gallo idem confert Aesch. Eumenid. v. 846. — V. 17. στεφανωσάμενος, cf. ad Ol. VII, 81. — V. 18. δὶς ἐκ Πυθῶνος, h. e. Pythiade 25 et 29., docte demonstrante Boeckhio. Hinc etiam in Isthmo bis vicerat. — V. 19. θερμὰ Νυμφᾶν λουτρά, h. e. Himeram, claram Thermis eximiis, quas Nymphae in Minervae gratiam Herculi ibi aperuerant; cf. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I, p. 427. — βαστάζεις, Isthm. III, 8. ἐπαείρειν Ol. IX, 20. — ὁμιλέων παρ', ut Hom. Od. XVIII., 382.

Sensus: Civitati adscriptus et habitans in propriis bonis, quippe domum et agros possidens ut civis. cf. Boeckh. Oecon. civ. Athen. I, p. 154 seqq.

Carmen Olympicum decimum tertium.

INTRODUCTIO.

Xenophon Corinthius, e gente Oligaethidarum nobili, stadio et quinquertio in iisdem ludis vicit Ol. 79. Etiam pater eius Thessalus cursu Olympiae vicerat Ol. 69., unde hic *οἶκος τριςολυμπιονίκης* dicitur. Praeterea etiam aliae victoriae non paucae huius familiae fuerant, Xenophontis, patris, avi, aliorumque; gens autem paene innumerabilem copiam coronarum habebat, ut vix quidquam in hoc genere maius et illustrius exstitisse in Graecia credas. Videamus nunc rationem carminis. Post prooemium, in quo cum familia victrici Corinthum se cantaturum significat, ad singula urbis ornamenta accedens, dicit eam et ludicris victoriis plurimis et inventionibus ingeniosis conspicuam, ut dithyrambi, domationis equorum, aquilae in aedibus, et hodieque poesi pariter ac bellicis studiis florentem. Quibus tractatis ad victorem transiens huius et familiae victorias recenset. Exin ad mythica tempora progreditur, Sisyphique et Medeae prudentiam memorat, et eorum qui ad Troiam steterant fortitudinem partim in Graecorum partim in Lyciorum exercitu. Lyciae res deducunt orationem ad Bellerophontem, quo loco data opera domationem Pegasi tractat a Minerva monstratam, tum bellorum mentionem facit, quae Pegaso insidens Bellerophontes gessit. Denique ad praesentes res rediens Oligaethidarum victorias laudat, loca enumerans omnia, ubi vicerint. — Perlustratis his omnibus, si de carminis compositione interiore quaerimus, primum perspicue patet Pindarum Corinthi decora potiora complecti voluisse, ita ut et fortitudinem ac rerum gerendarum studium et ingenii prudentiam et sollertiam doceret in hac urbe inde ab antiquo tempore fuisse.

Ac fortitudo quidem urbis partim probatur rei gymnasticae studio insigni ludicrisque victoriis plurimis a Corinthiis reportatis, quo pertinent in hoc carmine Xenophontis familiae et Oligaethidarum laudes, — non minus vero eadem elucet bellicis rebus, quum et nunc Mars vigeat in urbe et olim Troiano in bello clari fuerint Corinthii, denique prius etiam Bellerophontes post inventam domationem mirabiles pugnas pugnaverit audax Pegaso per aërem vectus. Atque haec quidem de fortitudine; ingenii vero vis et sollertia mythico tempore conspicitur in Sisyphi et Medeae prudentia, historico autem inventionibus ingeniosis pluribus et poesios studio. Vides igitur quae leguntur in hoc carmine omnia duabus hisce virtutibus contineri. Quemadmodum autem in singulis hominibus nulla est pulcrior virium coniunctio, quam si ingenii sollertia et elegantia pariter ac robore et fortitudine valent, sic etiam in civitatibus, ubi duo haec ornamenta coniuncta sunt, nihil potest illustrius cogitari; ac quod suaviter supra Epizephyrios Locros praedicari vidimus *ἀκροσόφους* et *αἰχματάς*, apud quos et Mars coleretur et Calliope, hoc nunc plenius et luculentius conspicimus in Corinthi laude propositum. Nec brevia haec et ad tempus, sed semper et per omnia tempora talis fuit Corinthus. Ac primum de historico maxime tempore et praesentibus rebus dicit, tum in medio carmine ad mythica assurgit, quo loco in Bellerophontae historia inventionis et fortitudinis laudem coniunctam exhibet; denique in fine carminis mihi quidem non magis de prioribus quam de futuro tempore dicere videtur. Etenim agitabatur a familia Xenophontea etiam alia victoria, ut ibi significatur; quam si ponimus equestrem fuisse, et praecedens locus de equi domatione per Bellerophontem nova luce perfunditur, et exitus carminis plane magnificus exsistit, ubi mihi luculentum augurium novae maioris victoriae proponere et ipsum *δαίμονα γενέθλιον* excitare velle videtur gentis priorum decorum omnium conferta enumeratione. Atque ita cum optima spe futuri temporis absolvitur carmen, cui credo deesset aliquid sine tali exitu. Denique ut ad principium redeam, tot decora urbis praesentia, praeterita, futura quis credat contingere potuisse sine diis? Quo maiora enim et pulcriora bona sunt, eo magis necessaria ex ingenio veteris poesios est derivatio eorum a diis. Sic causam vides cur

in prooemio ordiatur ab Horis Corinthi cultis, quae prosperitatis civitatum auctores omnia etiam haec ornamenta per decursum temporis maturarunt. — Post haec restat, ut de sollemnitatis ratione dicam, in qua carmen cantatum. Atque in privata domo non cantatum esse plane certum, quum publica urbis decora eo contineantur, privataeque laudes hic nonnisi pars sint publicarum et ad has referantur. Neque vero in templo cani potuit aut in pompa ad templum veluti Iovis; quae enim sic canuntur carmina, ea omnia necessario e deorum invocatione initium capiunt. Quae quum ita sint, ego cantatum suspicor, quum victor sollemniter introiret in urbem, et pompa victorialis duceretur per nobiliora urbis loca; ac publice etiam Boeckhius cantatum statuit. Post cantum ad *ἑστιατόριον* publicum aliumve locum perventum, ubi Oligaethidarum omnium paratum esset convivium.

EXPLICATIO.

V. 1 — 10. Prooemium. Cum familia victrici Corinthum se celebraturum significat praeclaram, ubi Horae habitent prosperitatis civitatum auctores. — V. 2. *οἶκον ἅμερον ἀστοῖς*, quum ex optimatibus esset familia, notante Boeckhio. Nempe forma reipublicae aristocratica fuit, gentibus nobilibus *γερουσίαν* obtinentibus, populi concione iisdem fere legibus circumscripta quibus Spartana, ut Müllero videtur Dor. II, p. 151. — V. 3. *ξένοισι δὲ θεράποντα*, ut plurimum laus nobiliorum et ditiorum gentium; de Corinthiorum autem hospitalitate cf. Müller. Dor. I. p. 414. Ceterum nota laudis formula, civibus hospitibusque inservire; cf. Iacobs Delect. Epigramm. p. 271. — *γνώσομαι* active pr. notam faciam, celebrabo, ut vulgo explicant, sine exemplo est, nec aptum rei; neque enim recte Pindarus dicere potuit, se notam facturum cantu Corinthum, quasi ante eum nondum innotuerit eius laus in tot victoriis ludicris reportatis. Verto: Domum victricem laudans contemplabor mihi simul Corinthum praeclaram, qua loquutione nihil aptius in carmine, quod totum versatur in decoribus urbis. Ac quum Pin-

darus amet translationes a re praesenti ductas, adde in pompa per nobiliora urbis loca incedente carmen cantatum videri, ipso fortasse poeta praesente, ut alio loco suspicatur Boeckhius. — V. 4. τὰν ὀλβίαν — ἀγλαόκουρον, divitiis, virisque egregiis florentem, sed pr. εὔανδρον iuventutem maluit dicere propter Xenophontem, notante Boeckhio. Ceterum non opus est refutare eos, qui absone de puellis et meretricibus Corinthiacis hic cogitarunt. De opulentia Corinthi nota omnia, Hom. Il. II, 570. Thucyd. I, 13. Müll. Dor. II, p. 27. 213. — V. 5. Verba Ἰσθμίου πρόθυρον Ποτειδᾶνος, situm indicant in introitu Isthmi, sed magnificentius dicta sunt ob Isthmum Neptuno sacrum, cuius dignus introitus praeclara haec urbs. Ut igitur Isthmus τέμενος, ἕδος Neptuni, sic Corinthus πρόθυρον. Eandem respexit Bacchylides, ὦ Πέλοπος λιπαρᾶς νάσου θεόδματοι πύλαι, in Scholiis. Appellabant enim vulgo ianuam Peloponnesi Corinthum, cf. Iacobs. Animadv. in Eurip. p. 100. — V. 6 sqq. De Horis vid. Manso Versuche über einige Gegenstände der Mythologie p. 373 sqq. — βάθρον πολίων ἀσφαλές licet etiam Eunomia dici possit, hic inprimis Δίκα et Εἰράνα dicuntur, quoniam bonae leges et instituta stare non possunt, sed evertetur etiam optima forma reipublicae, ubi pro iustitia vis et iniustitia irrepserit et pro concordia civium dissensio. Abstractum βάθρον sine causa displicebat Heynio, quanquam κίων, πύργος, ἔρεισμα, columen, subsidium, alia dicuntur. Est ubi abstracta maiorem vim habent. — Ad ὁμότροπος Tafel laudat Theophr. Char. XXVI. ibiq. interprett. — V. 7. ταμίαι, de feminina forma ταμία, nota ex Homero, cf. Ol. XIV, 9. et Boeckh. h. l. Ad rem cf. Valcken. ad Theocrit. p. 394. Inprimis Εἰρήνη audit ὀλβιοδότειρα, βαθύπλουτος, coll. Pausan. I, 8, 3. IX, 16, 2. — V. 9. ἐθέλοντι, cf. ad Ol. II, 97. — V. 10. ὕβριν et κόρον nolim hic pro personis haberi, cf. ad Ol. II, 32. Sensus: studiose avertunt insolentiam demagogorum, qui verbis violentis excitant in populo fastidium, ut sua contemnat, aliena iura appetat. Apte Tafel confert Solonis locum XV, 7. Hic plebeiam insolentiam intelligit etiam Boeckhius. Prohibent hanc a Corinthiis Horae, per εὐβουλίαν puta, quam civibus impertierunt et studiose conservant. Ceterum ut hic ὕβρις κόρου μάτηρ, sic Herod. VIII, 77. κόρος

ὕβριος υἱός. Vulgatius contrarium τίκτει κόρος ὕβριν. Theogn. 153., ubi cf. Welcker. p. 93. — Denique universi loci sensus hic: Canam Corinthum, ubi Horae bonam rempublicam iustitia et concordia civium nixam fundarunt cum opulentia, avertunt autem insolentes turbatorum conatus, h. e. ubi praeclara fundamenta prosperitatis publicae ab Horis sunt constituta, ut mirum non sit optima quaeque ibi effloruisse. Ac de ceteris his ornamentis mox dicet; de bona republica, ut de matre ceterorum, nunc dicit. — Cultas esse Horas Corinthi recte coniecit Boeckhius ex hoc ipso carmine; etiam Opuntios coluisse Themin et Eunomiam e verbis Ol. IX, 15. probari nequit; sed hic omnia ab Horis ipsis derivantur, ac frigeret universum carmen, si de abstractis notionibus tantum, non de diis cogitares.

V. 11 — 46. Decora Corinthia historici maxime et recentissimi temporis. Ac primum quidem generatim laudes urbis tractat, deinde Xenophonteae familiae victorias, tanquam recentissimam publicarum laudum partem. — V. 11. τόλμα. Confidentiam et audaciam suam praedicat in splendidis et difficilibus argumentis, cf. ad Ol. IX, 82. — V. 12. εὐθεῖα, ut in εὐθυμάχας, pr. fortis. — V. 13. ἄμαχον δὲ κρύψαι, cf. ad Ol. VII, 26. — τὸ συγγενὲς ἦθος Pindari est, quod gaudet difficilibus rebus. — V. 14. ὔμμιν δέ, quos et ipsos τὸ συγγενὲς ἦθος stimulat, acute monente Boeckhio. — παῖδες Ἀλάτα. De Aleta Doriensium duce et conditore regni Dorici in urbe Corinthi vid. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I, p. 86 seqq. παῖδες autem non sunt ἔκγονοι, quum non physicus esset Corinthiorum pater Aletes, quippe nonnisi Bacchiadarum auctor, sed politicus, h. e. conditor civitatis praesentis. Similiter qui pater patriae appellatur, eius non ἐκγόνους, sed παῖδας dixeris cives. Serius Callimachus Fragm. 103. Ἀλητιάδας Corinthios nominavit, quod non videtur dicturus fuisse Pindarus. Patronymica enim forma antiquitus nonnisi de vera aut credita origine usurpabatur, veluti Ἐρεχθεῖδαι proprie sunt Pelasgi, veteres Attici ab Erechtheo oriundi, quibus mixti postea Iones eodem nomine comprehendebantur, quia displicebat Ionicum nomen, ut contrario modo in Doricis civitatibus, quales Aegina, Corinthus, Dorienses omnes audiunt, licet pars ex veteribus incolis esset. Sed ab Alexandrinorum tem-

pore patronymica forma etiam de regibus et politicis conditoribus usurpari coepit, unde Latinis Romani Aeneadae dicuntur, Cyrenaei Battiadae in utraque lingua. — νικαφόρον ἀγλαΐαν, ludicrum decus, cf. Ol. IX, 99. — V. 15. ὑπερελθόντων, superantium, a cursu petitum ut ὑπερβάλλεσθαι a iaculatione. — V. 16. ἐν καρδίαις, oppositum membrorum robori in antecedente versu significato. — V. 17. σοφίσματα, inventa ingeniosa, Aesch. Prom. 469. Aristoph. Nub. 206. — πολυάνθεμοι, ut in Orphico hymno XLII. Ceterum vides Horas, quum anni praesides essent et quicquid tellus ferret maturarent, deinde ampliore vi etiam civitatum florem et hominum vitam esse complexas, quo pertinent nomina supra posita, primum lecta apud Hesiodum. Sic non solum bonam reipublicae formam constituunt, sed etiam cetera quae in civitatibus bene constitutis haberi solent praeclara maturant, qualia hic sunt robur et ludicra decora; tum artium inventa ingeniosa, et quicquid in mentibus gignitur pulcri. Unde feliciter Pindarus omnia Corinthi decora ab uno Horarum numine derivat. — ἅπαν δ᾽ εὑρόντος ἔργον, licet alii postea emendent, augeant, perficiant. — V. 18. ταὶ Διωνύσου χάριτες, Dionysiaca festivitas venustior ob inventum dithyrambum per Arionem, de quo vid. Herod. 1, 23. Müller. Dor. II, p. 569. Conferri potest Βρομία χάρις cum choris tibiaeque cantu Aristoph. Nub. 310. Ceterum Χάριτες an χάριτες scribas, perinde est; praetuli tamen quod clarius. — V. 19. βοηλάτης, quum praemium victoris bos esset, vid. Bentl. Diss. Phalar. p. 321. Lips. Athen. X. p. 456, d. — V. 20. Verto: quis frenis equorum moderamen indidit, s. frena moderantia invenit. Μέτρα enim sunt vis moderatrix freni, inprimisque στόμιον. Similiter Boeckhius: iustus modus, recta dimensio ac commoda ratio. Ceterum ἔθηκε supplebis e sequenti ἐπέθηκε. — Sequitur aquila duplex (οἰωνῶν βασιλεὺς δίδυμος) deorum in templis. Quum enim ante quattuor latera tecti fuissent, videtur Corinthi primum fastigium triangulare in fronte posticoque factum et imposita aquila Iovis ex opere fictili. Vid. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. II, p. 258. Inest igitur loco architecturae et plasticae laus, unde docte Boeckhius de Corinthiorum artibus agit. Mercaturam et talia omittit poeta ut vulgaria. — V. 22. ἀδύπνοος, Ol. VI, 83.

Prius urbs Eumelum viderat cyclicum poetam celeberrimum, sed non dubium est postea etiam lyricos ibi plures fuisse, e quibus Scholia Aesonem memorant; aliorum nomina perierunt. Erant enim plurimi lyrici inter Dorienses, clari in sua quique patria, non item omnes per totam Graeciam, veluti Pindarus Nem. IV. duos Aeginetas lyricos ex una gente laudat. Cf. Müller. Dor. II, p. 375. — Denique etiam bellica laude Corinthii videntur insignes fuisse terra marique, unde etiam multa ad bellicum apparatum invenerunt, ut galeam Corinthiam et triremium fabricationem; cf. Boeckh. — — V. 24 sqq. Transit ad ludicra decora. Sed post tantas laudes iam dictas orditur hunc locum ab ea sententia, quae Graeco poetae non poterat non necessaria videri: Utinam Iuppiter per omne tempus invidia absit ab his, quae cano, h. e. utinam nunquam minuas et deprimas praeclaram hanc prosperitatem, sed urbem serva et Xenophontem. Ceterum cf. ad Ol. VIII fin. — V. 28. *Ξενοφῶντος δαίμονος*. Unumquemque hominem habere genium suum nota est Orphicorum, mysteriorum, philosophorum doctrina, cf. Heind. ad Plat. Phaedon. p. 219. Meineke ad Menandr. Fragm. p. 203. Cuius rei initia haud dubie hausta erant e religione populi, qui in rebus gestis, in fortuna aut infortunio maiori singulorum hominum aut gentium non poterat non *δαίμονα* agnoscere s. vim divinam peculiarem, proprie in his ipsis versantem. Vid. Creuzeri Mythol. T. III, c. I. Vulgo quidem in poetis et pedestribus scriptoribus *δαίμων*, ubi non deus est, vertitur fortuna, quod saepe sufficit, veluti Pyth. V fin. *Διὸς νόος κυβερνᾷ δαίμον᾽ ἀνδρῶν φίλων*, at in aliis locis ita praevalet personae notio, ut genium vertere malis, ut quum in fine carminis Pindarus gentis Oligaethidarum *δαίμονα γενέθλιον* commemorat. Atque etiam hoc loco genium verterim cum Boeckhio, quia consulto poeta *Ξενοφῶντος δαίμονα* commemorare mihi videtur propter illum *γενέθλιον δαίμονα*, cuius vim infra disces. Cet. cf. Bergl. ad Aristoph. Nub. 1254. — *εὔθυνε*, cf. Anthol. Pal. VII, 164. *καὶ σόν, ὁδῖτα, οὔριον ἰθύνοι πάντα Τύχη βίοτον.* Ibid. IX, 107. *διιθύνων εὐπλοΐην.* — V. 29. *δέξαι δέ οἱ*, ab eo, cf. ad Pyth. IV, 23, et vid. Boeckh. Nott. critt. et laudata a Tafelio. — *στεφάνων ἐγκώμιον τεθμόν*, h. e. *κῶμον τέθμιον*, pompam cantumque pro-

pter coronas sollemni more tibi debitum. Atque omnis Olympicus hymnus canitur Iovi. Ceterum supra significavi me non ponere pompam ab initio ad Iovis aliquod templum ductam, quia nulla est in prooemio invocatio; ac vide similem nostro locum Ol. VII, 88. in convivio cantatum. Tamen non obsto, immo pulcherrimum habeam, si pompa per urbem incedens nunc maxime steterit ante templum statuamve aliquam Iovis. — Verba: *τὸν ἄγει — Πίσας*, apprime conveniunt, victore nunc ipsum sollemniter in urbem introeunte. — V. 33. *σελίνων*. Olim coronae e pinu fuerant, tum successerat apium aridum, de quo cf. Voss. ad Virg. Eclog. VI, p. 324. et Schol. add. Tafel. Serius reducta pinus, notante Boeckhio e Plut. Sympos. Qu. 5, 5. — V. 34. *ἀντιξοεῖ*, Herod. VII, 150. *ἀντιξόους γενέσθαι*. Sensus: nec Nemea inimica est, sed favet, cf. Boeckh. et vid. not. ad Nem. V, 44. — V. 36. *αἴγλα ποδῶν*, gloria victoriae. — *ἀνάκειται*, publice habetur inter ornamenta Olympica, ductum a donariis statuisque Olympici luci decoribus. Idem simplex *κεῖται* Isthm. IV, 17. — V. 37. *μηνός — τωὐτοῦ*, videtur tempus Munychionis Attici intelligendum, quo Delphis Pythia acta, Athenis Munychia, Delphinia, Diasia equestria, nec tamen constat qui nunc intelligendi sint ludi. Vid. Boeckh. Thessalus vicerat stadio, diaulo, armato cursu cf. Schol. — V. 38. *ποδαρκὴς ἁμέρα*, velox dies, h. e. in brevi spatio unius diei celeriter labentis ter certavit et vicit. *ἁμέρα*, cum emphasi, unus dies, vid. Doederl. ad Soph. Oed. Col. p. 370. Ceterum cf. *ποδῶκες ὄμμα* Aesch. Sept. 625. *ποδῶκες χάλκευμα* Choeph. 572. *νόμοι ὑψίποδες* Soph. Oed. R. 866. aliaque multa similia. — *τρία ἔργα κάλλιστα*, nervosa brevitate dictum pr. trium victoriarum coronas, in quo voce *ἔργον* consulto usus est, ut significantiore, propter triplicem laborem indefessa vi uno die peractum. — V. 40. *Ἑλλώτια*, consecrata Hellotidi sive Hellotiae Minervae, lunae lucisque deae, in quibus lampadibus decurrebatur. cf. Schol. et Boeckh., add. Müller. Dor. I, p. 398. Ceterum supple cum Boeckhio: *ἔργα κάλλιστα ἔθηκεν ἀμφὶ κόμαις*. — *ἀμφίαλοι Ποτειδᾶνος τεθμοί*, sollemnia Isthmia. Verto: „In Isthmiis autem contigerunt ei etiam longiores cantus cum patri Ptoeodoro et Terpsia Eritimoque." In quo longiores cantus sunt qui plures etiam

victorias enumerant, velut μακραγορία de largo argumento Pyth. VIII, 30, et μακρόν, μακρά Pyth. IX, 80. Nem. IV, 33. Hae enim voces et longum et nimis longum significant; erratque Tafelius ad Pyth. VIII, 30. semper reprehensionem inesse opinans. Est autem gradatio in toto loco: Delphis bis vicit, Athenis ter uno die, in Hellotiis septies, in Isthmo autem etiam plures sunt victoriae a familia reportatae (Thessalo, Ptoeodoro, Terpsia, Eritimo coniunctim), denique Delphis et Nemeae fere innumerae. Ceterum Terpsias secundum Schol. fuit frater Ptoeodori et patruus Thessali; Eritimus Terpsiae sive filius sive nepos. — V. 43 sqq. Sensus: Delphica autem vestra et Nemeaea quod attinet, litigo cum multis de multitudine, h. e. etiam magnae victorum copiae coniunctae abiudicabo parem maioremve numerum, quemadmodum etiam Boeckhius cepit. — V. 46. ποντιᾶν ψάφων ἀριθμόν, cf. Ol. II fin. Anthol. Pal. II, p. 640. epigr. 52, 7. laudante Tafelio.

V. 47 — 92. Decora Corinthi mythica. — V. 47 sq. Revocat se primum a Xenophontis familiae ulteriore laude. — V. 48. νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος, opportunum et convenientem modum nosse optimum. cf. ad Ol. VII, 26. Sententia saepius obvia, ut Pyth. I, 81. IX, 77, 8. Alia habet Valcken. ad Hippol. v. 264. et Tafel h. l. — V. 49. ἐγὼ δὲ ἴδιος ἐν κοινῷ σταλεὶς seqq. Ut κοινὸς ἐν κοινῷ est communis in communi re, sic ἴδιος ἐν κοινῷ erit qui privata curat in publica causa. σταλείς, a navigatione petita metaphora cantus, ut Pyth. II, 62. Pyth. IV, 3. Nem. VI, 29. Alia vid. ad Horat. IV, 15, 3. Iam verte: Ego vero, qui cum privata merce in publico argumento vectus sum (argumentum enim carminis verum publica laus est, cf. Introd.), nunc prudentiam celebrans maiorum et fortitudinem bellicam non mentiar de Corintho, h. e. ego, qui modo privatas laudes data opera tractavi in publica causa, nunc, ubi ad ipsas publicas laudes urbis redeo, non minus vere et accurate de Corintho dicam. Ceterum ad ἴδιος cf. Nem. VI, 33., atque ut ibi Aeginetarum, sic hic Corinthiorum studiis nauticis suaviter accommodata oratio. — V. 51. πόλεμον ἐν ἀρεταῖσιν, ut bellum gestum in armis, neque enim ἐν per significat. — V. 52 seqq. Constructionis ratio haec

est: Sisyphum quidem laudans (γαρύων) ut prudentissimum, et Medeam ut Argonautas consilio servantem, bellicam vero fortitudinem ante Troiam conspicuam. Respondent igitur sibi Σίσυφον μὲν seqq. et τὰ δέ v. 55.; sed constructio mutata in altero membro, quum incommoda fuisset participii continuatio. — V. 52. Σίσυφον non vafrum hic et male callidum, sed sapientem et prudentem dicit, cf. Welckerum meum de Aeschyl. Trilog. p. 551 seqq. — De Medea Corinthia uberrime exposuit Müller. Orchom. p. 269 sqq. Sensus: Quae quum Iasoni se iunxisset, hunc consiliis adiuvit, atque ita effecit, ut navis cum Argonautis incolumis rediret; cf. Pyth. IV. — V. 53. αὐτᾷ pr. αὑτᾷ, cf. Thiersch. Gr. Grammat. ed. tert. p. 332. — θεμένα, ut alias parentes τιθεῖσι γάμον. Ad loquutionem cf. Eurip. Iph. Aul. 1076. — V. 55. τὰ δέ, partim vero etiam robore ante Troiam visi sunt utrinque decernere pugnas. ἐν ἀλκᾷ, non per robur, sed in robore, ἐπιειμένοι ἀλκήν. — V. 56. ἔδοκησαν, existumati sunt et famam habuerunt eam, cf. Pyth. VI, 40. ac saepe οἱ δοκοῦντες δίκαιοι, ἀγαθοί, ἄριστοι εἶναι. Add. Eurip. Hec. 295., Troad. 613. Heracl. 900, quae laudat Musgr. ad Soph. Oed. R. 1191. — V. 57. μαχᾶν τέμνειν τέλος, pugnarum exitum dirimere. Confert Boeckh. Eurip. Heracl. 758. Sic κρίνειν νεῖκος πολέμοιο Hom. Od. XVIII, 264. Secantur lites Horat. Epist. 1, 16, 42. Nec τέλος superfluum, sed significantius. Ceterum confer πεῖρατ᾽ ἀέθλων Pyth. IV, 220. — V. 58. Qui Atridis iuncti erant, in iis fuit Euchenor, de quo Schol. Paruerunt autem Corinthii tum Agamemnoni, Hom. Il. II, 570. Pausan. II, 42. — V. 59. κομίζοντες, repetentes, de conatu. Laudat Tafel. Eurip. Suppl. 495. Similiter κτείνειν, ἀπολλύναι, ποιεῖν, cf. Elmsl. ad Eurip. Heraclid. 1103. Brunck. ad Soph. Oed. R. 1454. Doederl. ad Soph. Oed. Col. 989. Et πείθειν, διδόναι Wunderl. Praefat. ad Demosth. d. Coron. P. XXXVI. Omninoque praesentia et imperfecta verborum plurima apud Graecos et Latinos. — V. 60. In Troiano exercitu fuit Glaucus Lycius, nobilis apud Homerum heros, Corintho oriundus, cf. Hom. Il. VI, 144 sqq. Sisyphi filius Glaucus, huius Bellerophontes, qui Hippolochum genuit, Hippolochus Glaucum Lycium. Vid. plura apud Boeckh. — τοῖσι μέν, nam coram Danais originem Corinthiam

gloriatur ap. Hom. l. cit. — V. 61. ἐν ἄστεϊ Πειράνας, nobilissimi fontis in Acrocorintho, cf. Pausan. I, 5, 1. Strab. VIII, 6. Iacobs Delect. Epigramm. p. 361. — σφετέρου πατρός, avi sui Bellerophontae, ἀρχάν, ut tamen subiectus esset summo imperio Proeti Argivi, monente Boeckhio e Pausan. II, 4, 2. — V. 62. μέγαρον, videtur Σισύφειον intelligendum cum Tafelio e Strabon. VIII, 6., situm in Acrocorintho, ubi regum priscam sedem fuisse credibile. Ibidem in arce quum esset Pirene, suavis denominatio ἄστυ Πειράνας. — βαθὺν κλᾶρον, ditem hereditatem, qualia habent heroes, metalla, currus et equos, servos, agros. βαθύς pr. multus, copiosus, legitimum de opibus, unde βαθύπλουτος, βαθυκτέανος, alia, cf. exempl. ap. Tafel. Ceterum Blomfld. ad Aesch. Prom. 673. contendens βαθύς saepe esse fertilis, non annotavit pertinere hoc tantum ad prata et agros in locis depressis (Marschland), ubi maior est fertilitas quam in collibus et montibus. — V. 63 sqq. Sequitur fabula de Bellerophonta, de qua nuper disputavit Völkerus Mythologie des Iapetischen Geschlechts p. 184 sqq. Nos Pindarum videamus. Bellerophontes, quum diu frustra Pegasum domare tentasset, adit vatem Polyidum, qui eum incubare iubet in templo Minervae; ibi dea in somno frenum offert, quod Neptuno in sacrificio monstrari iubet. Heros expergefactus invento dono iterum adit vatem, qui monet, ut post sacrificium Neptuno oblatum Minervae equestri aram ponat. Iam poetica rei adornatio etiam Boeckhio laudata haec est, quod Pindarus non dicit bis de consulto Polyido, sed semel uno loco. Orditur igitur suavius ab ipsa donatione freni in somno, et consultum ante Polyidum commode subiicit post, ubi secundum aditum ad vatem narrat. — V. 63. ἀμφὶ κρουνοῖς ad Pirenem. — V. 64. Πάγασον, Neptuno et Gorgone natum. — V. 67. ὕπαρ, Hom. Od. XX, 90. — V. 68. φίλτρον, v. 85. φάρμακον πραΰ, h. e. frenum quod domabit, delenimenti potentis ad instar in amoribus adhibiti. — V. 69. Δαμαίῳ, quo nomine Corinthiis inde ab hoc tempore colebatur Neptunus. Est enim Neptunus non solum creator equi habitus, sed etiam domitor, atque ex Attica fabula in pago Coloneo frenum primum confecisse dicebatur. Hinc etiam certaminibus curulibus praeest iam apud Hom. Il. XXIII, 584. Cf. libros Völkero d. Iapet. p. 154. laudatos, et

vid. Müllerum meum in Dissertat. d. Phidia tertia, qui simul monet nusquam tamen Neptuno etiam curruum constructionem tribui. — πατρί, non generatim, ut Virg. Aen. V, 14., monente Boeckhio, sed quia Neptunus genitor Bellerophontae habitus pro Glauco; cf. Schol. Atque ipsum Glauci nomen proprie fuit epitheton Neptuni, quod deinde in personam abiit, quemadmodum Ἁλιῤῥόθιος (Ol. XI, 70), Müllero iudice. — ἀργᾶντα, secundum grammaticos nitidum robore et pinguedine, vid. Boeckh., atque ita βόες ἀργοί Hom. Il. XXIII, 30., ut videtur, coll. Nitzsch. Animadv. ad Od. II, 11. Nam vulgo nigri Neptuno immolantur ut formidabili deo. Tamen Virg. Aen. V, 235. diis maris candens taurus promittitur in prospero eventu, cf. Nitzsch. ad Odyss. III, 6. et Pindar. Pyth. IV, 205. φοίνισσα ἀγέλα ταύρων adhibetur Neptuni sacris. Vides non semper nigros huic deo immolatos. — V. 71. κνώσσοντι, de incubatione, ἐγκοιμήσει, Boeckh. laudat Wolf. Misc. litt. p. 403. Add. Creuzer. Mythol. II, p. 276. — V. 75. Κοιρανίδης est Polyidus, Euchenoris pater, qui a Melampo genus deducit, cf. Boeckh. — V. 76. νύκτ᾽ ἀπὸ κείνου χρήσιος, Boeckh. τὴν μετ᾽ ἐκεῖνον χρῆσιν νύκτα, ut Schol. rec. Sed malim: ipso iubente, c. vet. Schol. — V. 81. καρταίποδα, bovem, vox Delphica, cf. Schol., ex oraculo ut videtur, Müller. Dor. II, p. 533., unde Boeckhius consulto nunc eam vati Polyido tribui suspicatur. — αὐερύῃ, Hom. Il. I, 459. — V. 82. Ἀθήνη Ἱππία est χαλινῖτις, cuius templum Corinthi, Pausan. II, 4, 5. — V. 83. Explico: τελεῖ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ᾽ ὅρκον καὶ παρὰ ἐλπίδα (κτίσιν tanquam) κούφαν κτίσιν, perficit deorum vis etiam quam iurares impossibilem nec sperares, tanquam facilem rem s. ita ut sit facillima. Cet. cf. πὰρ δόξαν τε καὶ ἐλπίδα Theogn. v. 639. Bekk. ad. ὅρκον cf. ibid. v. 659. Porro κτίζειν passim pr. facere, efficere, cf. Blomfld. ad Pers. 294. Ad sententiam denique vid. laudata Welckero Theogn. p. 28. — V. 84. ὁρμαίνων, velox, ἕλε, in potestatem suam redegit. — V. 86. ἐνόπλια ἔπαιζεν, lusit in armis ludicros motus, ut qui saltant in armis, quae est ἐνόπλιος ὄρχησις. — V. 87 seqq. Bella Bellerophontae adversus Amazones, Chimaeram, Solymos narrat etiam Hom. Il. VI, 179 seqq. — V. 88. αἰθὴρ ψυχρά, quia sublimior aer

frigidus. — ἔρημος affuit Ol. I, 6. — κόλποι αἰθέρος (cf. exempla ap. Tafel.) accipe pr. cavo aethere. — De Amazonibus cf. Ol. VIII, 47. De Solymis cf. Heyn. ad Hom. Il. V. p. 226. Naeckius ad Choeril. p. 134. — De forma σωπᾶν p. σιωπᾶν cf. Boeckh. Nott. critt. et Explicatt. ad h. l. Exciderat autem Bellerophontes ausis, quum in coelum ascendere vellet, cf. Schol. et Isthm. VI, 44. Horat. IV, 11, 26. Tacet hoc nunc ut ab huius carminis laudibus alienum. Pegasus vero evolavit in coelum.

V. 93 — fin. Gentis Oligaethidarum innumeras victorias comprehendens poeta nunc etiam futuri temporis augurium proponit laetissimum. — V. 93 sq. Me vero decet, ait, rectum missilium turbinem mittere, neque haec multa tela praeter scopum iaculari, cuius metaphorae exempla vid. Pyth. I, 44. Nem. VI, 28. VII, 71. Ceterum nihil superfluum esse in antecedente fabula Introductio docet, sed sunt hae suaves formulae apud Pindarum, quibus transitum parat ad alia. — V. 94. ῥόμβον cf. Schol., Schneid. et Passow. Lex. — V. 95. καρτύνειν, cum vi movere; comparant Apoll. Rhod. II, 332., add. Tafel. h. l. — V. 96 sqq. Verte: Musis enim obsequutus lubens Oligaethidis veni cantaturus Isthmias ac Nemeaeas victorias, in quo τέ post Ὀλιγαιθίδαισιν ad Ἰσθμοῖ pertinet, plane ut Nem. III, 12. ἐγὼ δὲ κείνων τέ μιν ὀάροις λύρᾳ τε κοινάσομαι. Quales collocationes quomodo explicari debeant, de eo disputat Schaefer. ad Gnom. Poet. Lips. p. 366., et ad Demosth. Tom. I. p. 690. Vulgo hic incommode Μοίσαις Ὀλιγαιθίδαισίν τε iungitur. Ceterum cf. Ol. IX, 89. Nem. 73. — V. 98 seqq. *Boeckh.* „Et adstipulabitur mihi verax iurata vox praeconis sexagies utrinque audita." Vox praeconis iurata dicitur, quia iuratus est praeco ut iudex. Utitur autem poeta etiam alias in magnis rebus ad augendam vim ingeniosis formulis. — V. 102. ἔοικεν cum emphasi positum, ut passim fit in re aperta, luculenta: Olympica, credo, supra dicta sunt ita, ut nemo non teneat. Dixerat enim de iis breviter quidem, sed luculenter in principio. — V. 103. τότε, tum, quum facta fuerint. cf. Stallb. ad Plat. Phileb. p. 114. Markland. et Matth. ad Eurip. Iphig. Aul. 46. Hem-

sterh. ad Lucian. Nigrin. c. 7. add. Soph. Electr. 676. 907. Eurip. Med. 1398. Electr. 1203. Aristoph. Plut. 1118. Plat. Protag. p. 325, e. Gorg. 488, c. Polit. 266, d. — V. 104 sqq. Ad verba *ἐν θεῷ τέλος* cf. Nem. X, 29. Demosth. d. Coron. p. 294. Ovid. Heroid. 20, 44. Metam. 7, 24. — Porro liquet e Pindari verbis Xenophontem aut alium e familia (hanc enim maxime hic cogitari praecedens Olympicarum victoriarum commemoratio ostendit) novam victoriam agitasse, quam verisimile est curulem fuisse Olympia reportandam, ut sensit etiam Tafel. Ac primum quidem Iuppiter Olympiae summus rex, idem Oligaethidis favet maxime, quibus iam tres victorias dedit; Martem autem sive Enyalium, quos hic non discerno, Corinthi cultum esse ab ipsis nominatim Oligaethidis bene iudicarunt Heynius et Boeckhius; idem, licet alia de causa, attulit etiam equestris Martis aram Olympiae e Pausan. V, 18, 1. Vides igitur perquam aptam esse horum deorum commemorationem et Olympiae potentium et faventium Oligaethidis. Sed omnino non satis attendisse mihi videntur viri docti, qui haec tractarunt, ad interiorem praeclari huius loci rationem. Nempe ludicra decora Corinthi cecinit Pindarus iam supra; quodsi nunc nihil nisi continuare voluit harum victoriarum recensum, vide ne admodum ieiunus sit hic exitus carminis. Sed aliud, opinor, simul subest. Post innumera alia decora nunc curulis paratur victoria; hanc praemonstrat Bellerophontae fabula, quae nescio quomodo incommoda est, si desciverunt posteri ab his virtutibus equestribus; hanc nunc tractat finis carminis, caute quidem ut in re futura, sed tamen satis aperte. Nempe iam non Xenophontis *δαίμονα* supra laudatum commemorat, sed maiorem ipsius gentis genium. Spero, ait, sed in deo finis; quod si vero genius gentilis surgeret et veniret, Iovi et Marti dabimus rem perficiendam, quos certa spes est talem vim non destituturos. Qualis autem est hic *δαίμων γενέθλιος*? Ostendunt statim congestae innumerae gentis victoriae, quas dum laudat, ipsum in his rebus conspicuum genium gentilem laudat, opinor, et laudando excitat magnifice. Sic pulcherrimo artificio priora decora vertuntur in augurium futurorum luculentissimum. — V. 106 seqq. *τὰ δ' ἐπ' ὀφρύϊ Παρνασίᾳ — Θήβαις*, per acclamationem: Delphicae et Argivae

quot sunt et Thebanae victoriae! Verba: ἐπ᾽ ὀφρύϊ Παρνασίᾳ, non intelligenda esse de stadio in urbe proxime montem, moneo ad Pyth. VIII, 19. — De Argivis et Thebanis ludis cf. ad Ol. VII, 83, 4. — V. 107. ὅσα τ᾽ — ἄναξ, et quas in Arcadia surgens testabitur ara Lycaei regina. Confert Boeckhius de hac ara Pausan. VIII, 38, 5. Erat ea sepimento a reliquo monte separata, cf. Eurip. Electr. 1274. Valcken. Diatr. p. 132. In monte etiam hippodromus et stadium. Ceterum add. Müller. Dor. I. p. 306. — V. 109. Πέλλανα, cf. Ol. IX, 104. — Σικυών, ubi Pythia, cf. Schol. h. l. et Nem. IX. — Μέγαρα, vid. Ol. VII, 86. — Αἰακιδᾶν εὐερκὲς ἄλσος, Aeaceum, de quo cf. Müller. Aeginet. p. 161. Intelligenda igitur Aeacea, quae memorat Scholiastes. — V. 110. Ἐλευσίς, vid. Ol. IX, 99. — Μαραθών, Ol. IX, 89. — V. 111. ταὶ — πόλιες, Boeckh. cum Schol. Syracusas maxime intelligit, ubi Isthmia, et Aetnam, ubi Nemea agebantur. — V. 112. Εὔβοια, ubi habebantur Geraestia Neptuno, Amarynthia Dianae, denique Basilia, vid. Boeckh. — V. 113. μάσσον᾽ ἢ ὡς ἰδέμεν, plura quam ut visu complecti possis. Boeckhius: quam primo adspectu videas et putes antequam inquisiveris. — V. 114. Iuppiter perfector, fac ut levibus pedibus enatent, s. vitam percurrant. De infinitivo in precibus cf. Boeckh. Nott. critt. h. l. Matth. Gr. pag. 1073. — κούφοισι ποσίν, ait Boeckhius, commode translatum, quum cursores essent. — V. 115. Ζεὺς τέλειος notatur Boeckhio in Nott. critt. — αἰδῶ δίδοι, modestiam da, commoda admonitio post tantas laudes, ut saepe apud Pindarum. Ceterum alius fortasse apertiores preces pro futura victoria exspectaverit, frustra; dictum de ea ante, quantum satis; nunc maxime Pindaricus hic exitus.

Carmen Olympicum decimum quartum.

INTRODUCTIO.

Victoria haec reportata est Ol. 76. Asopicho, puero Orchomenio. Carmen cantatur Orchomeni a puerorum choro in templo Gratiarum, quas maxime colebant Orchomenii inde ab antiquo tempore. Invocantur autem deae, pulcherrime hic laudatae, ut benigne praesentem comissationem recipiant. Postremo Echo excitatur, ut etiam patri mortuo laetum victoriae nuntium ferat.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Invocatio et laus Gratiarum. — De Orchomeno et de celeberrimo Gratiarum cultu apud Orchomenios cf. Boeckh. Oecon. civit. Athen. II. p. 367. et Müller. Orchom. p. 177 seqq. — V. 1. *Καφισίων ὑδάτων λαχοῖσαν*, ad Cephisum sitam. *λαχεῖν* c. accusativo et genitivo construitur. De forma *Καφισός* et similibus vid. Müller. Orchom. p. 479. — V. 2. *καλλίπωλον*, nobili equorum propagine claram, ut *εὔπωλος Ἴλιος*, cf. Herm. ad Soph. Oed. Col. 715. Unde equitatu praestabant, cf. Boeckh. d. Oecon. civ. Ath. l. c. p. 371. — V. 3. *λιπαρᾶς*, splendidae, praestantis, cf. ad Nem. IV, 18. — V. 4. *Μινυᾶν*, vid. de his antiquis Orchomeni incolis uberrime explicantem Müllerum in libro modo laudato. — V. 5. *τερπνά* et *γλυκέα*, iucunda et dulcia, suaviter amplificationis causa coniunxit, quum alterutrum solum positum nimis tenue et nudum fuisset. Hinc etiam *τε* — *καί* placet. His enim particulis saepe utuntur veteres in amplificatione, veluti Demosth. de Coron. p. 227. *μάλιστα δὲ τῆς παρ' ὑμῶν εὐνοίας τε καὶ φιλανθρωπίας (ἀποστερεῖσθαι χαλεπόν)*, ubi quod non posuit *καί*, sed *τε καί* ad vim sententiae augendam fecit. Similiter Xenoph. Anab. III, 3, 2. *φίλον τε καὶ εὔνουν*. Adde dicta ad Ol. I, 79. Lati-

num usum eundem particularum que — que, que — et, notavit Wunderl. Observatt. ad Tibull. I, 2, 29. Hoc loco pertinet eodem repetitio articuli. Hermannus quod nunc praefert τά γε τερπνά, id mihi minus aptum videtur. — V. 7. σοφός, musicarum artium peritus. — ἀγλαός, factorum gloria, victoriae decore ornatus, ut ἀγλαΐα saepius apud Pindarum de victoria. Nam καλός et ἀγλαός ne dubita etiam propter Asopichum dicta esse. — V. 8. οὔτε γὰρ θεοὶ seqq. Vide quae disputat de notione Gratiarum Müller. Libr. laud. p. 179 sqq. — σεμνᾶν, confert Tafel Eurip. Hel. 1341. σεμναὶ χάριτες. Hic ipsa res magnificentius epitheton postulabat. — V. 9. κοιρανέοισιν, moderantur, adornant, instruunt. — Denique ad formam orationis attendas. Etenim minus bene per coordinationem dixisset: σὺν ὕμμιν γὰρ τὰ τερπνὰ πάντα καὶ βροτοῖς καὶ θεοῖς, quum hoc loco propter humanas res invocentur Gratiae. Hinc post invocationem solum prius membrum posuit, et nunc alterum per γάρ subiicit: Sitis benevolae; omnia enim iucunda hominibus a vobis, quum etiam diis nulla iucunditas sit sine Gratiis, quae egregia est iunctura. Omnino γάρ et ἐπεί exquisitos usus habent apud poetas. — πάντων ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ, quum deorum omnis vita iucunda sit, ait Boeckhius, ut omnibus rebus coelestibus interesse debeant. Hinc in deorum oblectationibus assident Apollini et Musae, quemadmodum etiam Delphis expressae erant secundum Scholia. Curant vero κῶμον in Olympo, ut inter homines. — V. 12. πατρὸς — τιμάν, ut Fragm. Hymn. 1. 2. τὰν Διωνύσου τιμάν — ὑμνήσομεν.

V. 13 — fin. Repetitur invocatio, et nunc quidem ipsis nominibus appellatis. — V. 15. ἐπάκοοι τανῦν praefero cum Hermanno. Novimus quidem in alloquutionibus singularem et pluralem sociari, cf. Nitzsch. ad Hom. Od. III, v. 43., Matth. Gr. pag. 615., sed hoc loco ἐπάκοος γένευ minime elegans videtur. Contra apte mox ἰδοῖσα pr. ἰδοῖσαι dictum, quum Thaliae nomen interpositis verbis ἐπάκοοι τανῦν a ceteris separatum esset. Ac princeps Gratiarum hic est Thalia, ad quam solam etiam sequentia diriguntur. Sed alium praeterea singularem in antecedentibus fuisse non probabile. De signif. v. ἰδοῖσα cf. ad Ol. VII, 11. — V. 17. κοῦφα βιβῶντα, levi pede, ala-

cri motu incedentem, laete saltantem ob prosperam fortunam. Constat verba dolendi et laetandi iungi cum ἐπί, ut στένειν, στενάζειν, ἀλγεῖν, χαλεπῶς φέρειν, χαίρειν, τέρπεσθαι, κωμάζειν, παιανίζειν, alia. — Λυδίῳ — ἐν τρόπῳ ἔν τε μελέταις, Lydia harmonia Lydioque carmine. Μελέται enim, meditationes, sunt ipsum carmen, quod meditatus est dulce et supplicatorium, ut sunt Lydia. cf. Boeckh. — ἀείδων ἐν, cf. Isthm. IV, 30. et ad Ol. I, 15. — V. 20. σεῦ ἕκατι, per te, ut Pyth. V, 9. Isthm. III, 19. al. Simile Διὸς χάριν Pyth. III, 95. Cf. Blomfld. ad Choeph. 430. — V. 21. Ἀχοῖ. Echus proprium resonare postquam sonuit vox; pulcherrima igitur sententia Pindarus haec ipsa ultima chori canentis verba de Cleodami filio victore Olympico, causam totius carminis continentia, resonare vult apud inferos. Hoc enim est, quod significat. Neque inanis haec phrasis, quum bene notante Boeckhio, quem vide, Echo rebus inferis coniuncta fuisse videatur. Nempe credebant veteres, ut mihi quidem videtur, verba graviora ad mortuos directa, ut invocationes, laudes, lamentationes, alia intentiore voce pronuntiata, revera in Orco resonare, per Echo delata. Quemadmodum etiam hunc finem carminis elatiore voce a choro cantatum crediderim. Cet. cf. ad Ol. VIII, 81. — V. 23. κόλποις — Πίσας, in valle Olympica. — V. 24. ἀέθλων πτεροῖσι, h. e. στεφάνοις, ut Pyth. IX fin. πτερὰ νικᾶν. Coronae enim, ut monet etiam Boeckhius, metaphorice alae dicuntur, quae victorem sublime ferant (ἐπαείροντι, Ol. IX, 20). Ac constat Victoriam alatam fuisse.

Carmen Pythium primum.

INTRODUCTIO.

Victoria haec curulis reportata est Pythiad. 29., h. e. Ol. 76, 3. secundum verum Pythiadum calculum a Boeckhio restitutum ad Ol. XII. Hiero Aetnaeum renuntiari se iusserat, ut urbi gratifi-

caretur recens a se conditae Ol. 76, 1., sublata Catanae civitate et denominatione novisque incolis e variis urbibus conscriptis. Idem hoc victoriae Pythiae anno ad Cumas Etruscos gravi proelio vicerat, cuius rei monumentum insigne superest galea Olympiae nuper reperta, quam Hiero cum aliis duabus Iovi Olympio ex more dedicaverat. Quibus rebus si addideris Aetnae eruptionem inde ab Ol. 75, 2. per plures annos continuatam, habes historica potiora a Boeckhio doctissime explicata, quorum usus est in hoc carmine. Orditur autem Pindarus a laude citharae et musices, quae quum audiatur in Olympo, fulmen Iovis et in sceptro aquilam consopiri atque adeo ferocem Martem; tum ad contrarium transiens, ut dii ament, sic inimicos deorum sceleratos aversari musicam ait, praeclare describens furores Typhoei sub Aetna compressi. His commode subiicit preces pro incolumitate urbis Aetnae, ad quam deducta oratione hanc victoriam augurium esse dicit futurorum eius decorum et carminum. Inde etiam victori Hieroni precatur felicitatem divitiasque perennes et dolorum corporis, quibus tum laborabat, oblivionem; esse quarum recordatio animum exhilarare possit, praeclare gestas res bellicas, quibus cum fratribus summum imperium consequutus sit; ac nuperrime demum Etruscos ab eo fusos vel aegroto. Post haec per filii Dinomenis laudem, Aetnae tum regis, iterum ad hanc urbem redit, quam conditam praedicat ab Hierone Doricis legibus et institutis, et ut salvam dii servent orat, florentem domi, foris tutam ab hostibus, praeclare Hieronis et fratrum insigne proelium Himerense in memoriam revocans, qua laude hic rerum ambitus absolvitur. Iam enim ad finem tendente carmine abrumpit priora et admonitiones subiicit; iuste rex populum gubernet, liberalis esse pergat, aulicorum adulationes contemnat et posterorum potius iudicium curet, qui Croesum laudent, Phalaridem aversentur. — His enumeratis restat quaestio de summo consilio carminis eiusque vera compositione; quae quidem res quum primo adspectu obscurior sit, nos, ut tutius procedamus, aliorum carminum analogiam adhibebimus. Primum igitur ut in aliis carminibus mythica pars est et non mythica res praesentes complectens, sic etiam hic, nisi quod nunc mythica pars in principio legitur, quum vulgo in medio carmine posita sit. Deinde quum mythicis summa sententia carminis

contineri soleat, sive tota sive ex parte, idem iure exspectabimus in hoc carmine. Constat autem mythica pars nunc duobus oppositis locis, de diis Olympiis et de Typhoeo in Tartaro, totam sententiam carminis complectentibus, quibus iam respondere debebit bipartita divisio sequentium, si orbem suum conficit carmen. Sic delineato ambitu propius ad singula accedamus. Igitur, ut ab hoc ordiar, prooemium exhibet summam Iovis maiestatem et Martis bellicam ferociam delinitam cantu citharae: non semper sublatum est supercilium Iovis, nec furit assidue Mars, sed explicant etiam frontem et sonorum iucunditate moventur. Habemus igitur pulcherrimam consociationem virtutum oppositarum, maiestatis ac severitatis regiae et bellicae irae cum musices amore et mitioribus sensibus, propositam in deorum Olympia vita tanquam summo exemplo. Quo consilio? Ut huc revocetur Hieronis regia virtus. Haec ipsa enim regis perfecti laus iam a v. 29 — 80 in Hierone ostenditur; modo teneas in hoc nexu musicam complecti omnino pacis artes et quicquid a vi alienum, mansuetum, liberale iustumque. Igitur Hiero, conditi a Gelone, a se aucti imperii possessor, haud dubie tum potentissimus erat inter Graecos tyrannus, habens, ut cum Pindaro loquar, *τιμὰν οἵαν οὔτις Ἑλλάνων δρέπει.* Hic, narrante Pindaro, quum alia multa bella gessit, tum novissime ad Curias fudit Etruscos; sed idem pacis artes amat, certamina ludicra et poetarum cantus, et quemadmodum rex deorum et violentus Mars in Olympo delectantur citharae sonis, sic, credo, nunc Hiero requiescit a bello et maiestatem regiam relaxat haec epinicia celebrans. Exin poeta a proximis pergit ad priora, atque eundem hunc et bellicosum et pacis instituta amantem animum regis declarat alio illustri exemplo. Condidit enim Hiero novam civitatem Aetnam Doricis institutis et legibus divina cum libertate; idem, victor ad Cumas, prius ad Himeram cum fratribus Carthaginienses fudit, et ferro etiam defendere novit quae legislator fundavit. Atque ita bis pulcherrime declaravit quod dixi. Vidimus laudem Hieronis; transimus ad o p p o s i t a m c a r m i n i s p a r t e m. Non poterat Hiero ab omni parte laudari; virtutibus coniuncta erant vitia gravia, quibus non blanditur Pindarus, sed in omnibus carminibus regi scriptis admonitiones posuit. Quid igitur nunc? Opponit in mythica parte diis Olympiis

sceleratos et Typhoeum, monstrum a mansuetis sensibus alienum, in quo indomita feritas est nihil nisi iras et perniciem evomens; quare poenas graves patitur. Cum his compone mihi exitum carminis, in quo Hieronem hortatur, ut bonus rex sit, ut iuste regnet et liberaliter, ut reputet quantopere laudetur Croesi *φιλόφρων ἀρετά*, odio sit Phalaridis *νηλὴς νόος*: nec potest esse dubium, quin uterque locus sibi respondeat; avocatur Hiero a sensibus et facinoribus, quorum deformitas et poenae mythice in sceleratis et Typhoeo grandiori imagine ob oculos ponuntur. Habes totum carmen; pulcherrimo artificio duae oppositae partes altera alteram illustrant, ad Hieronis autem animum movendum nihil potuit excogitari magnificentius. — Proposita haec mea explicatio carminis eo differt a Boeckhii sententia, quod hic, universam mythicam partem maxime cum admonitionibus in fine conferri iubens, non eo modo, quo ego, medium carmen cum prooemio coniungere videtur poetica, et quod consilium poetae ponit hoc: „Bellicis negotiis peractis poetica, Hiero, studia fove in recens condita urbe carminum illustranda splendore; quibus ubi per artes praeclaras et miti imperio materiam laudum praebueris, germanam consequeris gloriam." Et mox: „docte id effecit, ut doceret satis Hieroni bellicae gloriae partum esse, nunc pacis artes fovendas." Ego vero non omne bellum dissuaderi censeo, sed ea tantum bella et facinora, quae Typhoia mente fiant, ut ita dicam; nam Mars et fulmen Iovis in Olympo sunt, et quemadmodum non semper dormit fulmen et Martis ira, sed alio tempore etiam vim suam ostendit iterum et ostendere debet, sic in Hierone quoque non plane quiescere vult in posterum regiae maiestatis severitatem et bellicam fortitudinem, sed laudat, quod habeat, modo semper iniustitia et crudelitas absit, et leniores etiam virtutes pariter colantur, libertas civium servetur, pacis studia foveantur. Non opus pluribus; et ipsum Boeckhium meum revera a me non dissentire crediderim, etsi non omnia similiter dixit. Ceterum carmen cantatum est, notante Boeckhio, in convivio, quod certo liquet e prooemii ratione, et, ut mihi quidem videtur, Syracusis in aula regia, Boeckhius autem Aetnae cantatum statuit, de qua re dicendum erit ad v. 58.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Prooemium de cithara Apollinis et Musarum regiam maiestatem Iovis et Martis ferociam bellicam deliniente. Optime hic monitum inprimis a Boeckhio, frustra dubitantibus aliis, obversari poetae animo convivium deorum in Olympo, quale describit Homerus Il. I, 603 sq., ubi citharam modulatur Apollo, Musarum choro canente. Confer etiam alios choros divinos Nem. V, 23 seqq. Hesiod. Scut. Herc. 201. Praeterea add. Müller. Prolegom. Mytholog. p. 425. Similiter in Hieronis aula cum Boeckhio cogita inter convivium victoriale hunc hymnum cantatum et saltatum sonantibus instrumentis musicis. — V. 1. *χρυσέα*, Hesiod. Scut. Herc. 203. Callim. in Apoll. 32. al., ut pleraque omnia deorum aurea sunt. — V. 2. *σύνδικον κτέανον*. Quum intelligi nequeat quid h. l. patronus significet, *σύνδικον* passive accipiendum esse docuit Hermannus, sequente etiam Boeckhio, pr. instrumentum, in quo utrisque par et aequum ius est, instrumentum commune. Coll. *ἔνδικος* Pyth. V, 103. Verissime, sed quo sensu communis cithara? Quod Musae post Homerum etiam instrumenta musica tractant, alienum est ab hoc loco; epitheton igitur ad huius prooemii rationem revocandum. Nempe Pindarus de summa vi musices dicturus non *ψιλὴν κιθάρισιν* praedicat, sed quae cum poesi coniuncta sit; idque statim in fronte ingeniose significat. Cithara non solius Apollinis est, sed habent etiam Musae in ea ius; debet cithara, dum pulsatur Apollini, simul Musis inservire cantum earum comitando. — Ceterum post hos vocativos supple: te alloquor, te laudo, usu vulgatissimo, cf. Ol. IV, VIII init. Nem. III, 65. VIII init. Vid. Thiersch. Gr. p. 478. — *βάσις*, incessus saltantium, ut *βαίνειν*, *βαίνειν ἐν ῥυθμῷ*, *ἐμβαίνειν*, cf. Boeckh. h. l. et Spanh. ad Aristoph. Nub. 638 et 651. et ad Callim. Apoll. v. 12. — *ἀγλαΐας ἀρχά*, initium festivitatis cum Heynio et Boeckhio. Poeta more suo quod tum ipsum fiebat generalibus verbis exprimit. Loquente enim haec verba coryphaeo comissatio initium capiebat ab incessu chori, cantu chori et citharae postea accedente. Mire quidam vertunt: festivitatis princeps et regina; nam principem locum

citharae hic tribui, quis est quin videat? Ceterum ad ἀγλαΐας cf. Hesiod. Scut. Hercul. 272. — V. 3. ἀοιδοί generaliter qui canunt, sive mares sive feminae, ut in Olympo Musae. Omnino vox generis communis est (Soph. Oed. R. 36.). σάμασιν, quum tu sonis tuis signum das. Exstat adhuc melodia Pindarica primorum huius carminis versuum, doctissime explicata a Boeckhio de Metr. Pind. p. 266. Ibi inde ab hoc ipso versu tertio incipit citharae et chori cantus. — V. 4. ἐλελιζομένα, cf. Ol. IX, 13. — ἀμβολὰς τεύχειν est ἀναβάλλεσθαι, incipere, ordiri, quod de cantu est Hom. Od. I, 155. VIII, 266. Ut saepe, cf. Iacobs. ad Philostr. p. 385. Suidas ἀναβολάς explicat etiam τὰς ἀρχὰς τῶν ᾀσμάτων, vid. Boeckh. — ἁγησιχόρων, quibus obtemperat chori saltatio et cantus. — προοίμια vero non sunt h. l. primi illi soni carmen antecedentes, quibus citharoedi cantum praeparabant, cf. Ast. ad Plat. d. Legg. IV, p. 722, d. Nam quum hoc loco de maxima vi musices agatur, quomodo haec in praeludio isto insit? Neque vero cum Boeckhio nunc hymnos dixerim esse προοίμια (de qua significatione vid. Wyttenb. ad Phaedon. p. 124.), quum cithara non possit ἀναβάλλεσθαι alia prooemia quam musica. Et incommode hymni hic dicerentur ἁγησίχοροι, ubi cithara omnia regit. Verum προοίμια sunt omnino exordia sive in poesi sive in musica, veluti quum in his Pindari carminibus omnibus exordium poeticum videamus, huic quod respondet in musica est musicum sonorum exordium. Est autem exordium splendida pars cantus, quam eximie ornabant in poesi pariter ac musica. Iam verte totum locum: „Auscultat tibi incessus saltantium et obtemperant cantores signis tuis, quum s. simulac choros regentia exordia cantuum tuorum suscitas et ordiris.“ Obtemperat quidem chorus etiam reliquo cantui citharae, ut sponte patet, sed ab exordio initium fit, quare hoc suaviter prae ceteris nominatur. — V. 5. A minoribus transitur ad maiora. Cithara vi sua regit saltationem et cantum; attingit porro ceteros praesentes omnes, ipsum Iovem atque adeo Martem. αἰχματάν, pro adiectivo, ut Nem. IX, 37., nunc significat cuspidatum, cum ignis acutus sit. Designatur telum Iovis, quo tanquam hasta traiicit hostes suos. Alludit autem ad Hieronis exercituum hastas, quum rex bellator

in hoc carmine tecte cum Iove fulminante compararetur. — κεραυνὸν ἀενάου πυρός, cf. ad Ol. II, 72. — V. 6. αἰετός in sceptro Iovis sedens fictus esse antiquitus videtur, atque ita expressit Phidias in sceptro Iovis Olympii. Idem mos in mortalium regum sceptris observatus est, cf. Schol. Aristoph. Av. 510, 15., ut nunc haud dubie expressa erat aquila in Hieronis sceptro. Cet. vid. Boeckh. h. l. Porro comparant Anacreontis columbam in barbito dormientem, IX, 33., sed ibi describitur avis fidelis nullo tempore discedens a domino. — πτέρυγα χαλάξαις, memorat Tafel aquilas numorum cum alis pendulis Iovem placatum significantes. Conf. inprimis Philostr. Imagg. c. 6, ὁ μὲν (αἰετὸς) ὁποῖος ἄμφω τὼ πτέρυγε ταλαντεύσας, et totum illum locum de vi musicae Orphei. — V. 7. ἀρχὸς οἰωνῶν, ut constat. — V. 8. ἀγκύλῳ, propter rostrum incurvum, ut Hom. Odyss. I, 538. αἰετὸς ἀγκυλοχείλης, notante Boeckhio. — V. 9. ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ, suspendit, librat tergum leniter motum. Notat enim Boeckhius verissime obversari poetae animo motum avium dormientium, quae, ut aquila sceptro, alicui ligno insidentes dum dorsum librant, plumas molliter movent. Poeta, ut vim musices describeret, totum locum et omnia verba huic consilio accommodavit; quare non satis habet consopitam dicere aquilam, sed ipsam etiam dormientem dulce et delinitam in somno exhibet. De aliis multis significationibus vocis ὑγρός vide praeter Boeckhium etiam Tafel. et Karsten. ad h. l. — V. 10. ῥιπαῖσι, vibrationibus sonorum; cf. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 126. — κατασχόμενος, passive, Matth. Gr. p. 935. Rost. Gr. p. 436. — De toto loco quid addendum sit, ipse vides; Iuppiter non dormit, at maiestatis regiae severitatem relaxat: atque hoc significant insignia potentiae regiae delinita. — καὶ γάρ, nam etiam Mars consopitur. — ἀκμάν, aciem horrentem hastarum. Aciem verto, quoniam hasta veram aciem habet; at ποδῶν, ἰσχύος ἀκμή, simil., vis est. — V. 12. κῆλα, tela citharae; cf. Ol. I, 112. II, 83. — ἀμφὶ σοφίᾳ, propter, per (Pyth. VIII, 34.) artem coniunctam Apollinis et Musarum, redeunte poeta in fine ad initialem sententiam. — Post haec de universo prooemio nonnulla addam. Laudatur, ut vides, musicae vis mitigatoria, quae e Graecorum sensu maxime in citharae Apollineae sonis

inest, non in tibiis affectum moventibus, cf. Müller. Dor. I. p. 343. Neque tamen tibiae ab huius carminis cantu abfuerunt, quae usitatae essent in epiniciis; sed praevalebant citharae, quemadmodum in universo hoc genere poesios, ut character musices tranquillus esset. Ipsum vero prooemium videtur ad solas citharas cantatum, ad imitationem Olympii chori, tibiae autem in sequentibus demum accesserunt; nam sequens quidem locus de Typhone tibias necessario postulat, fortasse solas; verisimile est diversitatem horum locorum etiam in musica graviter expressum esse. De sententia autem poetae haec tene: Quae Iuppiter non amat, ea terrentur cantu Musarum, ut statim videbimus; quum enim implacabilem feritatem habeant, aversantur musicam ut naturae suae contrariam, quemadmodum, ut cum Boeckhio loquar, bubones et vespertiliones lucem; at deorum Olympiorum et bonorum omnium animantium proprium est deliniri musica. Quorsum hoc dicit? Ut fulmen et sceptrum Iovis non quiescent in posterum, sic etiam Mars bellabit iterum, credo, sed non implacabiliter saevit, ut Typho. Spectatur igitur potius coniunctio potentiae, severitatis, fortitudinis cum lenitate, clementia, benignitate, iustitia, ceteris mitioribus sensibus, et proponitur regis perfecti exemplum, in quo utrumque genus inest. Verum quidem extolli maxime leniorum sensuum laudem, sed hoc necessario fieri debuit, quum vis, severitas, bellorum amor plerumque per se insint in regibus atque etiam in Hierone abunde inessent, ut magis clementia et pacis artes commendatione egerent. Tamen perfectum regis exemplum manifesto compositum est ex utroque genere virtutis, atque hoc est argumentum huius carminis vere poeticum.

V. 13 — 28. De improbis animantibus et de Typhone musicam aversantibus. — V. 13. *ἀτύζονται*, plurali numero, cf. Ol. II, 84. — V. 14. *γᾶν τε καὶ πόντον*, quum non homines tantum, sed etiam belluas immanes intelligat. Sunt enim etiam *θῆρες ἀίδρόδικαι*, cf. Nem. I, 63. — *ἀμαιμάκετον*, cf. d. voce ad Hom. Il. VI, 179. interprett. Reisig. ad Oed. Colon. 125. — V. 15. *Ταρτάρῳ*, de feminino cf. Boeckh. Nott. critt. et Expl. Tartarus est quod sub terra. Virgil. Aen. IV, 445. — De Typhone nota omnia; vid. Boeckh. h. l. et Tafel. — V. 17. *Κιλίκιον ἄντρον*, Hom. Il. II, 780. *πολυώ-*

νυμον, πολυθρύλητον. — V. 18. ταὶ ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι, Boeckhio optime explicante, sunt colles et iuga per tractum litoralem supra Cumas versus mediterraneam partem, regio tota ignibus subterraneis aestuans. Nam ὑπὲρ Κύμας sunt quae Cumis imminent altius posita versus mediterranea, de qua significatione praepositionis ὑπέρ vid. Boeckh. h. l. et nos iterum ad Nem. VII, 65. ἁλιερκέες non ut in proximo litore, sed quia non longe abest mare, ut prospicientibus ex alto videantur mari septi hi colles. Typhoeus iacet sub his iugis et sub Aetna, per longum spatium porrectum monstrum a Sicilia usque ad illa loca Italiae, ubi Hiero nuper vicit. — V. 19. κίων οὐρανία, ut Atlas, cf. ad Aesch. Prometh. 357. Blmfld. — V. 20. χιόνος ὀξείας, gelu acutum Horat. Od. I, 9, 3. et acris hiems I, 4, 1. — τιθήνα, confert Tafel. χιονοτρόφον Κιθαιρῶνα Eurip. Phoeniss. 814. et χιονοθρέμμονας σκοπιάς Eurip. Hel. 1314. Ac notum τρέφειν pr. ἔχειν, cf. Monck. ad Eurip. Hippol. 369, et ad Athen. VII, c. 18. Casaub. — πάνετες, etiam aestate, vid. Gedikium, Boeckhium, Tafelium. — V. 21. ἐρεύγονται μέν, oppositum est sequentibus dictis de Typhone sic: Unde eiiciuntur quidem flammae, Typhoeus autem exire non potest, sed inclusus tenetur. — ἁγνόταται Boeckhio sunt castae, ut sulphur in lustrationibus operam praestans. Similiter Heynius. ἁγνόν quum proprie ad limpidam naturam ignis pertineat, mihi purissimos ignes pro lucidissimis et ardentissimis dicere videtur, fere ut Gedikio et Vossio. Gurlittus vertit sacros, religiosum verbi sensum postulans, quem ego alienum duco ab improbissimi monstri furiosis eiectionibus. — V. 22 sqq. Dixerat generaliter, nunc singulatim diurnam et nocturnam eruptionem describit. Effusiones interdiu fundunt flumen fumi ardens. Obstante enim solis luce torrentes ignei (Lava) de monte decurrentes nonnisi fumo, fluminis instar per solum currente, manifestantur. Noctu vero, pergit, saxa rubicunda flamma in profundum diiicit aequor cum fragore. Etenim praeter torrentes illos, plerumque per laterum fissuras prorumpentes, passim etiam saxa eiiciuntur ignita e cratere montis, sive noctu sive interdiu; ac noctu quidem lucentia per tenebras flammis e cratere surgentibus propelli videntur. Quo quidem spectaculo quum nihil horribilius sit,

optime hac re utitur in nocturna eruptione describenda, licet etiam nocturnum flumen magnificam speciem praebeat. — V. 24. πόντου πλάκα vid. Iacobs. Animadverss. ad Anth. Gr. Vol. VI. p. 180. et Tafel ad h. l. — σὺν πατάγῳ eximie in fine collocatum, ut Virg. Georg. I, 327. cum sonitu. — Ceterum ad universum locum Boeckh. conferes et Tafel. Et vid. Virg. Aen. 3, 570, ibique Cerda et Heyn. Exc. 15. Gell. N. Att. 17, 10. — V. 25. Ἁφαίστοιο κρουνούς de magnis ignibus. — ἑρπετόν, quodvis animal pedibus incedens, nunc centiceps monstrum et θηρίον Typhoeus. Ceterum aberrat hic Passovii lexicon. — V. 27. μελαμφύλλοις, umbrosis densitate silvarum, ut monent interprett. cf. Hermann. et Doederl. ad Sophocl. Oed. Col. 483. Inter vertices et solum vinctus iacet, ἐνδέδεται. Sensum loci recte explicant sic: Mirabile visu audituque, ut hoc monstrum sub Aetna vinctum laboret et luctetur. Etsi enim ipsum Typhoeum nemo viderat, tamen, quum crederetur ibi iacere, qui eruptiones montis spectabant videbant etiam et videbantur sibi videre, ut vinctus ibi iaceret et stimulante tergum aspero solo furens frustra tollere se conaretur flammasque et saxa eiiceret.

V. 29 — 80. Laudes Hieronis. Accedimus ad mediam carminis partem, ad cuius rationem maxime attendere debet interpres. Dixi supra proponi a poeta in hoc carmine regis perfecti exemplum, constans ex oppositis virtutibus; quae res si vera est, hic locus, laudes Hieronis continens, ita comparatus esse debet, ut hanc oppositarum virtutum coniunctionem in rege videamus. Atque ita est; constat locus quattuor partibus, quarum binae coniungendae sunt, ut in Introductione docui. Atque ita perspicitur mira alioquin futura adornatio haec, quod bis de pacis rebus, bis de bellis dicit separatim. In quo etiam illud notabis, quum in principio et in fine carminis mitiores sensus magis extollantur, in hoc loco proelia luculentius laudari, propterea quod perfecti regis virtus, ut supra significavi, pariter ex utroque genere constat. Igitur de sententia primaria dubitari non posse videtur; dicendum vero pluribus de forma loci, quae primo adspectu decipere potest interpretem. Etenim quid est, quod non apertius directa oratione dixit: Tu, Hiero, praeclarus rex es, ipsi Iovi comparandus, pacis artes et bella pariter amans; nam ludicras coronas reportas et

proeliis hostes fundis seqq. Loquutus esset ita clarius Pindarus; num melius, vehementer dubito. Veteres certe intolerabilem dixissent poetam, qui tam invenuste et indecore laudaret, quique Olympum et deorum summum regem Iovem non tecte compararet, sed palam effatus quae sentiri, non audiri debebant. Perspicies nunc iudicium Pindari, qui ita totum hunc locum tractavit, ut poneret quidem ea omnia, quibus laus Hieronis constare debebat, singulis vero partibus eam tractationem adhiberet, quae iis maxime conveniret. Primum igitur quum ludicra victoria Hieronis laudanda esset, facit hoc, sed ita ut Aetnae salutem et florem precetur, cui haec victoria prima augurium est aliorum decorum et carminum. Deinde fortitudo bellica Hieronis laudari debebat; facit etiam hoc, sed ita, ut, quum aegrotaret Hiero, animum eius proeliorum et facinorum magnorum memoria exhilarari velit. Atque ita ex duobus locis oppositis componitur prima laudis regiae declaratio. Post haec de civitate Aetnae recens condita dicendum erat; facit hoc ita, ut a filio Dinomene ordiatur et hunc laudet tanquam regem novae civitatis a patre constitutae. Denique ad preces pro urbis salute rediens, sic ad celeberrimam pugnam Himerensem venit, qua absolvi debebat hic locus. Atque haec est altera eiusdem laudis regiae declaratio. Igitur in singulis partibus alia tractatione adhibita fit, ut primo adspectu totidem diversos locos videre credas, nonnisi externo vinculo coniunctos, quanquam vel sic communem omnibus colorem poeta dedit, ad formam precationis pro Aetna et Hierone pleraque revocans. Ornatum vero nunc hic locus habet talem, qualem pauci. Accedimus ad singula. — V. 29 sqq. Post descriptas terribiles Typhoei iras poenasque eximio transitu ad Iovis venerationem conversus pergit: Utinam tibi placeant verba et preces, quas pro urbis Aetnae felicitate fundo. Sed hoc ita dicit: Utinam tibi placeam (cf. ad *ἁνδάνειν* Ol. III, 1.), qui hunc montem gubernas, cuius cognominem vicinam urbem Hiero illustravit, h. e. utinam a te exaudiar, qui, quum hunc montem gubernes, etiam urbem cognominem tibi commendatam habere debes. *εἴη*, Pyth. II, 83, 96. Fragm. nr. 133. Fortior est haec formula quam simplex verbum. — V. 30. *μέτωπον*, ut summus Siciliae mons. Metaphorae a corpore humano desumptae innumerae tales, *πόδες*, *ἄγκεα*, *ἀγκάλαι*, *νῶτα*, *στέρνον*, *δειραί*, *ὀφρύες*,

κροταφοί, κάρηνον, κορυφή. cf. Klotz ad Tyrt. p. 96. — De constructione vocis ἐπώνυμος cum genitivo et dativo cf. editorem Lips. Schol. Apoll. Rhod. p. 168. — V. 32. Πυθιάδος ἐν δρόμῳ, cf. Ol. I, 94. — ἀνέειπε, proprium de praeconibus, cf. Schaefer. Gregor. p. 494. — ὑπέρ, nomine et iussu Hieronis. — V. 33. structura: ναυσιφορήτοις δ' ἀνδράσι πρῶτα χάρις (primum et maximum gaudium), ἀρχομένοις πομπαῖον οὖρον ἐς πλόον ἐλθεῖν. In quo ἐλθεῖν est pr. τὸ ἐλθεῖν, quum venit, nisi quod articulus melius abest, cf. Rost Gr. p. 491. — ἐοικότα γὰρ seqq. Probabile enim fore, ut finis etiam reditus melior contingat. Ad constructionem aoristi pr. futuro vid. Pyth. IV, 244. Denique τελευτὰ νόστου optime dictum, cf. ad Ol. II, 17. Ceterum praemittit comparationem (v. 33 — 35), unde nervosior exsistit conclusio, quam si inverso ordine haec collocasset. — ὁ δὲ λόγος seqq. Haec ratio in praesenti victoriae eventu iustam exspectationem movet. — λόγος, dictum, sententia, ut Ol. II, 22. (dieser wahre Satz, diese Wahrheit.) — V. 38. σὺν εὐφώνοις θαλίαις, inter comissationes, qualis haec nunc. — V. 39 sq. Cumulat cognomina honoris causa et ad potentiam dei significandam, ut solent in invocationibus. Λύκιε, nobilissimum templum constat Patarae fuisse, vid. Müller. Dor. I. p. 217. cf. Horat. III, 4, 61 sqq., qui locus nostro simillimus. Coniunguntur autem Lycia et Delos, notante ibi etiam Cel. Mitscherlichio, quoniam deus hinc inde commeare credebatur. — νόῳ τιθέμεν, Homericum ἐν φρεσὶ θέσθαι. De activo comparari potest: ζυγὸν αὐχένι θέντες, collo suo imponentes, in Epigr. ap. Demosth. d. Coron. p. 322. Et ap. Pindarum κόμας ἀναδήσαντες Pyth. X, 40., pro quo Nem. XI, 28. est ἀναδησάμενος κόμαν. Adde inprimis Indices ad Sophoclem, et vid. Matth. Gr. pag. 935. — ταῦτα — εὔανδρόν τε χώραν, memineris prima hac victoria omen a te felix datum esse aliorum decorum (h. e. ταῦτα), et viris egregiis regionem florere ideoque dignam coronis esse. — V. 41. ἐκ θεῶν γὰρ sqq., a diis enim conatuum et moliminum perficiendorum rationes omnes sunt virtutibus hominum, s. quicquid perficiunt humanae virtutes, diis debetur. μαχαναί rerum perficiendarum rationes et subsidia (Wirksamkeit und Vermögen, etwas zu vollenden). — V. 42. σοφοί,

poetae, *περίγλωσσοι*, eloquentes, quod propter Siculos addit, monente Boeckhio, qui e Cic. Brut. c. 12. ostendit iam sub tyrannis accurate et de scripto dictum Syracusis, etsi non via nec arte, immo Corax sub Hierone iam eloquentia valuisse videtur. Add. Müller. Dor. II. p. 159. — Absolvimus primam loci partem, in qua, ut supra dixi, omnia ad Aetnae incolumitatem et laudem futuram revocata sunt, ut par erat in victoria prima; simul tamen Hieronis laus ludicra inest, immo ab hac victoria omnis futurae gloriae omen urbi ducitur. Accedit hinc ad bellicam virtutem Hieronis et nunc quidem omnia ad Hieronis personam revocantur, ut antea omnia ad Aetnam. — *ἄνδρα*, quum in versibus proximis Apollinem et deos laudasset. Sensus: „Hieronem vero laudaturus spero me non quasi extra certaminis spatium iaculum vibraturum, at longo iactu superaturum adversarios," quibus verbis praeclaram laudem nuntiat, ut solet etiam alias excitare attentionem ad ea, quae dicturus est, veluti statim Pyth. II, 62. Et cf. Nem. VI, 28. — *χαλκοπάραον*, ut Nem. VII, 105. cf. Klotz ad Tyrt. p. 97. — *ἔξω ἀγῶνος* idem fere, quod *παρὰ σκοπόν* Ol. XIII, 90., h. e. aliena dicere. Comparat Karsten. Lucian. Gymnas. c. 21. *καίτοι ἔξω τοῦ ἀγῶνος ἴσως ταῦτα*, et ibid. c. 19. *ἐξαγώνια.* adde d. Imagg. c. 18. Sed proprie haec significant quae extra causam sunt, *τοὺς ἔξωθεν λόγους* dicit Demosth. d. Coron. p. 228. — V. 45. *ἀμεύσασθαι*, praeterire, superare, cum Boeckhio ceterisque omnibus interpretor; cf. Pyth. VI fin. Hermannus: longo iactu declinare adversarios, facere, ut luctam detrectent. Ceterum aoristum in hac constructione modo vidimus v. 35. — V. 46. *εἰ γάρ*, utinam, Herm. hymn. in Apoll. v. 51. — *ὁ πᾶς χρόνος*, omne tempus futurum, Ol. VI, 56. Nem. I, 70. Saepius Pindarus *χρόνον* memorat pro vi divina. Ol. VI, 97. VIII, 28. Nem. IV, 43. Nulla tamen personificatio, cf. Ol. II, 17. — *εὐθύνοι*, dirigat ad eum, *ἐπ' αὐτόν* (ut Nem. VI, 29, *εὔθυν' ἐπὶ τοῦτον ἐπέων οὖρον*) *οὕτω*, sic, ut nunc. Conf. Ol. II, 49, *ἐς ἀδελφεὸν χάριτες ἄνθεα τεθρίππων ἄγαγον.* Obiter adde alias loquutiones, ut *ὄλβος ἐπιῤῥεῖν* dicitur, de quo vid. Mitscherl. ad Horat. I, 17, 15. Porro *τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταῤῥεῖ* Bion. I, 55. coll. lat. Horat. I, 28, 28. defluere ab Iove. — *ὄλβον μὲν* —

καμάτων δ' —, prosperum rerum successum cum divitiis, dolorum vero corporis oblivionem det. Calculo enim laborabat Hiero, cf. Schol. h. l. et ad Pyth. III. Vid. Boeckh. Errat Heynius hoc negans, quod sequentibus satis clare indicatur. — V. 47. *ἦ κεν ἀμνάσειεν* seqq. „Sine dubio admonebit eum tunc tempus qualia proelia ante forti et infracto animo sustinuerit." Vides bellorum memoratione suaviter moneri regem, ut hos etiam labores *τλάμονι ψυχᾷ* ferat, et quantum fieri possit obliviscatur maiorum et illustrium laborum memoria. — *εὑρίσκοντο.* Hiero cum fratribus, inprimis Gelone, qui fundaverat imperium, probante nunc etiam Boeckhio in Dissert. d. Crisi Pindar. §. 42. Vix poterat Pindarus dicere aliter, quum non ultima tantum bella intelligi vellet a rege gesta Hierone, sed priora etiam, quibus interfuerat vivente Gelone, qualis Himerensis pugna. Aliae sunt mutationes numeri, quae exemplis illustrari debent, ut Nem. VII, 37. Ceterum de *εὑρίσκεσθαι* cf. Pyth. III, 111. et activum Ol. VII, 89. — *τιμάν*, imperium et honorem ex imperio, recte monente Boeckhio, plane ut Pyth. II, 59. Ac summam esse Syracusanorum principum et nunc Hieronis regiam potentiam et dignitatem necessario dici debebat in hoc carmine propter comparationem cum Iove Olympio supra significatam. — V. 50. *ἀγέρωχον* Ol. XI, 82. — *Νῦν γε μὲν* seqq. Nunc tamen luculentissime probavit patientiam et infractum animum, ut Philocteta, aegrotus in bellum profectus; necessitate enim coactus etiam superbior aliquis ab eo auxilium petiit. Similiter Lemno arcessiverunt heroes Philoctetam. Hieronem vero quod attinet, perspicue docet Boeckhius Etruscum bellum intelligi, hoc ipso anno gestum a Graecis et Hierone, quo Etrusci ad Cumas devicti. — *δίκαν ἐφέπων*, rationem, exemplum sequutus. — Verba *καί τις ἐὼν μεγαλάνωρ* de Cumanis intelligenda demonstrat Boeckhius, qui legatos ad Hieronem miserant, sive nunc ipsa urbs significetur sive summus eius magistratus. Habet vero loquutio proverbii indolem, ut commode etiam de urbe dici potuerit. — *μιν φίλον ἔσανεν*, palpavit eum, ut amicus esset; de construct. monet Karsten. Exempla vid. ap. Stallb. ad Plat. Protagoram p. 76. — Ceterum Diodorus narrat Hieronem hoc bellum per duces suos administrasse; sed perit omnis vis loci,

nisi ipse interfuit, et habebimus inanes laudes seriorum poetarum. — V. 52. φαντὶ δέ, explicatur nunc comparatio. — μεταμείβοντας, translaturos, repetituros e Lemno; cf. Boeckh. Nott. critt. Ceterum fabula nota, cf. Sophocl. Philoctetam. Hermanni coniecturam μέτα λύσοντας Tafel dicit incommodam esse, quum Graeci, ut se miseria laborarent, venerint, non ut Philoctetam. Hermannus voluit, ut Lemno clausum educerent. Vel sic tamen inferri aliquid videtur, quod alienum. — τοξόταν additum, notante Tafelio, quum propter sagittas venirent. — V. 54. magnifica haec laus etiam Hieronis causa addita, cuius similis gloria in Etrusco bello. — V. 56. Sic vero Hieroni deus adsit in posterum, ut olim Philoctetae affuit, uti Boeckhius, Gurlittus, Heynius ceperunt, suadente oppositione nominum. — ὀρθωτήρ, fortunae propitius auctor. — V. 57. καιρόν, opportunitatem, usum, fructum, Ol. II, 54. — Absolvimus nunc etiam hunc locum, in quo quum fortitudo Hieronis bellica laudanda esset, ita hoc vides a poeta institutum, ut, quum aegrotaret rex, ad consolationem eius omnia revocaret. — Exin a v. 58. sequitur locus in hac carminis parte tertius de civitate Aetnae recens ab Hierone condita. Hic quum etiam Dinomenes honoris causa nominandus esset novae urbis rex, ita totum hunc locum tractavit, ut ad huius laudem omnia revocaret, quasi nonnisi propter hunc de urbe ei credita diceret. — V. 58. „Musa, canamus nunc etiam apud Dinomenem laudem huius victoriae curulis." Quum de vera profectione cogitari non possit, sensus erit: Mente et cogitatione eamus nunc etiam Aetnam ad Dinomenis domum; unde ego concludo, quod in Introductione significatum, carmen Syracusis cantatum in aula Hieronis, Dinomenem autem non affuisse, quippe Aetnae gubernatione occupatum. Unde nunc etiam ad hunc tendere debent Musae. Boeckhius vero hymnum nostrum Aetnae cantatum statuit apud Dinomenem, ita interpretans καί: „Etsi apud Dinomenem versamur, tamen non inconvenienter Hieronis celebramus victoriam, h. e. quidni apud Dinomenem Hieronis victoriam canamus." Mea tamen explicatio magis cum verbis convenire videtur. Nec obiici potest multas Aetnae laudes inesse, quae melius in ipsa urbe audiantur: nam primarium carminis argumentum vidimus ipsius Hieronis laudem

esse. Praeterea potuit carmen alio tempore Aetnae cani in festo Iovis Aetnaei, ex instituto Hieronis; de quo vid. ad Ol. VI, 96. — V. 59. ποινάν, praemium (sensu bono, ut Nem. I, 70, nunc intelligit), laudem, κελαδῆσαι, cf. Ol. X, 14. κόσμον κελαδεῖν. Mire hic aberravit Karsten. — χάρμα δ᾽ οὐκ ἀλλότριον, gaudium non alienum ab eo, non incognitum ei, sed intimum. Ceterum sensus filii probant eius donaria Olympica, Pausan. VI, 12. notante Tafelio. — V. 60. ἔπειτα, quum haec ita sint. — Αἴτνας βασιλεῖ, non Iovi, ut quidam voluerunt, sed Dinomeni, ut recte Boeckh. cum aliis; et φίλιος ὕμνος est ipse locus sequens, qui civitatis praeclara instituta celebrando regem honorat et celebrat ei praefectum. Dicitur igitur ὕμνος magnificentius omnino pr. laude, velut Pyth. VIII, 57. — V. 61. „Cui urbem illam Hiero secundum Hyllicae normae leges condidit.“ τῷ, h. e. ut hic ibi regnaret. Postea tamen Chromius, affinis regiae genti, ad urbem gubernandam vocatus est, cf. ad Nem. IX. Quum tres tribus Doricae essent, Ὑλλεῖς, et ab Aegimii filiis Pamphylo et Dyma oriundi Πάμφυλοι et Δυμᾶνες siv. Δυμανάται, Dorienses Ἡρακλέος ἔκγονοι Αἰγιμίου τε dicuntur Pyth. V, 68., sive Ὕλλου τε καὶ Αἰγιμίου στρατός Fragm. Isthm. nr. 4. Ita fit, ut etiam leges et instituta Dorica eodem iure vel Hylli vel Aegimii dici possint, significentque idem Αἰγιμίου τεθμοί et Ὑλλὶς στάθμα. Qualia haec fuerint, hodie satis constat; vid. praeter Boeckhii Explicationes inprimis Müller. Histor. Doriens. Tom. II. et Hoeckii Hist. Cretae. — De v. στάθμη cf. Boissonad. ad Aristaen. p. 602 seqq. — θεοδμάτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ, praeclara cum libertate, ut Isthm. V, 10, θεοδμάτους ἀρετάς praeclaras, eximias. Adde similes voces ad Ol. II, 36. Libertatem vero intellige non effrenem, sed qualis est in Doricis civitatibus. — ἔκτισσε, κτίστωρ Αἴτνας Fragm. Hyporchem. nr. 1. — Erant novi incolae e Gelois, Megarensibus, Syracusanis, Peloponnesiis collecti, et Peloponnesiorum quidem ut Syracusanorum quinque millia; cf. Schol. et Diod. XI, 49. cum Boeckhio; quae quidem omnes civitates quum Dorica instituta haberent, haec etiam Aetnae ab Hierone instituta sunt. Pindarus tamen inprimis propter Peloponnesios hoc factum dicit; pergit enim v. 62 seqq. „Volunt autem Pamphyli et Heraclidarum posteri sub Taygeto habitantes semper

manere in Aegimii institutis Doricis,“ h. e. sunt enim Doriensium qui sub Taygeto habitant, veterum institutorum tenacissimi, quare etiam Aetnam profecti noluerunt aliis legibus vivere. Videmus hinc, quod etiam ab aliis observatum, Spartanam rempublicam fuisse Doricarum omnium maxime genuinam, quum hi prae ceteris prisca instituta servarent. Sed cur nonnisi Pamphylos et Herculis posteros nominat, quum tres tribus essent, eaeque haud dubie etiam Aetnae institutae, monente Boeckhio? Quum Pindarus ubique accurate loqui soleat, suspicor Peloponnesios, qui Aetnam migraverant, ex his maxime duabus tribubus fuisse, quod casu fieri potuit. Denique videntur hic coloni non omnes, at pars tamen ex Amyclaea regione venisse, licet Müllerus noster Hist. Dor. II. p. 48. Spartanos non censeat habitasse extra Spartam in proximis oppidis. Sed Pindarus, qui migrationem Doricam per se describere noluit, quorsum addit v. 65. seqq.: Ceperunt Amyclas e Pindo profecti, in vicinia Tyndaridarum, nisi honoris causa sedem nobiliorem horum colonorum indicare voluit? Sic Amyclas nominat, licet non omnia quinque millia inde venerint. Ceterum probabiliter censet Müller. Hist. Orchom. p. 319., Dor. I. p. 91. seqq., non Spartam, sed Amyclas principem olim Pelopidarum sedem et caput regni fuisse; licet vero postea parvae essent Amyclae et pristinus splendor obliteratus, nihilominus multarum rerum memoria clarae manebant in fabulis. — V. 66. *Πινδόθεν ὀρνύμενοι*, contrahente Pindaro has migrationes. Vid. Müller. Dor. I. — *Τυνδαριδᾶν γείτονες*, qui apud Pindarum in vicinia Amyclarum Therapnae habitant et sepulti sunt, monente etiam Boeckhio; cf. Pyth. XI fin. Nem. X, 56. Isthm. 1, 31. Etiam Aetnam suspicatur Boeckhius eorum cultum translatum. Vides autem simul fortitudinem horum Doriensium significari. — *ἄνθησεν* Nem. IX, 39. — V. 67 sq. Sensus: Utinam semper eadem prospera fortuna civibus et regibus maneat. In constructione loci Hermannum sequor, qui explicat: *αἶσα διακρίνει λόγον ἀνθρώπων*, fortuna arbitra est sermonibus hominum, falsos damnat, veros comprobat. Vult igitur poeta hoc: Utinam semper tali fortuna praeclara confirmentur sermones hominum, ut nunc meas laudes res ipsa confirmat. Nam laudes quidem fortasse non defuturae erant urbi, quae tam cara esset Hieroni, quam praedicabant

qui regi placere volebant; quare illud Pindarus precatur, ut semper etiam confirmentur sermones hominum re ipsa. Boeckhius ita vertit: Precor verus hominum sermo semper talem fortunam Aetnae adiudicet et decernat. — Amenas, de quo Cluv. Sic. ant. p. 142, fluvius Aetnaeus, Amenaus et Amenanus dictus. — διακρίνειν, cf. Ol. XIII, 114. Ibidem lectus est Ζεὺς τέλειος, Iuppiter perfector. — V. 69 seqq. Felicitatis, quam optat, duo fundamenta sunt, sine quibus ea cogitari non potest, si domi concordia sit et securitas foris ab hostibus. Utrumque similiter coniunctum Nem. IX, 28 seqq. Quare nunc dicens de his rebus, sic ad bellicas laudes Hieronis orationem reducit, quae totum hunc locum absolvere debent, ut supra demonstratum est. — σύν τοι τίν, tua enim ope seqq. — ἁγητὴρ ἀνὴρ (αὐτὸς) υἱῷ τ' ἐπιτελλόμενος. — σύμφωνον ἐφ' ἁσυχίαν, qua ante omnia opus, quum e diversis regionibus convenissent hi cives. — γεραίρων, non opprimens, sed benigne habens mitique imperio regens. Vox plerumque de maiore dicta, qui colit minorem, ut rex populum. — V. 71. λίσσομαι. Deinde precor securitatem ab hostibus. De asyndeto in precibus cf. Excurs. Mox ἅμερον κατ' οἶκον ἔχῃ, h. e. κατέχῃ, maneat in domo pacata. κατέχειν est constanter tenere nec relinquere. — V. 72. Τυρσανῶν ἀλαλατός, h. e. Τυρσανοὶ ἀλαλάζοντες, exercitus, ut monet Boeckh., quare nulla hic est personificatio, quam proprie dicimus. — ἰδών, quum viderit tristem cladem navibus illatam; audacius, sed nervose iunctum cum ἀλαλητός. — V. 73. οἷα, necessario cum Boeckhio ad hanc ipsam cladem referendum, quam poeta ornatius explicat. Quare Συρακοσίων ἀρχός Hiero est. Πάθον, Etrusci et Carthaginienses, postulante grammatica; quum versu antecedente de utrisque dictum sit, nunc non licet Carthaginienses excludere, ut bene sensit Tafel., licet Diod. lib. XI, 51. Etruscos tantum commemoret. Verius Scholiastes Pindari ad h. l. Et gravissimum bellum fuisse ipsa poetae verba satis declarant. — V. 74. ἁλικίαν, i. e. τοὺς ἐν ἡλικίᾳ, qui in aetate militari sunt. — V. 75. Ἑλλάδα, Graecam terram, τὴν ἐν Ἰταλίᾳ, μεγάλην Ἑλλάδα. De δουλίας sensu politico, non confundendae cum ἀνδραποδισμῷ, vid. Boeckh. Oeconom. Athen. I. p. 439. Perperam vero Tafelius haec ad Himerensem pugnam trahit vertens: ille, qui Graeciam

liberavit; sed hoc ita non est Graecum. — ἀρέομαι πὰρ μὲν Σαλαμῖνος sqq. Iuncturam fieri puta per gradationem. Dixerat eximiam esse Hieronis ad Cumas victoriam; pergit: Himerensis vero pugna principibus Graeciae proeliis par est. Occultatur haec antithesis asyndeto, sed asyndeton magnificum est in tali oppositione. Verba: ἀρέομαι — μισθόν verto cum Gurlitto: Tollam ad Salaminem Atheniensium laudem iis mercedem, ut statim dicit ὕμνον τελέσαις, persolvens hymnum, quo sensu idem legitur Pyth. II, 13. De voce μισθός cf. Nem. VII, 63. et Epigr. ap. Aeschin. in Ctesiph. P. 445. Bekk. Honesta vox de honore illustribus meritis habito. Pindarus saepe sic ἄποινα usurpat. παρὰ Σαλαμῖνος non verto: e Salamine tollam, sed ad Salaminem, ut pugnata est pugna. Παρά c. genit. Pyth. X, 62. cf. Matth. Gr. p. 1172. Nec ἀρεόμαι dicit vere profecturus eo, sed ut poeta mente, quemadmodum Ol. I, 8. Olympia suscipitur hymnus, qui Hieroni canitur. — Porro cum Hermanno me retinere dixi ἐρέω, librorum lectionem, qui monet δέ v. 79. ad oppositionem locorum adhibitum. Quare verto totum locum: Athenienses remunerabor laude ob Salaminiam victoriam, Spartae canam pugnam ad Cithaeronem, pro Himerensi vero proelio Dinomenis filiis hymnum solvens, h. e. ita tamen, ut simul pro Himerensi proelio Dinomenis filios canam. (Die Athener soll man preisen wegen des Sieges bei Salamis, in Sparta singen die Schlacht am Cithaeron, indem man aber zugleich wegen der Thaten am Himeras des Dinomenes Söhnen Lob zollt.) Mihi ex hac ratione pulcre participium positum videtur in tertio membro, quum significare vellet illas laudandas pugnas non sine hac, hanc non seiungendam ab illis. Boeckhius meus scripsit ἐρέων, construens ἀρέομαι μισθόν, mihi tollam mercedem, πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν ἐρέων, ἐν Σπάρτᾳ δ᾽ ἐρέων πρ. K. μάχαν cet.; sed primum displicet: tollam mihi mercedem — Dinomenis filiis solvens hymnum; deinde omnino quod sibi mercedem sperat, alienum videtur a magnificentia loci, ubi alios honorare vult; et si dicas simul hoc inesse: singulas victorias singulis inprimis caras esse, ut propterea remuneraturi sint Pindarum, etiam sic admisceri videtur quod abesse malim. Neque enim de Atheniensium, Spartanorum, Dinomenis filiorum, sed de suo et ceterorum hominum agere videtur iudicio, esse illas pugnas pro

maximis habendas et plane pares. — Ceterum non iunxerim verba: παρὰ τὰν εὔυδρ. ἀκτὰν Ἱμέρα cum τελέσαις, sed cum verbis τὸν ἐδέξαντ᾽ κ. τ. λ., ad Himeram quem meruere. De quo genere collocationis cf. Beier. ad Cic. d. Officiis pag. 103. et 112. Vulgo post τελέσαις interpungitur, sed incommode poetam ad Himeram stantem cogitaveris. Petitur quidem laus ex illis locis, solvitur autem ibi, ubi Dinomenis filii sunt, ut Spartanorum laus canitur Spartae, non ad Cithaeronem. Ceterum ἐδέξαντο est tulerunt divinitus concessum, cf. Nem. II, 4. — ἀμφ᾽ ἀρετᾷ, propter, per virtutem. Dinomenis autem filii sunt Gelo, Hiero, Polyzelus, Thrasybulus, vid. Simonidis Epigr. in Scholiis. De ipso proelio Himerensi praeter Schol. cf. Herod. VII, 165. Diod. XI, 20.

V. 81 — fin. Transit ad ultimum carminis locum, qui admonitiones continet. — καιρόν, s. κατὰ καιρόν, si modice loquaris et quantum conveniat. — πολλῶν πείρατα, multarum rerum fastigia (comparat Tafel. Virg. Aen. I, 342.) contrahens in breve. Contrarium ἐκτείνειν λόγον, et τείνειν, ἀποτείνειν, ἐκτείνειν μακρόν, cf. Valcken. ad Herod. VII, 51. Heindorf. ad Plat. Gorg. p. 65. Blomfld. ad Aesch. Agam. 889. — μῶμος, reprehensio invidorum, Ol. VI, 74. — μείων, quum omnis laus invidiam excitet, contractior laus saltem minorem. — V. 83. αἰανής, gravis, molestus; praeter Boeckhium vid. Blomfld. ad Aesch. Pers. 935. Hermann. ad Aiac. v. 657. — ταχείας ἐλπίδας c. Boeckhio intellige studia et exspectationes audientium cupidas, quae fastidio obtunduntur et debilitantur, ut minus promptae et alacres sint. — Ad ἀμβλύνειν conferes Blomfld. ad Aesch. Sept. 712. Iacobs. ad Anthol. T. XII, p. 209. et Lexica. — V. 84. ἀστῶν δ᾽ ἀκοὰ sqq., civium vero fama animum pungit maxime ab bona aliena, h. e. quum omne nimium animo molestum sit, ut modo dictum, inprimis tamen civium laudes invidiam excitant in ceteris, si laudetur quod ipsi non habeant. Notum βαρύνεσθαι ἐπί τινι. — κρύφιον, tacitum animum, h. e. tacite, tecte. cf. Elmsl. ad Eurip. Heraclid. 7. Hom. Il. XIX, 125. τὸν δ᾽ ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν. — V. 85. κρέσσων — φθόνος, proverbialis loquutio, quam illustrant ex Herod. III, 52. cf. Boeckh.

Explicationes et Nott. critt. Add. Iacobs. Delect. Epigr. p. 255. — V. 86. *καλά*, res praeclaras et laudes omnis generis. — *νώμα* sqq. Ac primum quidem guberna iuste, linguam autem ad normam veritatis forma, abstinens a fraudibus, astutiis, simulationibus tyrannicis. Verba: *ἀψευδεῖ πρὸς ἄκμονι χάλκευς*, verto: Procude linguam in incude a mendaciis pura, ut sincera sit et a falso aliena. Debet enim incus pura esse sordibus, ne quid vitii inde trahat res quae proculitur. Viri docti plerumque explicant: *ἐν ἄκμονι ἀληθείας, ἀψευδείας*, ut passim sic adiectiva pr. substantivis ponuntur, cf. Matth. Gr. pag. 837. Ac confertur *δόξαν αὐτάρκέα*, h. e. *αὐταρκείας* Antiphil. Byz. ep. XV, 3. coll. Iacobs. Anth. T. IX, 48. Sic comparaveris Sidon. 8, 4. incudem meditationis, ut sit incus quali Veritas utitur. Denique *γλῶσσα* ipsa lingua est; quam cote acui vidimus Ol. VI, 82; nec sermonem interpretor. Ceterum vid. Boeckhium ad h. l. et Iacobs. Delect. Epigr. Gr. pag. 108. Dictio Pindari audacior, sed praeclara; pro tenui isto et ieiuno: noli mentiri, abstine mendaciis, quanto dignius et gravius est quod poeta dixit! — V. 87 sq. Causas subiicit: Quodsi enim vel levissima res tibi excidit, magnum habetur ut a te profectum. Multorum rex es, quare multi sunt testes tibi bonarum et malarum artium. Ad *παραιθύσσειν* notat Tafelius se non videre, quomodo in fabricatione caveri aut improbari possit scintilla. Sane; neque hoc vult poeta, qui de formatione linguae ante dixit. *παραιθύσσειν* hic est de iis, quae, si utaris lingua, obiter et inter alia dicta imprudenti tibi excidant, quod vide quam leniter et caute dixerit poeta, ne Hiero gravius ferat. Cet. cf. de verb. ad Ol. VII fin. — *φέρεται πὰρ σέθεν*, Plat. Theaet. p. 148, e. *ἀκούων τὰς παρὰ σοῦ ἀποφερομένας ἐρωτήσεις*. — *ἀμφοτέροις*, veris, rectis, falsis malisque, ut contextus docet. Noluit apertius loqui, iniucunda verba devitans hic quantum fieri posset. Ceterum de asyndetis vid. Excurs. — V. 89 sqq. Sequitur alterum praeceptum de liberalitate et munificentia regia publice privatimque (cf. Xenoph. Hier. c. XI.). *εὐανθεῖ δ' ἐν ὀργᾷ παρμένων*, servans indolem, quae praeclare in te viget. *ὀργή*, ingenium, indoles, mores, cf. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 386. Acta philol. Monac. T. I. p. 77. Wasse ad Thucyd. I,

12 *

140.— V. 91. ἔξίει — ἀνεμόεν, expande velum liberalitatis, cf. Isthm. II, 40., ubi de hospitalitate. Plena vela omnino dicuntur de magno aliquo studio; vid. ad Nem. V, 51. — V. 92 sqq. Dixit de iustitia cum veritate et de liberalitate; quae nunc sequuntur eodem pertinent. Nam ut Croesi exemplo ad liberalitatem excitat, sic Phalaridis avocat ab iniustitia et crudelitate. — μὴ δολωθῇς sqq. Cave, inquit, aulicorum adulatorum artibus decipiaris, ne blandis et fucatis eorum verbis a recta via deducaris. — κέρδεα, artes, cf. Damm. Lex. Hom. De adi. εὐτράπελος bene agit Karsten ad h. l. et Gurlittus hic et ad Pyth. IV, 105. Add. Schneid. ad Demetr. d. Elocut. p. 154. Primum est de facilitate in motu Thucyd. II, 41., tum ad mores transfertur et indicat hominem temporibus inservientem, diciturque tum de sermone urbano, lepido, faceto, inprimis cum levitatis et assentationis, simulationis notatione, cf. Plat. d. Rep. VIII, 563, a. Sic h. l. blandus est et fallax, ut Pyth. IV, v. 105. — ὀπιθόμβροτον αὔχημα δόξας, gloria virtutis post mortem superstes. Nam δόξα est virtus. cf. Nem. III, 40. Asyndeton hic per nam explicandum. Haec gloria μανύει, nuntiat ἀπαγγέλλει, ut Pyth. VI, 18. — λογίοις, rerum scriptoribus; cf. Nem. VI, v. 31. Vid. Vales. ad Harpocrat. p. 304. Creuzer Historische Kunst der Griechen. p. 176. Similiter λέγειν et ᾄδειν iungi apud Thucyd. II, 8. Xenoph. Cyrop. I, 2, 1. ab aliis monitum. — V. 94. Κροίσου φιλόφρων ἀρετά, h. e. φιλοφροσύνη et φιλοξενία, nominatim erga sapientes Graeciae viros cf. Herod. I, 29. Croesi amor, ait Iustin. I, 7., apud omnes urbes erat. — Phalaris dicitur νηλὴς νόον καυτὴρ ταύρῳ, in quo ad constructionem καυτὴρ ταύρῳ confer quae Lobeckius habet ad Phrynich. p. 688. De ipso hoc tauro crudelis tyranni vid. Boeckh. ad Scholia pag. 310, ibiq. laudatt. — V. 96. ἐχθρὰ κατέχει φάτις, similiter κατέχειν Ol. VII, 10. Saepe ἔχειν, cf. Wessel. ad Herod. VII, 3. et Held. in Actis philog. Mon. T. II. p. 92. — V. 97 sq. Neque eum citharae domesticae socium iucundum in iuvenum cantibus convivalibus admittunt. Nempe citharae obtemperat cantus, ut in prooemio dictum; quem haec respuit, eum non canit cantus. — V. 98. παίδων ὀάροισι, h. e. ubi iuvenes canunt. De voce ὄαρος cf. Nem. III, 11. Spanhem.

ad Callim. in Pallad. 66. Porro ὑπωρόφιαι dictae ut τόξα ὑπορώφια, Simonid. Epigr. Anthol. Gr. Iacobs. T. 1. p. 67. Sunt citharae sonantes in conviviis, ut nunc in his epiniciis, quum in encomiis et scoliis etiam hominum priscorum laudes memorentur. At κοινωνία haud dubie pr. κοινωνός, sed suavius dictum. Qui canitur interest consortio canentium. Ac iucundissima sunt in rebus convivalibus aliisque iucunditatibus nomina consortii, societatis. — V. 99. τὸ παθεῖν εὖ, secunda fortuna uti, apud Pindarum etiam dicitur pr. res gerere feliciter et victorias reportare, ut Isthm. IV, 15. — δευτέρα μοῖρ᾽, Soph. Oed. Col 140. πρώτη μοῖρα. Add. Lachmann. ad Propert. II, 1, 47. — εὖ ἀκούειν nunc celebrari a poetis. — στέφανον ὕψιστον, felicitatis fastigium. Sententia similis Isthm. IV, l. cit. et laudatus ab interprett. Solon. V, 3.

CARMEN PYTHIUM SECUNDUM.

INTRODUCTIO.

Etiam hoc carmen, quod hodie melius perspicimus, magna olim caligine tectum, Boeckhii maxime doctissimis et sagacissimis explicationibus debetur. Victoria curulis reportata videtur Thebis in Iolaiis sive Heracleis, Ol. 75, 4., postquam eodem anno, ut videtur, Hiero Locros Epizephyrios servaverat, quos quum Anaxilaus Rheginorum tyrannus bello gravi adoriri vellet, Hieronis minis deterritus est. Laudabilia haec et gloriosa; sed erant alia, quae minime placerent. Flagrabat enim tum maxime simultas Hieronem inter et Polyzelum fratrem, de qua dictum ad Ol. II. Hiero obiecerat fratrem periculis belli, Sybaritis adversus Crotoniatas auxilio missum, ut ibi periret; ex qua expeditione quum praeter spem salvus rediisset, regis animus magis etiam ab eo abalienatus erat, ut tandem ad Theronem transfugeret, quo facto Hiero bellum pa-

rabat adversus Polyzelum et Theronem. Idem vero etiam Damaretam concupivisse videtur, uxorem Polyzeli, a Gelone huic relictam, Theronis filiam. Quae quidem omnia quum comperisset Pindarus, scripsit hoc carmen cum laudibus severas admonitiones continens. In principio victoriam magnifice nuntiat et Hieronem cum Cinyra componit, qui ut a Cypriis canitur, sic Hiero a virginibus Locrensibus ob servatam patriam. Tum ad Ixionem transit, qui primus hominum parricidium commisit, idemque Iovis uxorem concupivit, unde nunc rotae illigatus cruciatur, proles autem, quem ei peperit nubes pro Iunone a Iove substituta, Centaurus fuit, monstrum foedum, cum equis concubitum exercens. Iam revocat se ab his rebus, alienum se dicens a calumniandi studio, et iterum ad laudes Hieronis accedit, divitias, potentiam, fortitudinem bellicam praedicans maxime. Denique in ultima parte carminis hortatur Hieronem, ut bonam indolem naturae sequatur, spernat vero adulatorum, susurrorum, calumniatorum pravas voces, qui eum ad violenta consilia excitabant et bonos viros ipsumque Pindarum suspectos reddere studebant; quare aulicos istos severissime exagitat. — His expositis ut summam sententiam carminis etiam definitius explicemus, illud Pindarus laudat, si *ὄλβος* et *σοφία* coniuncta sint; in quo *ὄλβον* intelligo divitias, potentiam, gloriam factorum bellicam ludicramque, alia, admirabilia ob perspicuum deorum favorem; quibus rebus coniunctam vult sapientiam, ut contentus sis iis, quae habeas, hisque praeclare utaris, neve iniustitia, insolentia, pravis consiliis et cupiditatibus deorum benefactorum iram tibi contrahas. Vides igitur in hoc carmine iterum declaratam perfecti regis speciem, quanquam paullo aliter expressam quam in antecedente carmine; proxime huius carminis sententia accedit ad eam, quae Ol. I. subest. Ac Hiero quidem *ὄλβον* vere regium habebat, quo laudes pertinent huius carminis, *σοφίαν* autem saepe non habebat, minimeque hoc tempore, quare maior sententiarum pars in admonitione versatur, ut reducatur ad sapientiam. Adornavit autem totum ita poeta, ut bis cum laude admonitionem poneret, primum exemplis mythicis, deinde directa oratione usus. Igitur laudes sunt in principio ludicrae victoriae et bellicarum rerum: quo loco quod Cinyram commemorat, factum, ut mythicum exemplum adesset fortunae regiae ma-

ximae a diis concessae cum iustitia et bonitate coniunctae, Hieronem vero cum Cinyra comparans dum ornat eximie, simul docet qualis esse debeat. Tum ad contrarium transit Ixionis pessimum exemplum, cuius duo peccata similia vides iis ipsis, quae Hiero tum moliebatur, ut nihil ad eum deterrendum potuerit aptius inveniri. Atque haec quidem prima pars carminis est; sequitur altera non mythica, priori conformis, in qua primum amplius de fortuna regia Hieronis dicit, tum iterum admonitiones subiungit; neque tamen nunc ea, quae in Ixione mythice proposita erant, apertis verbis enuntiat, quod in tali re audax pariter et indecorum fuisset, sed causas potius tractat, quibus Hiero a recta via deducebatur, adulatorum et calumniatorum pravas artes. Atque ita conficitur ambitus carminis.

EXPLICATIO.

V. 1 — 24. **Principium, de bellica et ludicra laude Hieronis.** Ac Prooemium quidem (a v. 1 — 12) hanc sententiam habet: Bellicosae Syracusarum urbi nunc ludicrum etiam decus nuntio curulis victoriae, ipsa deorum ope Hieroni partae. Tum ad bellicam laudem veniens, praemonstratam initio, pergit: Est eximia fortuna regum. Alios praedicat alius ob virtutem, et Cyprii quidem Cinyram, te virgo Locrensis grato animo recolens, quod tibi salutem debeat. Sic ibi laudaris ob praeclara merita, ut in alia parte ludicram victoriam reportasti. — V. 1. *Μεγαλοπόλιες*, permagnae enim Syracusae, cf. Goell. Fragm. Sic. p. 37 sqq. Dicitur non minor Athenis fuisse urbs, de quarum magnitudine videbamus ad Pyth. VII init. — V. 2. *τέμενος Ἄρεος*, magnifice. Militaris potentia Syracusarum inde a Gelone maxima fuit, comprobata bellis multis, inprimis nobili clade Carthaginiensium ac sociorum ad Himeram; nunc autem paullo ante hanc ludicram victoriam Anaxilaus a domandis Locris deterritus erat Hieronis minis (vid. Boeckh.), quam rem mox memorabit poeta. Iam prima curulis victoria Hieroni regi contigit; quare poeta splendidum principium meditans, eximie utrumque genus

laudis coniungit. — σιδαροχαρμᾶν, ferro, armis, proeliis gaudentium, bellicosorum. Simile χαλκοχάρμας, nec ἱπποχάρμας alium quam equos amantem significat. — V. 3. λιπαρᾶν, praeclaras, ut Fragm. Boeckh. nr. 209. cf. Nem. IV, 18. Thebis venit nuntius cantus, ubi etiam victoria nunc reportata erat, praeclare notante Boeckhio. Moris enim est in carminibus Pindaricis omnibus, ut locus nominetur, ubi victoria parta, nec ullum invenitur carmen, in quo hic non indicatus sit; atqui in toto nunc hoc carmine nullum aliud nomen exstat, unde certo colligitur Thebas esse, ubi victoria contigerit. Ac celebrabantur ibi Heraclea sive Iolaia, in quibus etiam curulia certamina habita esse docet Pind. Isthm. I, 55. Cf. ad Ol. IX, 99. de his ludis. — φέρων ἔρχομαι, non ipse, sed carmen missum, cf. 68. — V. 4. ἐλελίχθονος, terram quatientis. Baccho tribuit vocem Sophocl. Antig. 153. laetam saltationem et clamorem indicans. — V. 5. ἐν ᾇ κρατέων, ut Pyth. XI, 46. ἐν ἅρμασι καλλίνικοι, in curribus vincentes. — V. 6. Ὀρτυγίαν, ubi regia domus Hieronis, cf. ad Ol. VI, 92. — ἀνέδησεν, coronis redimivit. Victor enim στεφανοῖ patriam, cf. Nem. XI, 20. Simonid. in Anthol. Pal. T. II. p. 625. Nunc ornatius. Memineris tamen simul Lyricos et Pindarum saepe loca, urbes terrasque cum deabus suis cognominibus suaviter ita confundere, ut utrumque simul cogitent et cogitari velint, veluti Pyth. XII init. Ceterum in Iolaiis vulgo praemium dabatur tripus aheneus, cf. ad Ol. IX. l. cit.; sed non dubito simul coronam datam, quam in rem confer ad Nem. IX, 53. Non bene hic coronarum meminisset, si nil nisi tripus dabatur. — V. 7. ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος. Diana in Peloponneso multis locis cum lacubus, fontibus, fluviis colebatur coniuncta, et inter fluvios quidem nominatim cum Cladeo et Alpheo, unde ποταμία dicta. Hoc loco Ἀλφειώα intelligitur sive Ἀλφειῶσα, Ἀλφειοῦσα, Ἀλφειονία, Olympia in Ortygiam delata a primis colonis ibique magnopere culta; vid. Boeckh. ad h. l., et Müller. Dor. I. p. 375. et nos ad Nem. I init. Ceterum ἕδος de deorum sedibus et templis, vid. illustratum a Ruhnken. in Tim. Lex. p. 93. — ἇς οὐκ ἄτερ, quum etiam ἱπποσόα sit Diana, cf. ad Ol. III, 26. Non sine Diana, ait, domuit et condocefecit illos pullos, mansuetis manibus; neque enim dubito Hie-

ronem rei equestris studiosissimum ipsum etiam domuisse et exercuisse equos suos. — *δαμᾶν ἐν χερσί*, nos: unter seinen Händen bändigen, neque enim ἐν est per. — V. 9. *ἐπὶ γὰρ ἰοχέαιρα* seqq. Haec enim dea, ait, eximie favet Hieronis studio equestri et ipsa manibus suis cum Mercurio ornamenta imponit equis, sibique placet in iis ornandis, quum Hiero ad certamen eos currui iungit, Neptunum potentem invocans. — *χερὶ διδύμᾳ*, utraque manu, quo studium indicatur deae. Mercurium inter deos *ἐναγωνίους* vidimus iam Ol. VI, 79. Hoc loco quum plures deos nominare vellet, quod Mercurium nominat, etiam propter cultum eximium factum videtur, quem hic deus Thebis habebat. — V. 10. *αἰγλᾶντα κόσμον*, frena et phaleras, ut notat Boeckh. Tafel. confert Orph. Argonaut. 587, *χρυσείων φαλάρων πολυτεχνέα κόσμον*. Ac nota *αἴγλη* de splendore metallorum, nunc auri, ut Pyth. IV, 231. — *δίφρος* sella currui imposita, *ἅρματα* cetera currus instrumenta. Utrumque coniunxit ad augendum ornatum loci. — *πεισιχάλινα*, ut *φιλήνιοι ἵπποι*, Aesch. Prometh. 474, add. Virgil. Georg. I, 515. Constructio: *ὅταν ἐν (εἰς) δίφρον ἅρματά τε καταζευγνύῃ ἵππους*. Praepositione ἐν pr. ἐς Pindarus utitur in Aeolicis carminibus, ut infr. v. 86. Pyth. V, 38. Nem. VII, 31. Cf. Hermann. de dial. Pind. p. XXI. — V. 12. *καλέων*, ut cursum equorum secundet. — Atque hactenus prooemium de ludicra victoria Thebis reportata. Nunc ad bellicas res redit et transitum parat ad monita quae meditatur. — V. 13. *ἐτέλεσσεν*, solvit, ut *ἄποινα ἀρετᾶς*, cf. Pyth. I, 79. Et statim commemorat gratum animum Cypriorum et virginum Locrensium. — V. 14. *εὐαχέα*, Eurip. Ion. v. 898. *Μοισᾶν ὕμνους εὐαχήτους*, comparante Tafelio. — V. 15. *ἀμφί*, notus usus ex hymnis Homericis huius praepositionis, cf. Heyn. et Matth. Gr. p. 1161. — Cinyras Cypri rex nobilissimus, mitis, utilibus inventis optime meritus, de quo vide plura apud Meurs. Cypr. II, 9. Heyn. Apollod. III, 14, 3. Munker. ad Anton. c. 36. — V. 16. *φᾶμαι*, laudes. — *τὸν ἐφίλασ' Ἀπόλλων*, cf. Theocrit. schol. 1, 109., ut musicae studiosum, vid. Müller. Dor. I, p. 348. — V. 17. *ἱερέα κτίλον Ἀφροδίτας*, sacerdotem Veneris (vid. loc. citt.) educatum a tenero in templo deae, ut optime interpretari videtur *κτίλον* Müllerus, comparans Hesiod.

Theogon. v. 988 sqq., quem locum etiam Gurlittus laudat una cum Hom. Il. II, 548. Ceterum de voce κτίλος vid. etiam Lexica et quae Heynius affert. — ἄγει δὲ sqq., ducit eos gratia pie devenerans (ὀπιζομένα) pro beneficiis remunerationem allatura, ποίνιμος, ἀμειπτική, ut exponit Schol. Notior vox sensu malo pro ulciscens, poenas retribuens. Sed vide ποινάν Pyth. I, 59. Ad ὀπιζομένα conf. Lexica. Inest in hoc verbo reverentia deorum, parentium et omnino maiorum illustriumque hominum, nunc regis εὐεργέτου. De toto loco dixit Boeckh. Nott. critt. et Herm. ad Vig. p. 938. — V. 18 sqq. Virgines Epizephyrias poeta dicere maluit, optime monente Boeckhio, quia maius ab hoste periculum puellis imminet. Simul iucundissima species virginum cantantium. — πρὸ δόμων, sedentes pro foribus, ut videtur, quum belli metu liberatae iam tutae exire possint domibus; nec videntur Locrenses virgines intra gynaeconitin severe clausae fuisse, ut Atticae et Ionicae. — V. 20. δρακεῖσ᾽ ἀσφαλές, quemadmodum timor oculis proditur. Ceterum ad constructionem δέρκεσθαι ἀσφαλές notissimam vid. Matth. Gr. p. 746. — Post haec de comparatione Hieronis cum Cinyra nonnulla addo. Nobilissimae fuerunt in fabulis Cinyrae divitiae, singulari deorum favore ei concessae, ut in proverbium abierint, et qui Cinyram diceret simul ipso nomine beatissimum regem significaret. Idem quum bonus esset et mitis, ut legimus, vides in eo fuisse quod Pindarus ut summum in hoc carmine proponit, felicitatem cum sapientia coniunctam. Iam compara Hieronem: Habet hic quoque insignem felicitatem, nec sine causa poeta supra etiam deos ei faventes exhibuit, ut Cinyras dilectus erat Apollini, Veneri, diis; volebat enim simillimum fortuna eum ostendere. Idem vero nunc praeclare meritus est de Locris, quemadmodum Cinyras φίλα ἔργα edebat; habet igitur etiam Hiero praeclaram indolem cum felicitate coniunctam, ut hoc facto constat, quod laudans poeta simul admonet tecte, ut semper talis sit etiam in ceteris rebus omnibus. Contrarium exemplum statim in Ixione proponetur, qui μακρὸν οὐχ ὑπέμεινεν ὄλβον, ac vides nunc alterum altero illustrari, vides Cinyram et Ixionem hic oppositos, ut Pelopem et Tantalum in Olympico primo, in Pythio primo Olympum et Tartareum Typhoeum. — V. 22. ἐν πτερόεντι τροχῷ, in rota semper

circumvoluta; cf. Hygin. 62. Apoll. Rhod. III, 62. Soph. Philoct. 602. Tibull. I, 3, 73. Postea servos rotis illigabant, Aristoph. Plut. 876. Elmenh. ad Apul. Met. p. 188. Iacobs. ad Achill. Tat. p. 875. — V. 24. ἐποιχομένους, cf. Ol. III, 40. Suaviter autem cumulate dixit ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι ad vim dicti augendam: ἀγαναῖς h. l. φίλαις. Nam δεῖ φιλεῖν φιλέοντα. Ceterum ad dictum ipsum conferunt Virg. Aen. 6, 621. — Pindarus autem ultima hac periodo et antecedentia claudit et transitum parat ad sequentia. Locri grati sunt adversus Hieronem secundum praeceptum, quod praecipit suo damno edoctus Ixion deorum iussu. Ixion autem ut fuit ingratus erga deos, sic etiam Hiero ingratus esset, si tot bonis divinitus ornatus ferre fortunam nesciret.

V. 25 — 52. De Ixionis delictis et poenis. Alios locos vide apud Heynium et Boeckhium et adde optime narrantem fabulam Welckerum in libro de Trilog. Aeschyl. p. 547. — V. 25. παρὰ Κρονίδαις, in domo et familia Iovis. Ixion, soceri sui interfector, primus parricida fuit; quare quum hominum nemo expiare eum voluisset, supplex Iovem καθάρσιον adiit, a quo expiatus est et receptus adeo in domum et adhibitus mensae divinae. — V. 27. τὰν Διὸς εὐναὶ λάχον πολυγαθέες, quam Iovis lectus iucundus sortitus erat; ornate pr. quam Iuppiter nactus erat tori sociam. πολυγηθής, plurimum gaudii praebens, cf. v. c. Fragm. Hymn. 1, 2. — V. 29. ἐοικότα, digna, iusta. — V. 30. ἐξαίρετον, singularem. — V. 31. φερέπονοι τελέθοντι, haec duo flagitia causa laborum ei sunt apud inferos. φερέπονοι, πόνους, κακὰ αὐτῷ φέρουσαι. Verum sentis ipse adiectivum esse nervosius; quod de multis loquutionibus similibus valet. — τὸ μὲν sqq., primum quod parricidium commisit, insidiose, οὐκ ἄτερ τέχνας, scrobe carbonibus impleta, tum operta leviter, in quam illapsus Deioneus, qui ad ἕδνα accipienda venerat, periit. — ἐμφύλιον αἷμα, comparat Tafel. αἷμα συγγενὲς Eurip. Suppl. 148, ibiq. Marcl. — ἐπέμιξε, admiscuit, intulit mortalibus. — V. 34. Χρὴ δὲ κατ᾽ αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον, debet homo ex sua semper conditione cuiusque rei modum considerare, et eum sibi ubique modum ponere, qui sibi conveniat et par sit. Comparant Aeschyl.

Prometh. 889., ubi vid. Schol. et Blomfld. p. 61. Denique κατ᾽ αὐτόν pr. αὐτόν. — V. 35 sqq. Sensus sequentium hic: „Sed concubitus nefarius in miseriam ingentem eum coniecit non invitum; cum nube enim concubuit pro Iunone habita, atque ita punitus est.“ Nempe tentaverat Iunonem verbis impudicis; Iuppiter igitur, ut eum exploraret, nubem pro Iunone in lecto posuit, quam quum amplexus esset Ixion pro Iunone, tum vero crimen consummatum fuit et poena sequuta. — V. 37. ψεῦδος γλυκὺ μεθέπων, fraudem dulcem sectatus. — V. 38. πρέπεν, similis erat, cf. Iacobs. Animadv. in Eurip. p. 37. — V. 39. δόλον, veluti equus Troianus δόλος dicitur Hom. Od. VIII, 494. — V. 40. Ζηνὸς παλάμαι, quod ex alia traditione Iunoni tribuitur, cf. Schol. Eurip. Phoeniss. 1185, Pindarus suo consilio convenientius ab ipso Iove fieri voluit. — τετράκναμον δεσμόν, rotam quattuor radiorum, in quibus manus et pedes illigati, ait Schol., et Boeckh. bene comparat Pyth. IV, 214. Tafel. notat esse hunc minimum radiorum numerum, summum quattuordecim, coll. Ginzrotio: die Wagen und Fuhrwerke der Griechen und Römer. — ἔπραξε, sibi paravit, Isthm. IV, 8., vel potius, lucratus est, coll. locis quales Hom. Il. XI, 751. XVII, 661. XXIV, 550. Nempe non consequutus est quod cupiebat, sed pro eo poenam miserrimam lucratus est. Quod genus dicendi amant veteres. — V. 41. τὰν πολύκοινον ἀνδέξατ᾽ ἀγγελίαν, in se recepit hunc nuntium omnibus destinatum, ut dicitur πολύκοινος ᾅδης. — Denique de universa tractatione loci aliquid addendum. Welckerus meus in libro de Trilog. Aeschyl. l. cit. eximie notat Ixionem esse proprie supplicem (ἱκέτην, coll. ἵκειν, ἵκτορες, Ζεὺς ἀφίκτωρ, ἱκέσιος), qui ad Iovem venerit expiationem orans et ab eo receptus benigne, mox pessime remuneratus sit auxilium et tutelam summi dei. Idem vero reprehendit Pindarum, quod deterius tractaverit fabulam, quum nonnisi de ingrato animo Ixionis adversus benefactorem dixerit. Ego supplicem Iovis fuisse Ixionem non credo Pindarum ignorasse, licet etymologiam vocis ignoraverit cum aliis; sed quum hoc loco Ixionem propter Hieronem proponeret, huic consilio narratio accommodanda erat; quare quod supplex fuerat, omittit, utpote rem hic alienam, nec nisi de felici vita loquitur, quam Ixion

apud deos egerit, veluti alio modo Tantalus in Lydia cum diis commercium habens deinde ingratus fit. Sic enim haec similia Hieroni, qui non vivens quidem cum diis, at favore insigni deorum ornatus et in summa felicitate regia degens, similiter nunc iniusta appetit et ingratus fit erga deos. — V. 42 sqq. Hic locus alteram pessimi concubitus poenam explicat. Logice nexus videtur cum verbis: *τὰν πολύκοινον ἀνδέξατ' ἀγγελίαν*, quae et priorem locum absolvunt et huic sequenti annectendo inserviunt. Quare asyndeton per *γάρ* explico. — *ἄνευ Χαρίτων*, sine Gratiis peperit, h. e. monstrosum partum edidit, *γόνον ἄχαριν*, vere monente Heynio, Gurlitto et Boeckhio, quum alii ex Plutarch. Amator. 5 explicent: sine concubitu, contra sensum loci. Hermannus matrem dicit fuisse *ἄχαριν*, h. e. sine sensu Veneris, quod non minus alienum. — V. 43. *μόνα καὶ μόνον*, sola illa tale monstrum singulare. — *οὔτ' ἐν ἀνδράσι — νόμοις*, neque apud homines, neque apud deos honoratum. De v. *γερασφόρος* cf. Stephani Thesaur. ed. rec. Verba *ἐν θεῶν νόμοις*, h. e. ubi deorum leges et instituta valent, dicta pr. sedibus deorum, veluti Propert. IV, 11, 3. infernas leges intrare pr. Orco. — V. 44. *τράφοισα*, praesens doricum, ter lectum ap. Pindarum, hic, Pyth. IV, 115 et Isthm. VII, 40. cf. Buttm. Gr. ampl. II, p. 242. — V. 45. *ἵπποισιν ἐμίγνυτο*, quibus coactus est uti, quum diis pariter et hominibus contemtus esset. — *ἐν Παλίου σφυροῖς* ad pedes montis, in convallibus eius. — V. 48. *τὰ ματρόθεν* sqq., h. e. materna quidem infra, superiora vero patris erant. Ergo e Centauro et equis nati Hippocentauri. Cet. cf. Welcker. Trilog. Aeschyl. p. 266. — V. 49. *θεὸς — ἀνύεται*, deus omnem rem ex voluntate perficit, *τέκμαρ*, finem, propositum finiendum, ut constat. Ad praepositionem *ἐπί* cf. *ἐπ' εὐχᾷ* Pyth. IX, 89. — V. 50 sq. Deus qui in aëre et in mari aeque potens est, cuius vim et poenam per totum mundum nemo effugere potest, etiam superbos non paucos fregit. Cf. Archiloch. Fragm. Liebel. p. 73. Delphinum componit aquilae ut velocissimum piscem, cf. Nem. VI fin. — *παραμείβεσθαι*, proprie praeterire, veluti Hom. Od. VI, 310., hinc praevertere, antevertere celeritate. Porro nosti suavem temporum mu-

tationem in sententiis generalibus, ut nunc κίχε — παραμείβεται, in quo tamen simul discrimina rerum respiciunt, ut nunc minus bene inversa ratione dixisset. Nempe displiceret παρημείψατο δελφῖνα. — τινά, aliquem, h. e. iam multos, veluti Nem. I, 64. cf. Damm. Lex. Hom. — κῦδος ἀγήραον, cf. similia apud Tafel.

V. 52 — 71. Graviter et severe poeta Hieronem admonuit; quare nunc finem facit et ad alterum argumentum carminis, ad laudes revertitur, splendidissime praeclaram fortunam et gloriam regis praedicans. Transitum autem facit, ut Boeckhius monet, ita, ut ab ulteriore obiurgatione Archilochi se revocet exemplo; qui sapiens quidem fuit, sed ob nimiam maledicentiam inops. — V. 53. Ego vero abstinere debeo vehementi morsu calumniarum. δάκος enim significat belluam, cf. Blomfld. Aesch. Prometh. 583., et morsum, δῆγμα, cf. Etymol. Magn. p. 245, 36. Idem Zonaras habet et Phavorin. Atque ita Herm., Boeckh., Buttm., alii. De voce ἀδινόν vid. Buttm. Lexil. I. p. 209. — V. 54. εἶδον γὰρ sqq., vidi enim, quamvis remotus, ut plurimum inopia pressum conviciatorem Archilochum. — ἑκὰς ἐών, quum plura saecula intercederent, florente Archilocho Ol. XXIII. — ἐν ἀμαχανίᾳ, cf. Liebel. ad Archil. Fragm. ed. sec. p. 13 sq. — V. 55. βαρυλόγοις ἔχθεσιν πιαινόμενον, maledicis odiis se delectantem. Ad πιαινόμενον cf. Aesch. Agam. 267. Blomfld. add. Tafel. h. l. Boeckhius autem acute oxymoron notat propter verba ἐν ἀμαχανίᾳ. — V. 56. τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριστον. Haec verba, de quorum constructione dissentiunt viri docti, mihi quidem Gurlittus recte cepisse videtur sic: Ditem esse cum sapientia optimum. Etenim supra docui laudari a Pindaro in hoc carmine felicitatis et sapientiae coniunctionem; atque in antecedentibus quidem, quum Hiero tum maxime aberraret a sapientia, Cinyrae et Ixionis exemplis graviter monuit: σόφον εἶναι σὺν τύχᾳ ὄλβον ἄριστον. Nunc abrumpens ista sapientiae monita, hoc dicit: Verum abstinendum est a nimiis reprehensionibus et laudanda etiam altera pars dicti, opes dico et potentiam et gloriam Hieronis, nam etiam ὄλβον ἔχειν σὺν σοφίᾳ ἄριστον. Atque hanc inversionem dicti ingeniose Ar-

chilochi exemplo praeparat et explicat, qui acerbior et nimius sapientiae praeceptis inculcandis inopia laborabat, ut, dum *σοφίαν* commendabat, ipse *ὄλβῳ* careret. Haec si vera sunt, primum vides recte a Boeckhio *τὸ πλουτεῖν* oppositum esse verbis *ἐν ἀμαχανίᾳ*, vides vero etiam hoc infinitivo solo contineri totam primam partem dicti, et iungenda cetera: *σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας*, h. e. *σὺν τύχᾳ σοφίας* per *πότμον*, quod propterea sic dixisse mihi videtur magnificentius pr. *σὺν σοφίᾳ*, ne, praeposito nunc *τῷ πλουτεῖν* ob causas indicatas, levior haberi videretur sapientia. In quo agnosco Pindari iudicium. Ad duplicem genitivum autem conf. Pyth. IX, 39. *κλαΐδες Πειθοῦς φιλοτάτων*, et vid. Matth. Gr. p. 689. et 699. Etiam collocatio verborum bona, ut si Latine dicas: cum concessa feliciter a diis sapientia. Boeckhius interpunxit: *τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τυχᾷ πότμου, σοφίας ἄριστον.* — V. 57. Tu vero manifesto divitias habes (*νιν*, id, *τὸν πλοῦτον*), ut liberaliter dare possis, si legitur *πεπορεῖν*, aorist. v. *πόρω*, sin *πεπαρεῖν* praefertur cum plerisque viris doctis, vertendum cum Boeckhio: quas liberali mente ostentes, quod fit munificentia et praeclaris conatibus. Videtur *πεπαρεῖν* esse ab obsoleto verbo, quod ostentare significabat, vid. Boeckh. Nott. critt. et Buttm. Gr. ampl. II. p. 222. — V. 58. *πρύτανι*, dignitas regiae proxima, cf. Müller. Dor. II. p. 135., unde etiam reges Spartanos Charon Lampsacenus *πρυτάνεις* dixerat; et Iuppiter *πρύτανις* est deorum. Hinc omnino pro summo gubernatore, duce. cf. Blomfld. Aesch. Prometh. 176. — *πολλᾶν εὐστεφάνων ἀγυιᾶν*, urbis Syracusarum maximae. *πολλᾶν μέν* sequente *τέ* vel *καί* usitatissimum, cf. Herm. Vig. p. 836. *εὐστέφανος*, moenibus bene munitus, cf. Ol. VIII, 32. — V. 59. *τιμᾷ*, regio honore et potentia; cf. Pyth. I. 48. — V. 61. *χαύνᾳ* — *κενεά*, stolida mente luctatur frustra. *παλαιμονεῖ* ducta metaphora a ludicris rebus pr. contendit frustra, operam perdit. Ceterum cf. *δηρίομαι* Ol. XIII, 44. Utrumque adiectivum autem iunctum etiam Nem. VIII, 45. — V. 62. *εὐανθέα* — *κελαδέων*, splendida vero navigatione, coronatis navibus, petam altum de virtute canens, h. e. inprimis autem splendide nunc de virtute dicam, in quo *ἀρετάν* oppositum vides *κτεάτεσσιν* et *τιμᾷ*. Porro *ἀναβάσομαι στόλον* ut *ἐξόδους ἕρπειν* Soph. Ai. 287, alia innumera.

De metaphora navigationis vid. Ol. XIII, 49. Denique εἰανθέα, coronatis navibus ominis causa, ut in fausta et magnifica expeditione, cf. Scheffer De Militia navali III, 3. At θεωρίαι, quas Gurlittus infert, alienae sunt. — ἀμφ᾽ ἀρετᾷ, cf. Ol. IX, 13. — V. 63 sqq. Ad formam sequentis loci rectius intelligendam tenebis cum laude tecte admonitionem coniunctam, ad quam reditum parat. Sensus: Iuventuti socia et auxiliatrix est fortitudo bellica, s. iuventus laudem suam ab audacia bellorum habet, unde etiam tu immensam gloriam illam consequutus es, at provectiore aetate prudentia et sapientia probatur, τῷ δὲ γήρᾳ ἀρήγει εὐβουλία, recte notante Tafelio, atque etiam haec in te est. Sed hanc ultimam sententiam aliter dixit sic: Prudentia vero tua in provectiore aetate tutum mihi verbum praestat ad omnem orationem, te laudaturo, s. talis est, ut possim sine periculo etiam eas tibi laudes dicere, quibus admonitio subsit. — θράσος πολέμων, ut τόλμα καλῶν Nem. VII, 59. — Verbum ἀρήγειν ab ipsis bellicis rebus videtur desumptum. — Mox v. 65 construo: ἀκίνδυνον ἐμοὶ ἔπος παρέχοντι ποτὶ πάντα λόγον, quibus verbis addit ἐπαινεῖν σε. Solum ἐπαινεῖν non placet, quare verum videtur σέ a Boeckhio repositum, quod qui alieno loco legi putabunt conferent alias collocationes, ubi duo membra transposito pronomine sic confusa et complicata sunt in unum. Ut in constructione participii et verbi finiti Soph. Antig. 1272. θεός τότ᾽ ἄρα τότε μέγα βάρος μ᾽ ἔχων ἔπαισεν pr. μέγα βάρος ἔχων ἔπαισέν με. Hom. Il. III, 389. τῇ μιν ἐεισαμένη προςεφώνεε δῖ᾽ Ἀφροδίτη, pr. τῇ ἐεισαμένη προςεφώνεέ μιν. Add. Il. XVI, 207. Aut in constructione verbi et infinitivi ab eo pendentis Pind. Pyth. VIII, 68. Denique adde locos, ubi particulâ ἄν positâ ante verbum duo membra conflata sunt, cf. Hermann. ad Oed. R. 929. Boeckh. iungit ἐπαινεῖν σε πρὸς πάντα λόγον pr. κατὰ πάντα λόγον, de qua loquutione dubito. Est πρός, respectu ad, s. propter, veluti ἐπαινεῖν τινα πρὸς ἀρετήν. Denique Boeckhius cum Scholiis ἀκίνδυνον interpretatur: tutum a periculo mendacii, quum ab omni parte praeclarus sis; sed nisi fallor, praestat quod supra posui. Ceterum ipse vides poetam, laudantem βουλὰς πρεσβυτέρας in Hierone, eum monere ut tales habeat. — V. 67. χαῖρε, vale, ut Nem. III, 76. Quum iterum ad admonitiones redire velit, ne Hiero defugiat aurem praebere, nunc vale-

dicit, et quae sequuntur quasi inter valedicendum addit; quod exquisitum artificium est. — *τόδε μὲν κατὰ φοίνισσαν ἐμπολὰν — πέμπεται.* Haec verba Boeckh. ita explicat: „Hoc carmen in privata navi, ad instar Phoeniciae mercis, transmittitur, nec cum pompa redeunte.“ At enim sic minui magis quam augeri videbitur carminis laus, quod mercis instar in mercatoria navi mittitur, nisi dicas celeriter missum dici vel ante pompam redeuntem, quod tamen non expressum est in verbis. Mihi igitur eo potius respici videtur a poeta, quod carmen remota e regione trans mare veniat ideoque non parvi aestimari debeat ab Hierone, ut merces peregrinae pretiosiores habentur. — V. 69. *τὸ Καστόρειον.* Fuit Castoreum nobilis nomus, rhythmo anapaestico, ut videtur, et Doria harmonia compositus in Castorem equitem et aurigam celeberrimum, id quod ex Pindaro Isthm. I. colligitur, cantatus apud Spartanos ad tibiam exercitu adversus hostem procedente, quum Tyndaridae duces divini Spartanorum essent. cf. Boeckh. d. Metr. p. 276. et Müller. Dor. II. p. 335. Hoc nobili nomine Pindarus Isthm. I. suaviter utitur pro laude Castoris a se ipso facta, et hoc loco pro Hieronis laude bellica et curuli. Aegre vero adducar, ut cum Boeckhio meo totum hoc carmen Castoreum ab eo dici credam, quum sententiae pleraeque nimis a Castoreo alienae sint, sed quemadmodum Isthm. I. Castoreum est pars hymni, Castoris laudem continens a v. 16 — 31., sic nunc prooemium carminis crediderim Castoreum dici, bellicum pariter et curulis victoriae laude repletum, v. 1 — 12. Sic ut aliud conferam, *φίλιον ὕμνον* Pyth. I, 60. dixit locum ibi proxime sequentem de condita Aetna. Iam clara est oppositio vocum *μέλος* et *Καστόρειον*, de qua disputatur a viris doctis. Etenim universi loci sensum censeo hunc esse: Pindarus commendans Hieroni haec, quae mittit, primum de toto carmine dicit, tum de introitu specialiter, in quo maxime offendere debebant chordae aeoliae, ob reliquum carminis argumentum electae. Iam dicit: „Carmen hoc carum sit tibi ut merx trans mare advecta; quod vero Castoreum in introitu posui aeoliis chordis cantatum, non Doria harmonia ad tibiam, ut exspectaveris, benigne id adspice *ἑπταχόρδου* citharae gratia, h. e. quum ad citharam canatur, dignissimum instrumentum; noli igitur bellicis et equestribus laudibus tuis quicquam eo

detractum credere, quod alios sonos iis aptavi." Hoc autem, si verum spectas, idem est ac si dixisset: „Ne displiceat tibi, quod bellicis et equestribus laudibus tuis alia multa subiecta sunt, ut iam alius sonorum concentus in toto carmine regnet quam bellicus et victoriis curulibus aptus. Habet enim etiam cithara Apollinea praeclaros sonos, quae pravos affectus sedat et ad modestiam animos revocat. — χάριν genitivo praepositum illustrat Herm. ad Vig. p. 701. — V. 70. ἑπτακτύπου. Vel Pindari aetate utebantur heptachordo antiquo Terpandri cf. Boeckh. d. Metr. Pind. p. 206., quale etiam Apollini tribui constat, vid. Nem. V, 24. Igitur hoc loco antiquum nomen dignitatis causa positum. — ἀντόμενος obviam factus, h. e. amice excipiens.

V. 72 — fin. De assentatoribus et susurronibus, qui prava consilia Hieroni suggerebant et sinceros eius amicos calumniabantur. — Statim principium huius loci difficillimum est, ut arrogans essem, si dissentientibus doctissimis viris meliora me allaturum crederem. Singulatim omnia exsecutere harum explicationum ratio vetat: vide igitur Huschkium de Archilochi Fabula de Vulpe et Simio in Matth. Miscell. phil. T. I, p. 23 sqq., Gurlittum, Hermannum apud Heynium, Aug. Matthiaeum in Seebod. Archiv für Philologie Vol. II, fasc. IV, p. 676; denique Boeckhium et Tafelium ad h. l. Ego breviter meam sententiam indicabo. Explico: „Praesta te talem, qualis a natura factus es, quum didiceris, h. e. tene indolem tuam bonam nec deduci te patere a via; pulcher est simius apud pueros, semper pulcher, h. e. placent quidem adulatores iuniorum imprudenti aetati et mirifice placent; sed alienum hoc a prudentia provectioris aetatis; Rhadamanthus in Elysio est, quod praeclaram prudentiam habet nec fraudibus deliniri se patitur, quales adrepere solent mortalibus. Rhadamanthus igitur exemplum est sapientiae regiae, qualis provectiore aetate esse debet. Tales etiam Hieronis vult βουλὰς πρεσβυτέρας esse. Formulam γένοιο οἷος ἐσσί notavit Huschkius l. cit. et Boeckh. add. Doederl. ad Oed. Col. 552. Significat proprie eum esse, qui vere sis. Laudat Hieronis indolem ut per se bonam; hanc teneat, talis sit, talem se gerat, neu corrumpi se patiatur ab adulatoribus. Tum μαθών,

quum didiceris, quum ex vita antecedente tua constet te scire sequi bonam indolem tuam. Boeckhius vertit: intelligens; alii: edoctus disciplina, tui recordatus, ita ut te ipsum cognoscas, cet. — Porro correctio: *γένοιο-καλός τις*, mihi cum aliis displicet, quum sequatur; *πίθων αἰεὶ καλός*. Lectio *καλός τοι πίθων παρὰ παισίν, αἰεὶ καλός*, mimice exprimit quantopere simius placeat pueris, ac Boeckhio videntur pueri Graeci hunc morem habuisse, ut simio identidem acclamarent *καλός*. Non videbatur mihi formula indigna Pindaro in hac re; Boeckhio tamen displicet. Porro dubitatur, simius utrum assentator et adulator hic sit, ut dicitur *πίθηκος, δημοπίθηκος, πιθηκισμός, πιθηκίζειν*, quemadmodum Pierius Valerianus apud Boeckhium interpretatur, et Gurlittus Tafeliusque, quos ego sequor, an potius turpem et deformem significet, de quo vid. Lycophr. v. 1000. Interprett. ad Aristaen. Epist. 1, 24. Iacobs Anim. ad Anth. Gr. II. 2. p. 462. II. 3. p. 166. Plerique viri docti hoc videntur praeferre, ut simio mali principes designentur aut circumventi blanditiis, ut Matthiae censet, *παῖδες* autem iis sunt aulici assentatores, qui puerorum instar semper laudent simium. Non opponam audacius fortasse principes hic simios dici; at illud certum videtur, pueros simium non callide et assentatorie laudare, sed iudicii inopia, ut non videantur commode hic pro aulicis adulatoribus haberi. Accedit quod opponitur Rhadamanthi sapientia; atqui apprime sibi respondent haec: placent adulatores iuniorum imprudentiae; Rhadamanthus autem felix est sapienter contemnens eos. Non sic respondent sibi haec: laudantur turpes principes adulatoribus; Rhadamanthus autem contemnit adulatores. Postremo conferri potest Menandri locus p. 214. Meinek., allatus a Tafelio: *Ὅςτις δὲ διαβολαῖσι πείθεται ταχὺ ἤτοι πονηρὸς αὐτός ἐστι τοὺς τρόπους, ἢ παντάπασι παιδαρίου γνώμην ἔχει.* Non opponitur simius Rhadamantho, ut censet Matthiae, sed *παῖδες* ei opponuntur; et *παῖδες* mihi quidem plane persuasum est omnino pro iuniorum hic imprudente aetate dictos, ut etiam principes et reges iuniores constat maxime capi adulatione. Hoc igitur, ait, tua nunc provectiore aetate plane indignum. Haec hactenus. Archilochi fabulam de Simio et Vulpe omittimus, quum nexus eius cum hoc loco qualis fuerit, etiam si fuerit, ad liquidum perduci non possit, ut inprimis Boeckhius notavit. — De

Rhadamantho, ait Boeckhius, in veteribus carminibus singulare quiddam, quo poeta spectet, videtur traditum fuisse, id vero pertinet ad munus iudicis ei delatum in insulis beatorum, ubi ille non sinit se adulatorum vocibus decipi. Nempe εὖ πέπραγεν est: in Elysio vivit et praeclaros ibi honores iudicis habet, quum mens ei incorrupta sit et a fraudibus aliena. Ac vide quam pulcre poeta post Ixionis apud inferos poenam memoratam nunc etiam beatam vitam boni principis ostendat. Hieronem vero delatoribus aurem praebuisse et more nuper recepto exploratores emisisse, de eo vid. Boeckh. Nott. critt. ad h. l. Add. Müller. Dor. II. p. 159. — φρενῶν καρπόν, prudentiam, Nem. X, 12. — ἀμώμητον, praeclaram; cf. Aesch. Sept. 577. — V. 75. οἷα ad ἀπάταισι refer (cf. Pyth. VI, 21.), qualia susurronum artibus adrepunt semper homini. — V. 76. ὑποφάτιες lectio est, quam Boeckhius mutavit in ὑποφαύτιες, ut sit pro ὑποφαύσεις, vertitque nictationes, quum ὑποφάσιας explicent veteres τὰς τῶν ὑποφαινομένων ὀφθαλμῶν κινήσεις, ubi album apparet non recte clausis palpebris. Sic inter calumniandum nictari oculis calumniatores ὑποβλέποντας, ac tales esse etiam vulpecularum oculos. Vid. Boeckh. Nott. critt. Hermannus ὑποφάτιες memorat, non explicat. Mihi illud constat clandestinas delationes hoc loco significari; sententia enim continuans versum antecedentem haec est: Ingens et plane insuperabile malum, h. e. a quo vix ac ne vix quidem tibi caveas, ne adrepat tibi, calumniarum clandestinae delationes sunt, quum astutiae vulpecularum sint similes. Terminatio in τις pr. σις etsi rarior, exemplis tamen illustrari potest, ut ἄμπωτις est Ol. IX, 52. et δῶτις in Inscriptione Delphica ap. Boeckh. Corp. Inscript. V. I, Fasc. III, lin. 26. ibiq. Boeckh. Ac nunc quidem etiam necessario dictum suspicor ὑποφαύτιες, si ut φάτις et φάσις differunt, sic ὑποφαύτιες verborum delationes sunt, ὑποφαύσεις autem lumina sublustria. — Porro quod supra simios dixit hos calumniatores, nunc vulpes comparat, non est cur ostendat; pluribus comparationibus utitur, ut fit, ad perversitatem horum hominum ab omni parte declarandam. Atque in simio blanditia et adulatio inest, in vulpe malitiosa astutia; utrumque posse coniunctum esse, ipse Huschkius concedit, et quis nescit revera saepe coniunctum esse? Archilochi autem fabulam,

in qua sane simius et vulpes opponuntur, ut verum fatear, cum aliis alienam iudico a toto hoc loco, qui obscurior fit, non clarior ista doctrina. Nec minus aliena mihi videtur fabula, quam Matthiae respici putat, in Schneideri collectione Fabular. octogesima secunda p. 43. — V. 72. ὀργαῖς, cf. Pyth. I, 89. — ἀτενές, h. e. παντελῶς. Denique ἀμφοτέροις est ambobus, quos inimicos reddere tentat calumnia, alterum apud alterum calumniando; comparant locum Themist. Orat. XXII. p. 277. — Ceterum de calumnia audientibus noxia vid. Plin. Panegyr. 62. — Pergit: Calumniatori vero quae magna oritur utilitas? — V. 78. κερδοῖ. Notabis lusum in κερδοῖ et κερδαλέον sarcasmo inservire, ut saepe παρονομασίαι, παρισώσεις, παρηχήσεις, ὀξύμωρα acerbitatem habent. — V. 79 sq. Nam ut, si immersae sint mari reliquae retis partes, non immergor, suberis instar supra rete, undis. εἰνάλιον πόνον, piscationem, notante Huschkio et Boeckhio e Theocrit. XXI, 39. Porro πόνον ἔχειν et ὀχεῖν notum ex Homero et Pindaro, cf. Damm. Lex. — σκευᾶς ἑτέρας, reliqui retis praeter suber. — Tum iungendum monet Boeckhius: ἀβάπτιστος ἅλμας, notissima constructione, cf. Matth. Gr. p. 647. — ἕρκος, rete, vid. Nem. III, 51. et interprett. ad Eurip. Med. 956. Denique ad φελλός conferes Blomfld. ad Aesch. Choephor. 499. Ceterum quum universus locus de calumniatoribus inprimis propter Polyzeli et Hieronis simultationem adesse videatur, haud dubie aulicorum calumniis auctam, haec tamen verba ita dici non potuissent, nisi etiam Pindarus in suspicionem adductus esset a pessimis hominibus. — V. 81. ἔπος ἐκβαλεῖν, quod alias dicitur de impiis, insolentibus verbis, ut ἐκρίπτειν, porro de iis, quae temere, quae frustra excidunt, quae per indignationem eiiciuntur, saepe etiam de querela vehementiore, cf. Blomfld. ad Prometh. 320. Boeckh. h. l., nunc mihi significat: callide iacere verba calumniantia, quae audiens excipiat. — κραταιόν, quod vim habeat. Nihil enim valent calumniae apud bonos. — V. 82. σαίνων, cf. d. h. v. copiosissime explicantem Blomfld. ad Aesch. Sept. 879. — ἀγὰν πάγχυ διαπλέκει, curvaturam, flexuram callide flectit omni modo, omnem artem tentat. vid. de v. ἀγάν Boeckh. Nott. critt., probante Hermanno. Ad διαπλέκει Huschkius confert Aesch. in Ctesiph. p. 422. ἀντιδιαπλέκει πρὸς

τοῦτο, callidis artibus adversus hoc utitur. Sensus: licet inter bonos non multum efficere possit, tamen omnia tentat, omnibus se applicat, ideoque diligentissime cavendus est. Sic transit ad alteram sententiam: Omnino pravum esse calumniandi morem. — V. 83. θράσεος, ἀναιδείας, Fragm. incert. ap. Boeckh. nr. 158. θρασειᾶν ἀλωπέκων. — V. 84. Adversus inimicum autem ut inimicus lupi more incursionem faciam. — V. 85. ἄλλ' ἄλλοτε πατέων, hic illic incedens, ὁδοῖς σκολιαῖς, viis curvis, obliquis, h. e. modo in dextrum, modo in sinistrum latus per obliquum incursans, ut faciunt tales bestiae pugnantes adversus defendentem se a fronte hominem. ἄλλα πατέων dictum ut ὁδὸν ἔρχεσθαι, alia, cf. Matth. Gr. p. 747. Ceterum Boeckhius addit in Nott. critt.: Hic non dolus est, non simulatio, sed boni militis officium, qui, ut adversarium mendaciis et ficta amicitia non inducit, ita praeter vim arte utitur. Non Christiani hominis haec sententia est, sed Graeci, quam ante Socratem et Platonem probarunt vel eruditi. Add. Gurlitti Excursum ad h. l., locos a Tafelio allatos, et Iacobsium Delect. Epigramm. p. 144. ibique laudatum Stallbaum. ad Phileb. p. 154. — Denique sponte patet Pindarum prima persona uti in sententia generali, docere volentem quid ab omnibus faciendum sit. — V. 86. Ad quodvis genus civilium institutorum verax vir praestat. νόμος, forma reipublicae, ut εὐνομία est bene constituta respublica, cf. Pyth. X, 70. — ἐν pro εἰς. — προφέρει, praestat, eminet, intransitivum est, ut διαφέρειν et προσφέρειν; sic Herodot. VI, 127., πλούτῳ καὶ εἴδεϊ προφέρων Ἀθηναίων. add. Eurip. Med. 1088. Simm. Rhod. Epigr. II, Antholog. Lips. T. 1. p. 136. — V. 87. ὁ λάβρος στρατός, turbulentus populus. Talis igitur ei videbatur democratia. cf. Müller. Dor. II. p. 187. — V. 88. οἱ σοφοί, optimates. Aristocratia prae ceteris Pindaro placet. Ceterum cf. ad h. l. Müller. Dor. II. p. 12. — χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν. Exempla dicti attulit Tafel. Poeta vero nunc addit ultimam sententiam: calumniatores etiam impii in deos sunt, evertere conantes eos, quos deus extollit, veluti quod Polyzelo invident, quem primum bello contra Crotoniatas perdere voluerunt, et quum feliciter redierit, nunc novis calumniis aggrediuntur et Hieroni suspectum reddunt. — V. 89. ἀνέχει, erigit

et sublatum tenet. De significationibus verbi vid. Tafel. h. l. et Hermann. ad Oed. Col. pag. 149. et quae hi laudant. De similibus loquutionibus vid. Mitscherl. ad Horat. I, 34, 12. Add. Pyth. VIII, 77. — ἀλλ᾽ οὐδὲ ταῦτα sqq. Licet fortuna humana per se satis inconstans sit, ne hoc quidem contenti sunt invidi. — V. 90. στάθμας δέ τινος ἑλκόμενοι περισσᾶς. Obscura loquutio. Satis ostendit Boeckhius de trutina cogitari non posse, quum ne illud quidem constet, fuisse hanc significationem voci. Sequendus potius Scholiastes, qui lineam intelligit metiendo inservientem. Videtur proverbialis loquutio fuisse: Magnam lineam trahere (an einer grossen Leine ziehen, schleppen) pr. magnam mensuram secum ferre (ein grosses Maas, einen grossen Maasstab bei sich haben), immodica sperare, cupere. Iam verte: Sed magnum fructum conatuum suorum exspectantes graviter dolent, antequam assequuti sint quae meditantur; in quo significatur impatientia invidiae se excrucians. Ceterum ἑᾷ pr. σφετέρᾳ, quod rarum, cf. Matth. Gr. p. 279. — V. 93. Ferre facile iugum impositum prodest, h. e. debet quisque se continere fortunae finibus ei constitutis nec cupere nimia et maiora. ζυγός de fati necessitate, Hymn. Hom. in Cerer. 217. Vid. etiam Nem. VII, 6. Plura habet Tafel. — V. 94. ποτὶ κέντρον λακτίζειν, cf. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 331. Elmsl. ad Eurip. Bacch. v. 794. Tafel. h. l. — V. 96. ὀλισθηρὸς οἶμος gravius pr. simplici adiectivo, lubricum, periculosum est, cf. Matth. Gr. p. 612. — τοῖς ἀγαθοῖς, placeam bonis et cum bonis vivam, non cum adulatoribus. Dicit de se, quod etiam Hieroni dictum vult.

Carmen Pythium tertium.

INTRODUCTIO.

Victoriae duae, quae hoc carmine memorantur, reportatae sunt Pythiad. 26 et 27, h. e. Ol. 73, 3. et 74, 3. celete. Carmen vero redeuntibus victoriae sollemnibus transmissum Ol. 76, 3., imminentibus Pythiis, paullo ante Pyth. I., ut ostendit Boeckhius. Argumentum hoc est: Utinam Chiro adhuc viveret, ait, Aesculapii olim praeceptor. Hinc transit ad Aesculapii origines, ut nympha Coronis ab Apolline compressa Ischyn Arcadem perdite amaverit eiusque amplexus passa sit, qua re iratus deus Dianam mittit, quae puellam necat, ipse vero, quum corpus cremaretur, infantem cripit et Chironi tradit, qui eum in arte medica erudivit. Sic optime institutus multos sanavit Aesculapius, donec pecuniae cupiditate corruptus mortuum hominem in vitam revocare ausus est, quo facto Iuppiter eum una cum illo fulmine traiecit. Utinam vero, ait, Chiro viveret, ut similem nobis medicum peritum concederet, quem tibi adducere possem: Nunc vota faciam Matri deorum apud aedes meas. Nosti vero, pergit, e fabulis priscis deos bina mala mittere uno cum bono, quare ut tu magna fortuna in ceteris rebus gaudes, sic olim Cadmus et Peleus nuptiis eximie a diis honorati, mala gravissima tulerunt exsilium et luctum domesticum, quum Cadmus trium filiorum interitum deploraret, Peleus unicum filium Achillem. Denique in fine praecipitur, quomodo in hac rerum conditione se gerere debeat Hiero. — Post haec, ut consilium carminis et compositionem paucis indicemus, prius de malis Hieronis monendum est. Ac Boeckhius quidem pulcre perspexit praeter morbum quo tum laborabat Hiero etiam luctum domesticum quo affligeretur fuisse mortuo vel filio vel filia. Idem vero propter Coronidis fabulam tertium addit, taedio rerum suarum de sede regni mutanda cogitasse regem et conditam a se Aetnam se cedere voluisse. Sed in hoc dissentio ab amico meo, qui non credam huiusmodi quid inesse in hac fabula. Primum enim si Hiero sedem suam mutare volebat, alia id narratione mythica dissuasisset poeta, si opus

erat, quam feminae exemplo alium amatorem concupiscentis, et quum per totum Pindarum fabulae accommodatissimae sint praesentibus rebus, haec mihi comparatio nimis dissimilis videtur. Accedit altera ratio haec, quod sic haec pars non respondet reliquo carmini; in reliquo enim carmine nihil de hoc consilio Hieronis legitur, sed de duobus tantum eius malis agitur. Quae quum ita sint, vix dubito aliter fabulam explicandam. Quid enim, si filia Hieroni fuit, quae, quum sponsa esset, postea alius iuvenis amore exarsit? Haec nuperrime mortua erat, et Hiero gravissimo dolore affectus, inprimis quum credidisse videatur, si medici statim affuissent periti, in vitam potuisse revocari puellam. Hoc posito carmen facilem explicationem habet. Poeta quibus tum Hiero malis duobus affligebatur, uno corporis, altero animi, haec in prima carminis parte tractat et in altera. Ac prima quidem pars eam formam habet, quasi de valetudine potissimum dicatur, quemadmodum etiam Boeckhius notavit; nam ab hac orditur et ad hanc redit, quippe quae res aperte tractari posset; filiae autem tristis sors quum tectius significanda esset, ita interponitur et intexitur pulcra de Coronide fabula, quasi nonnisi propter ceterarum rerum nexum inferatur. Quod filia tua nuper periit, ait, passa est non sine culpa sua quod olim Aesculapii mater Coronis similem ob causam, et quod in vitam credis eam fortasse revocari potuisse, lucri quidem cupiditate etiam vetita tentant medici, sed Iuppiter punit tales conatus. Immortalis vita non datur homini. Quam vero laetarer, si saltem duo gaudia tibi afferre potuissem, bonam valetudinem cum epinicio cantu; sed non exstant hodie quales olim mythico tempore fuerunt divini medici; faciam tamen quod possum, invocabo faventem mihi magnam Matrem, ut tibi succurrat; interim etiam hoc malum te habere doleo. Atque haec quidem prima pars carminis est, cuius hoc consilium, ut declaretur Hieronis sors: e s s e s a n e d u o g r a v i a m a l a, q u i b u s r e x l a b o r e t. Exin sequitur altera pars, priori accommodata, quae declaratam viri sortem ad generalem legem suam revocat: Ut rex cum regia fortuna optima nunc duo mala habeat, s i c o m n i n o d e o s u n o c u m b o n o b i n a m a l a t r i b u e r e s o l e r e h o m i n i b u s, eamque communem esse humanae vitae rationem, comprobatam maximorum heroum fatis. Atque haec eximia sententia

est ingeniosum fundamentum carminis, in qua etiam consolatio vera Hieronis inest. Ita proposita vitae humanae immutabili lege, quum mala tolerari debeant, vides bono, quod habeas, uno tibi quam sapientissime utendum. Quod monstrans exitus carminis, quum res humanae fragiles sint, nominis docet per carmina immortalitati esse prospiciendum.

EXPLICATIO.

V. 1 — 7. Principium. Utinam Chiro adhuc viveret medicinae celeberrimus magister. — Chiro, vulgo Saturni et Philyrae filius, Centaurus, antiquissimus apud Graecos medicinae auctor, memoratur iam in Iliade IV, 219. XI, 832. Ab eo se derivabat historico tempore vivens prope Pelium Chironidarum gens, quae medica arte a patre filio tradita gratis aegrotos sublevabat; cf. Dicaearch. d. Pelio monte. Pindarum mire Tafel. intelligit sic: Debebat Chiro regi sanitatem procurare, ut eidem victoriam Pherenicus equus procuraverat. Immo hoc vult: Utinam medicum tibi adducere possem ab ipso celeberrimo medicinae patre eruditum. — V. 2. ἀπὸ γλώσσας, cf. ad Ol. VI, 13. Sensus: Si mihi palam eloqui licet commune hoc votum. Formula modestiae. — V. 4. βάσσαισι Παλίου. Erat nobile Chironis antrum in summo monte; simul tamen imperat Centaurus subiectis regionibus. Ceterum mons medicarum herbarum erat feracissimus. — Φῆρα, ut audiunt Centauri (Hom. Il. I, 268. II, 743. Pind. Fragm. Inc. nr. 44.), haud dubie propter equinam partem corporis, obloquente licet Vossio in Epistolis mythologicis. Talis igitur μιξάνθρωπος etiam Chiro hic et Pyth. IV, 119. Cf. Welcker. d. Aeschyl. Trilog. p. 266. Tafel. h. l. — ἀγρότερον, quum non in urbe viveret, sed in monte. — V. 5. νοῦν ἀνδρῶν φίλον, ut φίλος c. genit. Nem. V, 8. Clarus hic Centaurus humanitatis, hospitalitatis, iustitiae laude. — V. 6. τέκτων, artifex cuiuscunque rei, h. l. indolentiae et sanitatis, cf. Lexica. et v. ἰατροτέχνης et quae Welckerus meus memorat d. Aesch. Trilog. p. 265. — De v. νωδυνιᾶν s. ἀνωδυνιᾶν dixit Boeckh. Nott. critt. — γυιαρκέων, indolentiae artubus

valentis, ut ποδάρκης. — ἅμερον, lenem, ἤπιον, ut sunt ἤπια φάρμακα, ἠπιᾶν, κατηπιᾶν, ἠπιόχειρ, Ἠπιόνη, Aesculapii coniux, ipsumque Aesculapii nomen ab ἤπιος ductum. cf. Boeckh. Nott. critt. Ac notum oppositum ἄγριοι de morbis et vulneribus, v. c. Eurip. Phoeniss. 1663. Hic cf. πραΰς, epitheton Epiones, Anthol. Pal. T. II. p. 708. Coll. Pind. Ol. XIII, 85.

V. 8 — 62. Fabula de Coronide et Aesculapio. Plura vide ap. Müller. Hist. Orchom. p. 199 sqq. et Boeckh. h. l. Pindarus rem ex Eoeis hauserat. — Phlegyas auctor Phlegyarum gentis mythicus, apud quos colebatur Aesculapius. — V. 9. πρὶν τελέσσαι, antequam maturasset, edidisset partui maturum, cf. Anthol. Pal. IX, nr. 358. Eurip. Bacch. 100. — V. 10. Ἀρτέμιδος, quae vulgo feminas necat, ut Apollo viros (cf. Nitzsch. Comment. ad Odyss. I. p. 196. Müller. Prolegom. Mythol. p. 426.), saepissime absque poena alias vero puniens letho ut hic, et Il. XXIV, 606. Et nunc quidem pestilentiam cogitandam esse, quum multi perierint, monuerunt iam Scholia. — V. 11. ἐν θαλάμῳ, ut mulier, domi. — Additum propter τόξα Ἀρτέμιδος, ne sub divo alicubi mortuam credas. — εἰς Ἀΐδα δόμον κατέβα, amplior et gravior formula pr. ἀπέθανεν. — τέχναις Ἀπόλλωνος, auctore Apolline. — V. 12. ἀποφλαυρίξαισά νιν, contemnens Apollinis iram. — V. 13. ἀμπλακίαισι φρενῶν, plurali numero, ut ἀτασθαλίῃσιν, κακοῤῥαφίῃσι νόοιο, ἀεσιφροσύνῃσι, νηπιάας ὀχέειν, ἀνορέαις (Pind. Pyth. VIII, 91.), alia multa, in quo genere pluralis de sensibus, cogitationibus consiliisque aut conatibus dicitur. — ἄλλον αἴνησεν γάμον, alium amatorem, alium concubitum probavit. αἰνεῖν, ἐπαινεῖν γάμον, λέχος similia Eurip. Orest. 1090. 1674. 1688. Add. Blomfld. ad Aesch. Agam. 97. De καταινεῖν vid. ad Pyth. IV, 222. — V. 14. ἀκειρεκόμα, forma reconditior pr. ἀκερσεκόμης cf. Boeckh. Nott. critt. Iacobs. Philostr. p. 510. Intonsus vero Apollo est propter aeternam iuventutem, cf. Tibull. I, 4, 38. Alebat enim comam iuventus usque ad aetatem virilem intonsam, cf. ad Pyth. IV, 82. Apollinis comam Himerius Orat. X. §. 5. describit sic: Κόμη μὲν αὐτῷ χρυσῇ περὶ μέτωπον σχίζεται, πλόκαμοι δὲ ἑκατέρωθεν κατὰ τοῦ αὐχένος καθέρποντες τοῖς

θείοις στέρνοις ἐπικυμαίνονται. — V. 15. σπέρμα καθαρόν; divinum. — V. 16 sqq. illustrat Heynius: „Non accipienda puto, ut omnes faciunt, de nuptiis ab ea occupatis, quorsum enim, ἀλλά τοι ἤρατο τῶν ἀπεόντων? Sed illa amore saucia vitavit omnes aequalium congressus, nec sustinebat interesse sollemnibus epulis et festis, ut quoties deducenda erat sponsa, sed amore absentis amatoris tabescebat, quem mox ubi advenit, in amplexus suos recepit." Similiter Gurlittus. Ad ἐλθεῖν cf. Hom. Il. XXIV, 62. ἀντιάασθε γάμου. — V. 19. ὑποκουρίζεσθαι subblandiri cantibus, s. dulces cantus canere sponsae. Hesych. κουριζομέναις, ὑμεναιουμέναις. Ut vox saepius usurpata videatur de hymenaeis. Add. Lexica. — V. 21. φῦλον — ὅςτις, Matth. Gr. p. 890. — παπταίνει, Ol. I, 114. — θηρεύειν, Nem. XI, 47. Soph. Ant. 92. Add. Tafel. — V. 24. ἀνάταν pr. ἄταν cf. Boeckh. Nott. critt. ad Pyth. II, 14. Buttm. Gr. Ampl. T. I. p. 29. — V. 25. λῆμα Κορωνίδος, cf. de circumscriptione Matth. Gr. p. 797. Monck. ad Eurip. Hippol. 794. Vox apud Pindarum usitata. Vid. de ea Blomfld. ad Aesch. Sept. 444. — ἐλθόντος, quum venisset, addendum fuit propter verba ἤρατο τῶν ἀπεόντων. — ξένου, qui Ischys fuit Elati filius, Arcas, vid. sqq. — V. 27. σκοπόν, Apollinem speculatorem. — μηλοδόκῳ, quum oves mactandae essent ante introitum in aedem, Eurip. Ion. 229. Add. Tafel. — τόσσαις, Doricum, ut videtur, verbum significans τυχεῖν. De eo cf. Boeckh. Nott. critt. Apud Pindarum praeter τόσσαις est ἐπέτοσσε Pyth. IV, 25., et ἐπιτόσσαις X, 33. Eundem Boeckhium vid. d. Dorica v. κοινάν, pr. κοινωνός, ac nota est e lexicis etiam forma κοινᾶνες. — Iam verte: Delphis enim versans sensit rem apud socium integerrimum, omnia scientem animum suum, in quo ἄϊεν est sensit, intellexit, de quo usu vocis monuerunt veteres, cf. Heyn. ad Hom. Il. XI, 532; et παρά dictum ut dicitur σκοπεῖσθαι, γιγνώσκειν παρ' ἑαυτῷ, v. c. Demosth. Philipp. IV, P. 136. — πιθών, confisus, obsequutus, ut Isthm. III fin. legitur πεπιθών, cf. Boeckh. Nott. critt., immerito dubitante Buttmanno Gr. ampl. T. II. p. 207, quum πιθών et πεπιθών non differant. Probatum aliis γνώμαν πιθών, persuadens sibi, licet nolens, nec per se bene clareque dictum esset; nec his verbis apte interpositum: Sensit

sibi persuadens; quum alterum a voluntate pendeat, alterum non pendeat. Illud vero optimum: non vidit oculis neque accepit a corvo, ut vetus traditio erat, sed soli mentis cognitioni confidit. Nam illud quidem dubitari non potest, Pindarum, qui spernens corvum digniora de suo hic substituit (cf. Schol. et Gurlittum atque Boeckhium), ea de causa cumulate loqui, pluribus verbis id ipsum inculcantem, quod verius iudicabat. Quare etiam *κοινᾶνα εὐθύτατον* oppositionis causa propter corvum addidit, qui Phoebeius ales et comes tripodum (Stat. Theb. III, 506.), et *θεράπων καὶ ἀκόλουθος Ἀπόλλωνος*, cf. Iacobs. Delect. Epigr. p. 389. Concidit sic Heynii reprehensio, nimis ornatum locum esse. — V. 29. *ψευδέων δ' οὐχ ἅπτεται*, cf. Pyth. IX, 42. Sensus: Non fallit deus nec fallitur. Add. Tafel. — V. 32. *ἄθεμιν δόλον*, impia furta. — *μένει θύοισαν ἀμαιμακέτῳ*, ira vehementi furentem, ut pestilentiam excitaret. — V. 34. *Λακέρεια* sita in campo Dotio Thessaliae ad paludem Boebiadem, quas regiones perspicue describit Müllerus Hist. Orchom. p. 192. — *κρημνοῖσιν*, Ol. III, 22. — De *ἕτερος* pr. infestus, adversus, vid. inprimis Bentl. Opusc. p. 20. ed. Lips. add. Heyn. h. l. Sensus: malum fatum, infestus daemon, ad culpam qui illexerat, domuit eam, h. e. nefaria insania feminae fuit etiam interitus causa, quo Diana eam multavit. Constat enim magnam caecitatem mentis et insaniam, qua homo in apertam perniciem ruit, veteribus a daemonis vi adversa derivari, qui mentem perturbaverit. Quare *δαίμων ἕτερος* nunc non est Diana. — V. 36. *ἐπαῦρον*, damnum inde ceperunt. De verbo cf. Aesch. Prometh. Blomfld. p. 80 et 177. Buttm. Lexil. I. p. 76 sqq. — *πολλὰν δ' ὄρει* sqq. Et ex tenui scintilla irruens flamma silvam montanam consumpsit ingentem, h. e. unius feminae delicto magna populi strages facta est. Ut solet culpa unius alios in perniciem trahere etiam innocentes; cf. Hesiod. Op. et D. 238. et Aesch. Sept. 601 sqq. Similiter, credo, etiam Syracusis tristis fortuna puellae alios complures in perniciem traxerat, saeviente Hierone in eos, quibus culpam infelicissimi casus tribueret. Pindarus autem, ni fallor, primam et maiorem culpam filiae ipsius fuisse monet, cf. v. 20 sqq., ne pergat rex punire alios. — *σπέρμα*, Ol. VII, 48. — *ἐνθορόν*,

insiliens, irruens in silvam. — V. 38. τεῖχος ξύλινον, proprie dictum Thucyd. II, 75., hic de rogo est, ornate. Virg. Aen. VI, 177. rogum aram dixit. — V. 39. σέλας Ἀφαίστου, ut saepe dicitur πυρὸς σέλας cf. Schütz. et Blomfld. ad Aesch. Prometh. v. 7. ipsumque Ἀφαίστου σέλας Tafel. laudat e Nonn. Dionys. 36, 131. Constat vero Ἥφαιστον dici de magno igne. — λάβρον saepe de igne dictum illustrat idem Tafelius. — V. 40. οὐκέτι τλάσομαι ὀλέσσαι, non amplius sustinebo perdere. — ἁμόν, cf. Blomfld. ad Aesch. Sept. 413. Buttm. Gr. ampl. I. p. 298. — Tum pr. σὺν ματρί dixit ματρὸς σὺν πάθᾳ, matris cum s. in gravi exitio. — V. 43. βάματι δ' ἐν πρώτῳ, quum summa celeritate opus esset. Quare alieni fuissent tres quattuorve passus Homerici; vid. Boeckhium, Gurlittum et quos hi laudant. — διέφανε, noli ita intelligere cum quibusdam, rogum perlucere fecisse feminam, ut deus cernere et parvulum eripere posset. Quod nihili est. Immo φαίνειν quum sit lucem edere, lucere, ut de sideribus aliisque luminibus, Pindarus διαφαίνειν dixit pr. disiuncte lucere, via facta deo, quod magnificum. Atque ita Schol. et interprett. — V. 47 sqq. subiicitur locus de curatione morborum. „Designantur non chirurgica solum, sed etiam medica," Boeckhii verba sunt. Ac chirurgica opera Aesculapius curat ulcera sponte nata et vulnera ferro vel ictu lapidum illata; medicam adhibet morbis acutis vel longis, quos aestus et frigus, sive tempestatum intemperies maxime affert. Remedia ipsa partim incantamenta sunt, quae nostri sympathetica dicunt, partim potiones, fomenta, emplastra extrinsecus admota, praecipue herbae, postremo sectio. Omisit alia veteribus usitata, qui fere τῷ τέμνειν iungere solent τὸ κάειν καὶ τὸ ἰσχναίνειν. — ἑλκέων ξυνάονες, κοινωνοί. Vocis varia exempla vid. ap. Tafel. Nunc ulcerum socii sunt ulceribus affecti, ut συνεῖναι, συνοικεῖν, συνναίειν κακοῖς dicitur saepissime. Cf. praeterea κακογείτονα στόνον Soph. Philoct. 693. αὐτοφύτων additum vides propter oppositionem sequentium. — Verba περθόμενοι δέμας Heynius de membris aestu aut frigore vitiatis intelligit, quo proxime ducere videtur oratio; verum ita nihil est in toto loco, quod clinicam operam desideret, quum tamen potiones memorentur et infra θερμαὶ νόσοι, ut nota-

vit etiam Gurlittus. Verius igitur et interna et externa mala corporis innui statues. — V. 50. *θερινῷ πυρί*, inprimis Sirii aestu. — V. 51 sqq. De medicamentorum generibus, quorum praecipue mentio fit apud veteres, vid. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 488. Memorantur autem *φάρμακα, χριστά, παστά* s. *ἐπίπαστα, πλαστά, βρώσιμα, πότιμα*, quibus ad unguendum, inspergendum, emplastro obtegendum, edendum, bibendum utebantur. Accedunt *ἐπῳδαί*, quibus utebantur nunc solis, nunc una cum aliis medicamentis. Vid. Boeckh. ad h. l. et Blomfld. ad Aesch. Prometh. 180. et Tafel. h. l. — *μαλακαῖς*, lenibus, proprium de remediis, cf. Pyth. IV, 271. Nem. III, 55. — *ἀμφέπων*, curans, ut cetera participia cum *ἔξαγεν* construe; unde comma post hoc verbum posuimus. — V. 52. *προςάνεα πίνοντας*, potiones lenientes, quae sunt *πιστά, ποτά, πότιμα φάρμακα*. — Ipsum vero *προςηνής*, lenis, placidus, etiam medicum verbum est, cf. Foësii Oeconom. Hippocrat. in v. — *γυίοις περάπτων*, quae *πλαστά* sunt vel *πλάσματα*, praecipue herbae, ut Philoctetae vulnus Machaon herbis illigatis sanat, cf. Schol. Pyth. I, 109. notante Boeckhio. Ceterum *γυίοις* primo loco positum, quum haec externa opponantur potionibus. — *περάπτων*, h. e. *περιάπτων*, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. VI, 38. Ceterum ductae ab hoc verbo voces *περιάμματα, περίαπτα*, medicamenta alligata corpori, sive amuleta, cf. Foës. Oecon. Hippocrat. in v. — V. 53. *ἔστασεν ὀρθούς*, restituit aegrotos iacentes, ut surgerent. Cf. obiter *ὀρθοῦσθαι* Soph. Philoct. 820. Denique notabis transitum ad verbum finitum post participia, de quo monitum Ol. I, 14. Et hic quidem oratio suavissime sic exit nervosior. — V. 54 sqq. De Aesculapio mortuum in vitam reducente vid. Schol. h. l. et Heyn. ad Apollodor. III, 10, 3. Mercede id captum Aesculapium fecisse recentior fictio est, ait Boeckhius, haud dubie a medicorum avaris moribus profecta. Eos in Graecia magno pretio conductos esse docuit idem d. Oeconom. civit. Athen. T. I. p. 132. — *κέρδει*, lucri cupiditate. — *δέδεται*, Nem. XI, 45. — V. 55. *καὶ κεῖνον*, ut alios. — *ἀγάνορι μισθῷ*, magnifica mercede et pretio corrupit eum. — *ἤδη ἁλωκότα*, scil. *θανάτῳ*, ut saepius Homerus. — *ἔτραπεν κομίσαι*, eo adduxit, ut restitueret, veluti Il. IX, 600, *μηδέ σε δαί-*

μων ἐνταῦθα τρέψεις. — κομίσαι ἐκ θανάτου, revocare, restituere, ut ψυχὰν κομίξαι N. VIII, 44. Ceterum qui fuerit iste incertum, quum plura nomina afferantur. — V. 57. δι᾽ ἀμφοῖν per Aesculapium et per resuscitatum. ῥίψαις scil. κεραυνόν. Et χερσί auget vim verbi. — V. 58. ἐνέσκιμψεν, inflixit. Herod. I, 105. Blomfld. ad Aesch. Pers. 107. — V. 59. μαστευέμεν θναταῖς φρασίν, expetere modesta mente, opinor; Eurip. Alcest. 809. ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών. Add. Anthol. Gr. Tom. XII, p. 233. — V. 60. τὸ πὰρ ποδός, praesentem conditionem. Ceterum cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. I, 74. de hac loquutione. — οἵας εἰμὲν αἴσας cf. Matth. Gr. p. 622. — V. 61. φίλα ψυχά, se ipsum alloquitur, Hieronis causa haec dicens. — σπεῦδε cum accus. pr. appete, quaere, ut alias, cf. Herodot. VII, 53. — ἄντλει, d. verb. cf. Monck. ad Eurip. Hippol. 902. Gatak. ad M. Anton. IV, 50. Ceterum consilium loci quale mihi videatur, breviter iam in Introductione indicavi. Erant medici qui dicerent, si statim advocati essent, in vitam se revocaturos fuisse puellam repente mortuam; et rex credebat iis. Unde Pindarus monet lucri cupiditate etiam vetita polliceri et tentare medicos, sed esse talia contra fatorum ordinem et displicere diis. Sunt enim hic omnia ad eundem illum filiae casum referenda, de quo tota antecedens fabula.

V. 62 — 79. Redit post interpositam fabulam ad principium et absolvit sententiam inchoatam. — σώφρων optime explicat Boeckhius: qui nihil immodici tentaverit, ut Aesculapius mortui curationem molitus. Talem enim medicum, non alium probare debet post antecedentia dicta. — V. 64. φίλτρον cet., et si quod delinimentum animo eius dulces hymni mei instillarent, ut captus cantu audiret preces meas, persuasissem, ut etiam nunc medicum divinum mitteret hominibus, disciplina sua institutum. — V. 66 θερμᾶν νόσων, cf. θερμαίνεσθαι de febrili calore ap. Foës. Oecon. Hippocrat. Talis igitur Hieronis etiam morbus tum fuit. Atque in Scholiis quidem de febri vel podagra vel calculo dicitur; quum calculo laboraret rex Aristotele teste in Schol. ad Pyth. I, 89., gravior tum forte videri potest fuisse hic morbus, orta inflammatione et febri. — V. 67. Λατοΐδα κεκλημένον ἢ πα-

τέρος, sive aliquem Apollinis filium, qualis Aesculapius fuit, sive Iovis. Similiter κεκλημένος, notante Hermanno et Boeckhio, in Eurip. Rheso 298. Soph. Electr. 358. — V. 68. Ἰονίαν θάλασσαν appellat, ait Boeckhius, quod Thebis Syracusas brevissima navigatio per sinum Corinthiacum et mare Ionium est, non circum Maleam Peloponnesi. — Ἀρέθουσα in Ortygia erat, ubi etiam Hieronis regia domus; cf. Pyth. II, 6. — V. 70. νέμει, regnat Syracusis. — V. 71. ἀστοῖς, civibus urbium subiectarum. — οὐ φθονέων ἀγαθοῖς, mali enim tyranni invidentes, cf. Herod. III, 80. et Corayum in not. ad Soph. Oed. Reg. 1513. apud Erfurdt. Extollit vero has virtutes Pindarus, notante etiam Boeckhio, admonens simul Hieronem, ut talis semper sit. — ξείνοις θαυμαστὸς πατήρ, hospitibus aulam eius adeuntibus, maxime poetis, longe benignissimus. — V. 72. διδύμας χάριτας, h. e. χάρματα. Videbimus vero statim, non duo gaudia dare deos uno cum malo, sed duo mala uno cum bono. — V. 73. εἰ κατέβαν, si appulissem. Satis notum καταβαίνειν esse in portum descendere ex alto. — κῶμος dicitur αἴγλα στεφάνοις ἀέθλων Πυθίων. Comissationem epiniciam adducit poeta carmen afferens, comissationi inserviens. — V. 74. ἐν Κίῤῥᾳ, in hippodromo Delphico prope Cirrham. — ποτέ, quum victoriae pluribus Pythiadibus ante reportatae essent, vid. Introd. — Pherenicum vidimus Ol. I. — V. 75. ἀστέρος οὐρανίου — φάος, sideribus splendidior, laetior lux, in quo φάος pr. gaudio et felicitate, et ἀστὴρ οὐράνιος pr. stella omnino. Ceterum universus hic locus, pulcre exornans quae fieri non possunt, praeterquam quod voluntatis amicitiaeque poetae significationem habet, eo maxime placet meo iudicio, quod fallebat suaviter aegroti animum imagine, specie rerum proposita laetiori, quod inprimis iucundum in hoc carmine, ubi fatalis necessitas vitae humanae proponitur. — V. 77. Sed quum Chiro non vivat, nec adsint mythici medici, faciam quod facere possum. — V. 78. Ματρί, magnae Matri Deorum, quam una cum Pane colebat Pindarus hereditario cultu, in sacello ante aedes suas ab ipso dicato, ibique Parthenia cantata a virginibus Thebanis, inter quas Pindari filiae Eumetis et Protomache, cf. Boeckh. ad Fragment. Pind. p. 591. Müller. Dor. I, 345. Welckerus ad Philostrat. p. 465. censet κούρας

hic esse Nymphas, quae cum Pane Matrem Deorum nocturna saltatione celebrent, ut dicuntur *κόραι Ἀσωπίδες*, *Κωπαΐδες*, *πηγαῖαι* pro Nymphis. Sed ego dubito *κούρας* sine tali epitheto usquam pro Nymphis dictas; ferrem, si *κοῦραι* hae Matris Deorum filiae essent; quod autem non est. Deinde permirum Nymphas, quas in agris, montibus, silvis degere et saltare scimus, ipsam urbem Thebarum intrare cum Pane, idque saepe. Denique de huius cultus ratione fatendum nos accuratiora nescire. Mirum quidem videri potest virgines Thebanas noctu Metroaca canere; sed quidni pervigilia, eaque castis moribus non adversa, coniuncta esse potuerint cum his sacris, sicut cum Cerealibus. Huic autem Deae Pindarus vota facere vult, quum sit *νόσων αὐξητική* et *μειωτική* secundum Scholia. Num sollemnia vota promittit carmine in sacello canendo?

V. 80 — 103. P a r s a l t e r a c a r m i n i s. R e v o c a t u r H i e r o n i s s o r s a d u n i v e r s a m v i t a e h u m a n a e l e g e m. — Orditur sic: „Si vero traditionum priscarum intelligere caput altum didicisti, h. e. si altiora, si sapientiam quae inest in fabulis intelligis, nosti uno cum bono bina mala deos mittere.“ Verisimile est hoc dictum esse veteris alicuius poetae. Quum enim dii sine malo sint, homines non aequam habent boni malique partem, sed sunt *ὀϊζυροί*, *δύστηνοι*, *πολύπονοι*, *πολύστονοι*, quibus aliisque frequentibus epithetis quid significatur nisi plus mali esse inter homines quam boni? Unde poetarum aliquis vetustior, fortasse Hesiodus aut Hesiodeae Scholae unus, ingeniosum dictum pronuntiaverat de binis malis uni bono additis. Pindarus autem nunc ad ipsas fabulas provocat, quibus hoc comprobetur, in quibus haec lex expressa sit. *λ ό γ ο ι* sunt fabulae et traditiones priscae omnino, sive a poetis tractatae sive populi memoria traditae (cf. de voce C r e u z e r Historische Kunst d. Griechen p. 173); omnis sapientiae et cognitionis altioris fons apud Pindarum. — *λ ό γ ω ν κ ο ρ υ φ ὰ ὀ ρ θ ά*, singulari numero, quasi vertex altus fabularum, nihil videtur aliud esse quam interior sensus earum, ac ni fallor poeta in sequentibus ipse quid dicat explicat. Potest aliquis Cadmi et Pelei fabulas nosse, sed sapientiam in iis expressam tum demum attigerit, si legem fatalem vitae humanae in iis conspicuam intellexerit, atque ita in omnibus fabulis altiora quae insunt ethica et religiosa *κορυφὰν λόγων* recte dixeris. Ac vulgus quidem talia non

novit, at si penitius discere consuevisti, ait Pindarus, etiam hoc cognovisti in iis traditum. — προτέρων, cf. Matth. Gr. p. 687. — Ad σύνδυο mire annotat Tafel.: vix inde sequi puto duplici calamitate regem afflictum; immo universum carmen hac ipsa re nititur, quod plane ineptum esset, nisi revera Hiero tum duo mala uno cum bono habuisset. V. 82. τὰ μὲν ὦν, haec plura mala. — κόσμῳ, κοσμίως, idem καλῶς, εὖ φέρειν, constanter et sapienter. — τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω, proverbialis loquutio, cf. Casaubon. ad Theophr. Charact. 22. Schol. ad h. l. v. 147. Add. similia dicta ap. Tafel. Sensus: non nimis indulgere aegritudini, sed hanc quidem premere et occultare, et prae se ferre laetiorem partem fortunae. Videtur autem Hiero admodum tristis fuisse. Neque enim dubium simul admoneri regem qualis esse debeat, etsi primo adspectu Pindarus nonnisi laudare videatur. — V. 85. δέρκεται, favet, cf. ad Ol. VII, 11. Nota vero ὄλβον regium nunc esse bonum illud, quod Hiero habeat cum duobus malis. Huc pertinent etiam victoriae curules divitiis regiis partae, veluti idem in antecedenti carmine vidimus. Consulto hoc addo; nam huius carminis ratio unum tantum, non plura bona, admittit. — V. 86. εἴ τιν', Ol. I, 54. — ὁ μέγας πότμος, potens fatum; Nem. IV, 42. πότμος ἄναξ. — ἀσφαλής, ἄπταιστος, sine malis. — V. 90. ἐν ὄρει, in Pelio monte constat celebratas nuptias Pelei et Thetidis; cf. Nem. V, 22. Catull. Epithalam. Eurip. Iphig. Aul. 1036 sqq. — De Cadmi et Harmoniae nuptiis vid. Eurip. Phoeniss. 826. ibiq. Barnes. — V. 92. εὐβούλου, de vaticinandi arte accipe, ut εὔβουλος Θέμις Isthm. VII, 32, et Τειρεσίαο βουλαί Isthm. VI, 8. Et Πρωτεὺς πολύβουλος Orph. Hymn. 24, 4. Ceterum vaticinari Nereum constat, cf. Hesiod. Theog. 233. Eurip. Hel. 15. Horat. 1, 15. — Ad v. 93 sqq. cf. Nem. IV, 66 sqq. et add. loc. laudatt. ap. Tafel. — V. 95. Διὸς χάριν, per Iovem, cf. ad Ol. XIV, 20. — V. 96. ἐκ προτέρων μεταμειψάμενοι καμάτων, ex prioribus malis egressi, exsilii puta aerumnis, quum alter ex Aegina, alter e Phoenicia exsularet. — ἔστασαν ὀρθὰν καρδίαν, erexerunt iterum animum et confirmarunt; Eurip. Alcest. 1203, ὀρθὸν κρᾶτ' ἱστάναι, erigere caput. Herod. IV, 129. ὀρθὰ ἱστάναι τὰ ὦτα.

Supr. v. 53. ἔστασεν ὀρθούς. Et sic alias. Hinc metaphorice. — ἐν δ' αὖτε χρόνῳ sqq. Sensus: Postea vero Cadmo tres filiae, Ino, Agave, Antonoe, gravibus casibus suis partem felicitatis iterum abstulerunt; nam partem servavit Semela Iovis connubio dignata. Haec cur ita dicta sint, tum demum penitus intelligas, si Hiero praeter mortuam filiam etiam aliam habuit, et poeta opportune simul illud monere regem voluit, quod altera eripuerit gaudii, alteram reddere posse aliquando. Hinc est quod Semelae opponit sortem, quum alias hic de tristibus tantummodo rebus dicendum fuisset, ac μέρος εὐφροσύνας dicit abstulisse tres, non εὐφροσύναν simpliciter, ut etiam Hiero sentiat non omnem sibi felicitatem ablatam. Post haec mecum reiicies Tafelii explicationem verborum εὐφροσύνας μέρος,. felicitatem in cuius possessionem venerat (seinen Antheil am Glück raubten wieder die drei); sic enim illae tres totam quam habebat abstulerunt, manifesto vel iis repugnantibus, quae statim de Semela dicuntur. Ceterum Cadmi filiarum casus notissimi; notabis tamen Semela nunc aliter uti poetam quam Ol. II, 25. — Denique ad ἐρήμωσαν cf. Matth. Gr. p. 765. — V. 100. ὅνπερ μόνον sqq., quem unicum filium ei pepererat Thetis; alias fabulas spernit hic Pindarus. — τόξοις, scil. Apollinis, cf. Heyn. ad Il. X, 359. — ὦρσεν — γόον, communem Graecorum luctum excitavit. ὄρσαι γόον nota phrasis ex Homero. — ἐκ Δαναῶν, excitavit e Danais; cum vi. — Denique ad universum locum illud recorderis velim, doceri a Pindaro bina mala dari uno cum bono, quod ceterum diverso modo fieri potest. Atque Hiero quidem uno tempore haec coniuncta habet; Peleus autem et Cadmus in prima parte vitae exsilii aerumnas tulerunt, in fine luctum domesticum, mediae interpositae fuerunt nobilissimae nuptiae. Nam plane non dubium fabulas dicto respondere debere; nititur hoc omnis demonstratio. Debent omnia omnino in hoc carmine accurate cum hoc dicto convenire, in quo poetica vis eius inest.

V. 102 — fin. Exitus carminis, qui unam sententiam habet hanc: Utere igitur bonis quae habes ad gloriam post mortem per poetarum carmina tibi parandam. Etenim post antecedentia quid restabat monendum? Ut agnoscens Hiero propositam vitae humanae immutabilem sor-

tem nollet propter mala etiam bonum contemnere temere quod haberet, ὄλβον regium dicit, sed hoc interim uteretur quam posset optime. Atqui ad res gerendas, ut quibusdam visum, aegrotum regem hortari non poterat, et satis habebat laudis in hoc genere Hiero; hortatur igitur ad liberalitatem et munificentiam, ut poetas celeberrimos in aulam suam congregare pergens futurae gloriae prospiciat, et huic vitae, cuius vim immortalem reddere non possit, memoriae immortalitatem comparet. Nihil novi accommodatius hoc exitu. — V. 103. εἰ δὲ νόῳ τις ἔχει sqq., si quis mortalium veritatis viam mente tenet, h. e. veram viam et rectam rationem agendi; cf. Ol. VII, 46. λάθα παρέλκει πραγμάτων ὀρθὰν ὁδὸν ἔξω φρενῶν, ut saepe ὁδός ac κέλευθος de agendi ratione, Ol. VII, 91. Nem. VIII, 35. Et ἀλαθείας ὁδοί similiter Isthm. II, 10. At apud Eurip. Fragment. Bellerophont. τῆς ἀληθείας ὁδός est ratio a fallaciis aliena. ἔχει νόῳ, Isthm. I, 40. νόῳ φέρει. — Pergit: Is igitur debet εὖ πασχέμεν, felicitate, bonis quae habet gaudere et iis uti. Sic ap. Theognid. v. 108. τῶν αὐτοῦ κτεάνων εὖ πασχέμεν est genio indulgere ex opibus suis, et ap. Pindar. Nem. I, 37. ἐόντων εὖ παθεῖν. Vult autem Hieronem laete frui divitiis inter amicos et poetas, ut mox videbis. — πρὸς μακάρων τυγχάνοντα, ubi quid boni a diis consequatur, cf. τυχεῖν Ol. II, 51. — Pergit: facile vero mutantur venti, felicitas enim magna non durat diu, quo magis tempore utendum est. — ὄλβος, asyndeton, explicandum per γάρ. — πάμπολυς ἐπιβρίσαις, copiosa ingruens, et ubi tam magna est, ut tua, o rex. Ad ἐπιβρίθειν cf. Blomfld. Aesch. Sept. 141. Tafel. h. l. add. Lexica. Proprium βρίθειν de magna copia et divitiis. — V. 107. σμικρὸς ἐν σμικροῖς, μέγας ἐν μεγάλοις ἔσσομαι, in modica fortuna modice me geram, magnifice in magnifica, h. e. non potest magnos sumptus facere qui pauper est, at regius vir dives et opulentus debet liberalitatem et munificentiam ostendere. Neque enim quidquam hic praecipitur, quod ad superbiam pertineat. Cf. Eurip. El. 407. ἐν σμικροῖς ὤν. Ceterum prima persona hic et in sequentibus utitur ut saepe, alium admonens. — V. 108. τὸν ἀμφέποντ' — μαχανάν, Fortunam, quae quoque tempore praesto est, colam pro virili. — δαίμονα ἀσκεῖν, vim divinam s. fortunam me prosequentem non

contemnam, sed venerabor, utar ut possim, *κατ' ἐμὰν μαχανάν*, ut alibi dicitur *πάσῃ μηχανῇ*. Conferas autem formulas *τὸ παρὸν εὖ τίθεσθαι, ἀγαπᾶν τοῖς παροῦσι*, quod adest memento componere aequus, de quibus v. Hemsterhus. ad Lucian. Necyom. III. p. 365. Bipont. et Interprett. ad Horat. Od. III, 29, 32. Ad *ἀσκεῖν* cf. Ol. VIII, 22. — V. 110. Non ad aliam rem venit, quod sic repente fieri non posset, sed quae generaliter dicta erant ante nunc definitius explicat. Si autem, ait, divitias deus praebeat, spero me gloriam magnam inventurum in posterum, h. e. si autem divitias magnas deus alicui obtulerit, ut tibi, potest is liberaliter iis utendo magnam gloriam per poetas sibi parare. Nestor et Sarpedon immortales sunt per poetarum carmina; hoc tu quoque tibi parare potes; paucis id assequi datum. Commendat igitur liberalitatem adversus poetas, monstrante nexu, sed ut par erat, magis indirecte significans quam aperte, ne ipse immodestior videatur. — *πρόσω*, in posterum, et nunc et post mortem. Porro cur Nestorem et Sarpedonem nominat? Nempe ut Pyth. II, 63. laudantur in Hierone iuvenile *θράσος πολέμων* et *βουλαὶ πρεσβυτέραι*, sic etiam hic. Poetarum carminibus, ait Pindarus, et bellicarum rerum laus, quas gessisti florente aetate, et senilis sapientia tua celebrabitur, et clara habebitur ut illorum heroum memoria. In quo Sarpedonem laudat, quum Syracusae colonia Corinthi essent, Corintho autem oriundus Sarpedon, cf. Ol. XIII., ut solent propinqui heroes conferri, si tales adsunt; Nestorem vero addens simul admonet, qualis etiam in hoc genere esse debeat. — V. 113. *φάτις* pr. *φάτιας*, sermo pervulgatus, fabula hominum. — *τέκτονες*, artifices, cf. Boeckh. h. l. Iacobs. ad Anthol. gr. Lips. T. VIII. p. 74. T. X. p. 46. T. XI. p. 75 sqq. et Tafel. ad h. l. Dicitur enim *τεκτοσύνη* et *τεκταίνειν* de compositione poetica, et *τέκτονες ὕμνων, ἐπέων* sunt poetae. At Nem. III, 4. *τέκτονες κώμων* sunt choreutae. — *ἅρμοσαν*. Ut *μέλη ἁρμόσατο* Simonid. nr. 49. Anthol. Gr. Lips. T. I. Et Erycius T. III. nr. 14. — V. 115. *πράξασθαι*, hoc ut celebrentur a poetis, atque ita immortales fiant. Cet. cf. Mitscherl. ad Horat. 4, 8, 22.

Carmen Pythium quartum.

INTRODUCTIO.

Arcesilaus originem deducebat ab Euphemo Taenario, Neptuni filio, Minyarum e gente, qui in reditu Argonautarum e Lemnia Malache s. Malicha genuerat Leucophanem; inde descendens quartus ab Euphemo Sesamus s. Samus Therae in condenda colonia Therae fuerat socius. Huius filius Euphemus alter dictus, a quo descenderat decimus septimus ab Euphemo gentis auctore Polymnesti filius Aristoteles s. Battus. Battus Cyrenem condiderat circ. Ol. 37. Successerat Arcesilaus I., Battus II., Arcesilaus II., Battus III., Arcesilaus III., Battus IV., et nunc quidem Arcesilaus IV., octavus a Batto primo, est is, de quo agitur. De fabulis et historia gentis cf. Boeckh. h. l., Müller. Orchomen., et Res Cyrenensium novis curis illustratas a Ioann. Petr. Thrige Hafn. 1828. — Victoria curulis Arcesilai, quae hoc et sequenti carmine laudatur, parta est Pyth. 31. Ol. 78, 3. Et illud quidem carmen cantatum in sollemni reditu pompae victorialis in urbem, hoc aulae regiae destinatum fuit, ut in convivio caneretur, transmissum una, scriptum vero Damophili Cyrenaici hortatu, ut videtur. Quum enim Arcesilaus, rex fortis et bellicosus, promptus ad iram et severitatem, seditione nuper orta durius saeviisset in principes quosdam viros atque etiam in Damophilum cognatum, Pindarus huic in exsilium pulso et Thebis viventi veniam impetrare cupit hoc carmine. De quibus rebus item Boeckhius dixit. — Argumentum hoc est: Initio carmen dedicatur diis Delphicis, ubi oraculum datum sit, ut Battus Cyrenem conderet, et Medeae priscum vaticinium perficeret. Dixerat autem Medea ita: E Thera insula Libyam radicem urbium petituram, cuius cives equis curribusque insignes forent. Ad lacum enim Tritonidem quum Argonautae versarentur, Euphemo oblatam esse a deo humanam speciem gerente glebam hospitii tesseram, quae si servata esset et domum ab Euphemo relata ad Taenarum Peloponnesi,

quarta aetate posteros habituros fuisse Libyam; nunc autem quum navi delapsa iaceat in Thera, primum eos hanc insulam occupaturos ex peregrinis feminis natos, postea Delphici oraculi iussu in Libyam traiecturos. Atque ita factum, pergit Pindarus. Battus postea iussus est Libyam petere, a quo nunc octavus est Arcesilaus. — Exin ipsam Argonautarum expeditionem enarraturum se dicit. Pelias Iolci rex, qui Aesoni regnum eripuerat, monitus erat oraculo Delphico, ut caveret virum *μονοκρήπιδα*. Fuit hic Iason, Aesonis filius, qui educatus in antro Chironis, inde adulta aetate redux, grandi statura, intrepido animo processit in forum Iolci. Interrogatus a Pelia territo quis sit, placide at fidenter respondet redire se, ut regnum sibi debitum recuperet. Tum patris domum monstrari sibi iubet, ibique quinque dies cum propinquis, qui ad famam reducis iuvenis convenerant, laete peragit; sexto die consilio cum iis communicato adit una cum iis Peliam, haec loquutus: Pactis, non armis res nostras dirimamus, quum cognati simus; concedo tibi agros et greges, at thronum et sceptrum patris redde. Pelias accipit conditionem, ita tamen, ut Iason prius in Colchidem proficiscatur ad Phrixi animam reducendam, quam ipse iussus sit reducere, sed propter aetatem non possit. Promittit rém Iason; nec mora, statim paratur expeditio, heroibus multis undique convenientibus; et omine fausto accepto proficiscuntur, superatisque feliciter Symplegadibus ad Phasin perveniunt. Ibi Venus incantationem docuit Iasonem, qua Medeam sibi conciliaret; haec consiliis et veneficiis ei succurrit. Sic boves sub iugum cogit ignem exhalantes, et sulcum imperatum ducit, et draconem velleris custodem occidit, ipsumque vellus recuperat. Exin Pindarus contracta narratione paucis subiicit, ut per Oceanum reversi postremo Lemnum venerint Argonautae, ubi sata sit Battiadarum stirps, quae postea Lacedaemonem profecta hinc Theram migraverit indeque in Libyam. Finita narratione ad Arcesilaum conversus, hunc pluribus verbis monet, ut lenitate utatur in turbis civilibus componendis, nec gravius saeviat in principes, inprimis vero Damophilo veniam impertiat, viro egregio, qui procul a Cyrenis in exsilio vivere coactus redire cupiat ad patrios lares. — Enarrato argumento, ut de consilio poetae dicamus carminisque summa sententia, optime et verissime Boeckhius maxime noster

monuit agi in hoc carmine de lenitate et clementia in civilibus turbis componendis adhibenda, eiusque rei exemplum in Iasone proponi. Profecto enim Iason est mythicum παράδειγμα, quod Arcesilao proponitur, idque nemini dubium esse potest, qui Pindarum cognitum habet; sic supra Hieroni exempla proponi vidimus, atque alia videbimus infra aliis in carminibus aliis proposita; nisi quod Iasone pulcrior persona heroica non exstat apud Pindarum. Sed explicabimus poetam paullo diductius. Igitur in prima parte carminis (V. 1 — 67.) declaratur fortuna Arcesilai Apollinis maxime numini debita. Tulit Arcesilaus ludicram victoriam Delphis; idem vero ut regiam potentiam Cyrenis habeat, factum Apollinis oraculo, qui Euphemidas in Libyam misit regnumque dedit olim a Medea praedictum, quod nunc inde a Batto hereditario iure possidet gens. Post primam partem proponitur in altera Iasonis pulcherrimum exemplum, de quo nunc videamus. Quid igitur inest in Iasone? Cum robore et fortitudine insigni moderatio summa in summo iure. Procedit in forum Iolci florente aetate, mirantur omnes staturam ingentem, loquitur intrepide et fidenter, suscipit sine haesitatione expeditionem longinquam et periculosam; rem fortiter exsequitur. Idem vero aspernatur arma et vim inferre Peliae cognato, qui regnum occupaverat sibi patrique iure hereditario debitum, loquitur placide cum raptore fortunae, thronum sceptrumque reddi iubet, divitias donat. Nihil in suo genere amabilius. Hinc etiam dii eum eximio favore prosequuntur, ut in expeditione Colchica luculenter apparet. Convocat Iuno heroes comites, tonitru fausto respondet Iuppiter, adiuvant iuvenem Neptunus et Venus. Comparabimus nunc Arcesilaum. Erat etiam hic florente tum aetate et eximio robore ac fortitudine, ut in sequenti carmine (v. 106) dicitur ἀγωνίας, ἕρκος οἷον, σθένος. Quae res quanquam hic non opus fuit ut declararetur expressius, ubi maxime et inprimis admonitio agitur, vix tamen dubium alludi ad heroicam regis staturam eo loco, ubi per multos versus Iasonis forma ingens praedicatur. Idem vero ingenio plane dissimilis Iasoni, calidior, iracundior et ad saevitiam proclivis, severius compresserat seditionem nuper ortam ipsumque cognatum suum Damophilum exsilio punierat. Iam quid dicit Pindarus? Habes ius hereditarium regni Libyci; peccaverunt igi-

tur qui seditionem contra te moverunt, et recte defendis dignitatem prisco iure sacratam, ut placet Iason recuperatum veniens regnum iniuria sibi ereptum; at in eo erras maxime, quod nonnisi per vim opprimere malum intestinum conaris. Significatur hoc aperte in ultima carminis parte, ubi regem data opera ad clementiam hortatur atque etiam Damophilo veniam precatur. Vides post haec omnia veram carminis sententiam: „Fortunae regiae, divinitus datae, hereditariae, nunc etiam Pythia victoria ornatae, adde, Arcesilae, etiam moderationis, lenitatis, clementiae virtutem; sis mitis, ut Iason fuit, in summo iure. Sic enim, nec alio modo deorum favorem conservabis qualem Iason habuit et regnum vaticiniis oraculisque genti tuae datam.“ Hoc modo omnia lucem habent; atque Argonautarum expeditio quod disertius narratur partim ideo fit, quod Euphemidarum genus in hoc itinere satum est, partim vero ut appareat viris tam iustis, quam Iason erat, etiam deos luculenter favere, atque ipsos Euphemidas tum ortos fundamenta fortunae debere Iasonis virtuti eximiae tum felici successu a diis ornatae, oratione sic praeclare in orbem redeunte omnibusque optime ad summum carminis consilium conspirantibus.

EXPLICATIO.

V. 1 — 11. Prooemium. Dedicatur carmen diis Delphicis. — Orditur sic: Hodie adstare debes, Musa, regi Cyrenarum epinicia agenti, ut adiuves *κώμου δεσπόταν* et fortius cum eo excites canentes, quo grandior evadat hymnus debitus Latoidis Delphisque. Nomen proprium *Ἀρκεσίλᾳ* in secundo membro positum, veluti factum Pyth. VIII, 43. Tibull. I, 1, 18. — *οὖρον ὕμνων*, cf. Nem. VI, 29. et ad Ol. XIII, 49. — *αὔξῃς* non est efficere simpliciter, sed largius praebere et fortius excitare. — *Λατοίδαισιν*, Apollini et Dianae; magnificentius, ut carmen Nem. IX canitur in honorem Apollinis, Dianae et Latonae, *Πυθῶνος ὁμοκλάροις ἐπόπταις*, nam hi tres praesides loci et ludorum, cf. ad illud carmen. — *Πυθῶνι*, ut infr. *Ἀπόλλων ἅ τε Πυθὼ κῦδος ἔπορεν*, ampliore dictione ornatius, et quum rex remota in terra habitet. Sed his, ait, victoriae datoribus nunc maius est

canendum carmen, quum regnum quoque Battiadae iis debeant. — V. 4. *Διὸς αἰητῶν*, ut Soph. Antig. 1027. *οἱ Ζηνὸς αἰετοί*. Philostrat. Imagg. c. VI. *τὸν τοῦ Διὸς αἰετόν*. Fuit autem *ὀμφαλός* qui dicebatur lapis albus in adyto templi, in quo duae aquilae aureae; cf. Aesch. Eumenid. 40. Plat. rep. IV. p. 428. Fragm. Pind. Boeckh. p. 570. Strab. IX. p. 419. et Schol. nostr. loc. Eas Phocensi bello abstulit Philomelus (Schol.), *ὀμφαλός* autem postea in *περιβόλῳ* extra templum conspiciebatur, cf. Pausan. X, 16, 2. Fabulosam narrationem de his aquilis, e finibus terrae quae huc convenerint, habent Scholia; veram earum rationem docet hic Pindarus. Ait enim: Ipsius Iovis auspiciis, praesente Apolline, Pythia dixit. Unde vides has aquilas Iovem repraesentasse, summum oraculi praesidem, collocatas prope tripodem Pythiae. Ceterum de *ὀμφαλῷ* in pluribus monumentis adhuc conspicuo nuper bene disputavit Passovius in libro Germanico a Boettigero edito: Archaeologie und Kunst. I. Bd. 1. St. 1828. p. 159 sqq. — V. 5. *οὐκ ἀποδάμου τυχόντος*, dicuntur enim proprie *ἐπιδημίαι* et *ἀποδημίαι* deorum, quum praesentes sunt in templis, aut absentes alibi, cf. v. c. Nem. V, 37. Horat. III, 28, 15. Ita etiam Apollinis variae creditae *ἀποδημίαι* in templis, veluti notus ille commeatus inter Lyciam et Delum, cf. Virg. Aen. IV, 143. ibiq. Serv. et Heyn. Excurs. II. Collat. Supr. Pyth. I, 39. Aliud exemplum vid. ap. Menandr. de Encom. p. 38. Heeren. Delphis celeberrima habita profectio dei ad Hyperboreos nono quoque anno, de qua vid. Müller. Hist. Dor. I, p. 267 sq. Denique quum Patarae nonnisi praesente deo per hiemem responsa darentur, Delphis data videntur interdum etiam absente alicubi, quum Batti nunc oraculum laudetur ex eo, quod Apollo praesens fuerit. Cet. d. verb. *τυγχάνειν* c. adiectiv. cf. Matth. Gr. p. 1086. — Ad formam *ἱρέα* cf. Buttm. Gr. ampl. II. p. 328. — V. 6. *χρῆσεν*, h. e. ubi sacerdos vaticinans dixit conditorem Battum Libyae, ut relicta Thera conderet Cyrenas. Brevius dixisset: *χρῆσεν Βάττον, ὡς κτίσσειεν*, cf. Matth. Gr. p. 592. Nunc consulto ampliore oratione usus, addidit *οἰκιστῆρα Λιβύας*, idque deinde pluribus explicat. Veluti quum Homerus non sine vi dicit; *ὄφρα Νύμφῃ εἴπῃ νόστον Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος, ὥς κε νέηται*, Odyss. I, 87. alia. Cf.

Nitzsch. Comment. in Odyss. I, 300. II, 65. — καρποφόρου, Thrige p. 19 sqq. et p. 316. — Ceterum de oraculo Batti vid. Herod. IV, 155. Müller. Orchom. p. 343. — ἱεράν, ut urbes, ob religiones. De diis in Thera cultis, ut Iove, Apolline, Baccho, Mercurio, vid. Boeckh. — V. 8. ἐν ἀργάεντι μαστῷ, in colle calcario, cf. Schol. 14. et Boeckh. h. l. ὄχθος ἀμφίπεδος Pyth. IX, 57. — V. 9. ἀγκομίσαιτο, referret in illa loca ad exitum perducendo. — V. 10. Θήραιον ad Theram enuntiatum. — ἑβδόμᾳ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ, has septendecim aetates computat Müller. Orchom. p. 344., Argonautarum expeditionem ponens ann. 1207., Battum vero Ol. 35. — ζαμενής, animosa; quippe quae peregrinis cum heroibus proficiscebatur ad remotas terras. — V. 11. ἀπέπνευσε, cf. ad Ol. VI, 83. Frequens πνεῖν de poetis et cantoribus inprimis apud poetas epigrammatarios, monente Iacobsio ad Anthol. T. XII. p. 156. Hinc apta vox de vaticinatione. — ἀθανάτου. Immortalis enim credita est fuisse Medea, cf. Athenagor. c. 12. Lindn., qui Hesiodum et Alcmanem auctores laudat. Add. Müller. Orchom. p. 269. Saepe vero veteres praedicatum, quod toti personae competit, parti tribuunt, ubi de parte maxime agitur; vid. Ol. VI, 8. Add. infr. v. 98. et Nem. I, 42; VI, 59. Similiter Horat. I, 1, 29., doctae frontes, aliaque plurima.

V. 11 — 69. Narratur vaticinium Medeae data opera et repetitur oraculum Batto datum, cuius nunc successor octavus Arcesilaus, Pythiorum victor. — V. 14 sq. τᾶς δ' ἐξ ἁλιπλάκτου γᾶς, ex hac insula Thera conditum iri Cyrenas, ubi tum versabantur Argonautae ex Tritonide palude in Graeciam redeuntes. Ad ἁλιπλάκτου cf. Boeckh. Nott. critt. — Ἐπάφοιο κόραν, Libyam, coniuncta deae et terrae notione, ut bene notat Scholiastes. Haec igitur condet φυτεύσεται, plantabit, ἀστέων ῥίζαν, Cyrenas, urbium plurium matrem. Apollonia, Hesperides, Teuchira, Barca coloniae eius primariae fuere; censendae tamen sunt fuisse longe plures aliae, licet nobis non cognitae accuratius. Cf. praeter Boeckhium Thrige pag. 113 sqq. — μελησίμβροτον, mortalibus cordi futuram, frequentem et florentem. — V. 16. ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις, in solo Ammoni sacro, qui valde colebatur Cyrenis, cf. Müller. Or-

chom. p. 358. Boeckh. Oecon. civit. Athen. II. p. 258., Thrige p. 294. Huic igitur deo Libyco, inter Graecos deos recepto et cum Iove Graeco confuso, sacra erat universa regio. Idem intelligendus etiam Pyth. IX, 53. Postremo recorderis velim vaticinantis hanc orationem esse Medeae, ut aptiora etiam tibi videantur illa: Ἐπάφοιο κόραν, ἀστέων ῥίζαν, ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις. cf. v. 56. — V. 18 sq. In locum piscaturae et navigationis succedet rei equestris studium. Sed iterum ornatius ait: Delphinos equis permutantes frena pro remis et currus regent veloces. — ἀμείψαντες ἀντί, cf. Matth. Gr. 679. — ἐλαχυπτερύγων, quum piscium pinnae dicantur alae, Oppian. Hal. I, 745. Inprimis vero delphini veloces, cf. Pyth. II, 50. — ἀελλόποδας. Frequens equorum praedicatum, Pindaro, Simonidi, Sophocli aliisque plurimis pro Homerico ὠκύπους usurpatum, cf. Tafel ad h. l. Nunc lyrice ad δίφρους translatum, de quo genere cf. Ol. XIII, 38. Intelliguntur autem curulia Cyrenensium certamina, unde iam supra εὔιππος Κυράνα et εὐάρματος πόλις. Plura vid. ap. Boeckh. et Thrige p. 344. Omnino clari fuerunt equi, clari et ludicri Cyrenarum currus et bellicae bigae et quadrigae. — νωμάσοισιν, cives huius urbis, ut saepe. cf. Nem. VII, 10. VI, 48. — V. 19. κεῖνος ὄρνις, illud augurium, glebam dicit. Notum hoc et οἰωνός de quovis augurio. Aristoph. Av. 719. ait: ὄρνιν τε νομίζετε πάνθ᾽ ὅσαπερ περὶ μαντείας διακρίνει sqq. Ceterum asyndeton per γάρ explicandum. — μεγαλᾶν πολίων ματρόπολιν, urbis Cyrenarum eiusque coloniarum, quae mox creverant. — V. 20. Τριτωνίδος ἐν προχοαῖς. Argonautae e Colchide redeuntes, ex Phaside in Oceanum, ex Oceano in mare rubrum delati, inde per deserta Libyae humeris portaverant navem ad Tritonidem paludem. Quam emensi quum in ipso ostio substitissent, hospitium offertur a deo Tritone Eurypyli specie induto; quo tamen uti non licet, ancora iam soluta. Sic ille vir glebam arripit et praebet hospitii tesseram, quam Euphemus e prora descendens accipit. Atque haec gleba erat augurium futurae possessionis, Minyis Euphemidis, h. e. Battiadis destinatae; cf. Müller. Orchom. p. 352., et Proleg. Mythol. p. 142 sqq., ubi inprimis clare fabula explicatur, et de glebae symbolo dicitur. — V. 22. πρώραθεν καταβάς, etiam insequentibus poetis Argonauticis fuit

πρωρεύς, cf. Müller. l. cit. p. 263. — δέξατο c. dativo, Il. II, 186. XVII, 207. et saepe, notante Hermanno apud Heynium, Porsono ad Eurip. Hec. 539. Add. ad Ol. XIII, 29. — V. 24. ἀνίκ᾽ — ἐπέτοσσε, quum ancoram navi suspendentibus occurreret ille deus. De verbo ἐπέτοσσε cf. Boeckh. Nott. critt. ad Pyth. III, 27. Ad χαλκόγενυν cf. supra laudatum Klotzium ad Tyrt. p. 96. — ποτὶ κρημνάντων genitivus absolutus videtur, scil. ἡμῶν, cf. Pyth. VIII, 43. Add. Matth. Gr. p. 1110. Certe Pyth. X, 33. idem verbum cum accusativo iungitur. — χαλινόν, quum ancorae navem inhibeant, ut χαλινός equum, ait Scholiastes. Exempla vid. ap. Tafel. Omnino χαλινός est δεσμός poetis. — V. 26. νώτων ὕπερ γαίας ἐρήμων. Quum Homerus dixisset εὐρέα νῶτα θαλάσσης, postea suaviter traducta loquutio ad terrae aequora, qualia nunc deserta Libyae. — V. 27. εἰνάλιον δόρυ, navem, iterum v. 38. Notum e tragicis, cf. Blomfld. ad Aesch. Pers. 417. — ἀμοῖς, v. ad Pyth. III, 41. — ἀνσπάσσαντες, subducta navi meis consiliis, ut ἐρύειν, ἀνέλκειν. Vide de hoc verborum genere interprett. ad Horat. I, 4, 2. — Ceterum ne tu quoque reprehendas Pindarum, quod Medeam narrantem faciat Argonautis quae sciebant, τὸ πρὸς εἰδότας λέγειν quis non recordatur in tragoedia usurpatum similiter spectatorum causa, ut hic Didymus in Scholiis recte sensit nostra causa haec sic omnia narrari. Cf. de tragicis Naeckium in Indice Praelectionum Bonn. 1823 April. — V. 28 sq. φαιδίμαν — θηκάμενος, splendida specie viri venerabilis assumpta, cf. Hesych. v. θήκατο et vid. ad. Ol. XI, 63. Notabis porro in repetita mentione quanto ornatius expressum sit quod ante dixerat θεὸς ἀνέρι εἰδόμενος. — V. 30. Quemadmodum hospitibus benevoli homines epulas offerunt primum, cf. ad εὐεργέται Isthm. V, 70. — V. 32. πρόφασιν constat etiam veram causam et rationem esse, quam quis proferat. — De Eurypylo, qui nunc rex illius regionis, cf. Müller. Orchom. p. 348. — V. 35. προτυχόν, statim arripiens terrae quod obvium erat hoc pro munere hospitali offerebat. — V. 36. οὐδ᾽ ἀπίθησέ ἰν, nec non obsequutus est ei Euphemus, in quo dubia forma pronominis, de qua praeter Hermannum et Boeckhium ad h. l. vide Buttm. Gr. ampl. I. p. 295. Notabis etiam substantivum ἥρως in principio secundi membri

positum, consulto, quum opponatur heros Eurypilo deo, de quo ante. Cf. Pyth. XII, 19, ubi similis causa. V. 37. δαιμονίαν, ob augurium quod inerat. — V. 38. πεύθομαι δ᾽ αὐτὰν sqq. Audio vero eam delapsam navi cum unda abiisse vespere, mare sequutam. — ἑσπέρας, ait Boeckhius, quo tempore socordiores homines. Ceterum interpunxi non post ἅλμᾳ cum Boeckhio, sed post ἑσπέρας. — V. 40. ὤτρυνον manifesto cum dativo dixit, veluti κελεύειν c. dativo est et cum accusat. et infinit. cf. Matth. Gr. p. 704. — V. 41. λυσιπόνοις, qui illud officium habent, ut dominos labore liberent, aptum famulorum epitheton. Vocem serioribus frequentatam notat Tafel. — V. 42. καί νυν — πρὶν ὥρας, et nunc in hac insula iacet immortalis gleba Libyae ante tempus. Maris undas sequuta Theram delata erat, ibique nunc iacebat. — ἄφθιτον, durabit et servabit perpetuo vim augurii. — πρὶν ὥρας, Vig. p. 442. — Mox Euphemus, futurus Euphemidarum Battiadarum auctor, dicitur filius Neptuni et Europae ad Cephissum natus, de quo vid. Müller. Orchom. p. 262. Primitiva enim sedes eius Panopeus et Hyria; in Laconicam traductus est cum fabulis suis, quoniam Minyae postea aliquamdiu etiam ibi consederant, Müller. l. cit. p. 315. — V. 45. υἱὸς ἱππάρχου Ποσειδάωνος, unde etiam nunc Euphemi posteri Battiadae re equestri delectantur, et maximopere colunt Neptunum, de cuius cultu Cyrenaico cf. Boeckh. ad v. 17. et Thrige libr. laudato. Haec enim allusio ad praesens tempus inest verbis. Denique sensus loci: Si gleba ad Taenarum, sedem Euphemi, venisset, quarta aetate posteri iam cepissent Libyam, tempore migrationis Doricae in Peloponnesum: Nunc vero tunc primum Theram proficiscentur. Vid. Müller. Orchom. p. 352., qui docet Danaos s. Achaeos a Doriensibus pulsos tum cum Minyis et Aegidis Theram migrasse. — V. 49. ἐξανίστανται, praesens propheticum, cf. ad Ol. VIII, 42. Supple vero Δαναοί, qui tunc e tota Peloponneso pellentur, ait. — Ἀργεῖον κόλπον, h. e. ex Argolida, e sedibus ad sinum Argolicum. Nunc autem, pergit, Euphemus in lectis peregrinarum mulierum, h. e. in Lemno, quo in reditu venturi erant Argonautae a Thera, consequetur genus; hi deinde e Lemno in Laconicam, hinc Theram venient et gignent Battum, dominum Libyae.

De quibus rebus optime exponit Müllerus meus libro saepe laudato, ostendens Minyas, qui consederant in Lemno, inde revera migrasse in Peloponnesum, pulsos a Pelasgis; e Peloponneso transiisse Theram. — V. 51. σὺν τιμᾷ θεῶν, beneficio deorum, adiuvantibus diis, v. 260. — Epitheto κελαινεφέων apertum est fertilitatem significari regionis eximiam, quam Pindarus a pluviis derivat, quas in illis australibus regionibus credebat esse copiosas. Et sunt ibi pluviae, sed non ita copiosae, et Theophrast. Caus. Plant. VI, 18, 3. aërem Cyrenes dicit καθαρὸν καὶ ἄνυδρον, plerumque serenum. — V. 53 sqq. Quem Phoebus aliquando admonebit oraculis templum ingressum, postero tempore ut navibus multos viros ducat ad arva Nili. — πολυχρύσῳ, Soph. Oed. R. 151, ob donaria. — V. 54. θέμισσιν, oraculis, Fragm. 101. Odyss. 16, 403. Müller. Dor. I. p. 338. — V. 55. καταβάντα, ingressum, proprie de limine in templum descendentem, cf. Hom. Od. IV, 680.; VIII, 80. Add. X, 432. — χρόνῳ ὑστέρῳ ad prius comma refero, ut recte dicitur ὑστέρῳ χρόνῳ ποτέ Aristoph. Ran. 717. Ergo nec tempus designatur oraculo posterius, quod frigere vidit Boeckhius, nec secundum Batti iter in insulam Plateam, recte monente Tafelio, a Medea fastigia rerum tangi, non leviora. — Ad ἀγαγεῖν conferes Boeckh. d. Cris. Pindar. §. 20. — Νεῖλος Κρονίδης non dubium quin sit Ζεὺς Νεῖλος, cf. Boeckh. et Heyn. Rem ego ita explico: Videtur Iuppiter hoc nomine primum appellatus et cultus esse templis a Graecis Aegyptum incolentibus, de quibus vid. Müller. Orchom. p. 104. p. 111. Quum enim Hom. Od. IV, 477., 581. Aegyptum sive Nilum διιπετῆ ποταμόν dicat, coeli qui imbribus alatur, coluerunt Iovem auctorem Nili, ipsis, ut omnibus Aegyptiis, sacri, atque hic iis fuit Ζεὺς Νεῖλος. Nunc τέμενος Νείλοιο omnino Africa est pr. Libya, Pindaro consulto oraculorum orationem quaesitam et ambiguam imitante; cf. ad Ol. VIII, 45. — V. 57. ἐπέων στίχες, ipsa verba Medeae plene reddita. — ἔπταξαν δ' ἀκίνητοι σιωπᾷ, cumulate, ut Soph. Ai. 171. σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι, ibi quidem ad terrorem, hic ad stuporem significandum. — V. 59 sqq. Atque ea res, pergit, revera eventum habuit. — ἐν τούτῳ λόγῳ, huic vaticinio convenienter, bene notante Boeckhio. — V. 60. ὤρθωσεν, ornavit, insignem

reddidit, Isthm. V, 65. — μελίσσας, sacerdotis, cf. Boeckh. ad Ol. VI, 36. Creuzer. Mythol. ed. sec. T. III, 354. IV, 241. Meinek. ad Euphor. p. 95. — αὐτομάτῳ κελάδῳ, sponte, spontanea voce, quum Battus de alia re, de vocis noto vitio, interrogatum venisset, cf. Schol. Exempla alia non dati responsi ad id, quod quaerebatur, affert Valcken. ad Schol. Eurip. Phoeniss. 641. Ceterum κελάδῳ, clara voce salutans et alloquens, ut regem. Adde quod omnino oracula edi solebant magna et clarisona voce; unde λακεῖν usurpant de Apolline tragici. — V. 63. ποινά, liberatio, λύσις, cf. Schol. Rara significatio. De linguae vitio cf. Herod. IV, 155. — V. 64 sq. Ac nunc quoque multo post floret Arcesilaus huic proli octavus. — μετά, postea. — ὄγδοον μέρος, Pyth. XII, 11 τρίτον κασιγνητᾶν μέρος, ac quum Arcesilaus posterorum a Batto septimus sit, nota Battum simul numeratum, de qua re cf. ad Ol. VIII, 45. — ὥςτε φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ, quasi purpureo vere adulto florens. Cf. Isthm. III, 36. Est enim θάλλειν nunc de prosperrima fortuna, generalius; quo pertinet etiam iuventutis flos, quum rex tum iuvenis esset. — V. 66. ἐξ ἀμφικτιόνων ἱπποδρομίας, ex hippodromo populorum circum habitantium, quorum sunt Pythia, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Nem. VI. p. 536. Quod ita dicit ad augendam laudem; praesentibus vicinis populis victoriam a deo datam. Intellige Amphictyoniam notissimam Delphicam, cuius erant hi ludi. Ceterum vox per iota scripta legitur nunc etiam in Inscriptionibus Delphicis apud Boeckhium in Corp. Inscript. — V. 67. Μοίσαισιν ἀποδώσω, confert Tafel. Anthol. Pal. VIII, CXXVI, 3. — V. 69. θεόπομποί σφισιν τιμαὶ φύτευθεν, divini, eximii (Ol. II, 36.) honores genti conditi sunt. Nam in hac expeditione Euphemus vaticinium Medeae accepit et in Lemno procreavit futuram gentem, cf. v. 255. Ceterum poeta tacet alteram narrationis causam; nam non solum origines gentis luculenter monstrare vult, sed etiam Iasonis proponere exemplum: quae duae rationes coniungendae sunt, ut poetam intelligas.

V. 70 — 261. De Iasone et expeditione Argonautarum. Orditur sic: Quid coegit eos ad tam periculosam expeditionem? Saepe, ut constat, in initiis interrogationes praeparant

quod sequitur, attentionem excitando. — τίς ἀρχά, quae causa navigationis excepit eos, accidit iis? Dicuntur nos λαμβάνειν, δέχεσθαι, ἔχειν, quae maiora sunt nobis et vi sua nos occupant, tenent, abripiunt. — V. 71. Τίς δὲ κίνδυνος sqq. Quodnam periculum vinxit eos validis adamantis clavis. Verbum δέειν proprium de necessitate, cf. Herod. 1, 11. Gatak. ad Antonin. X, 28. Sturz. Lex. Xenoph. I. p. 636. Hoc loco clavi adamantini additi, quibus ex symbolica veterum loquendi ratione summa vis indicatur, qua constrictus tenearis, cf. Mitscherl. ad Horat. I, 35, 17. Adamas autem est nomen mythicum ferri durissimi, ut constat. Cur autem Pindarus tam gravibus verbis utitur? Quia expeditio maxima erat et periculosissima, quam nemo sine gravi causa susceperit. Noli enim Pindarum credere inani verborum strepitu delectari. Nunc dubitant quale dicat hic Pindarus periculum; vulgo Iasonis intelligunt, qui timuerit Peliam, si recusaverit. Quod recte improbans Tafel., quum nullum sit eius timoris et periculi apud Pindarum vestigium, non tamen melius cum Wagnero explicat: Quodnam illis expeditionis periculum iniunctum fuit. Enimvero quemadmodum etiam Mitscherl. cepit ad Horat. l. cit., et Scholiastes notat, responsio inest in proxime sequentibus verbis, eaque legitima dicendi ratio est, ut interrogationem sequatur responsio. Peliae, ait, periculum fuit haec vis, qui metu necis ab oraculo nuntiatae hoc ab Iasone postulavit officium, quod ille recusare nolens sic ad expeditionem adactus est. — V. 72. Αἰολιδᾶν, nam Aeoli filius Cretheus, cuius nepos Iason, qui per Medeae fraudem post reditum e Colchide perfidum Peliam necavit. — Ceterum ἀκάμπτοις est intrepidis, audacibus, ut Isthm. III, 71. — V. 73. ἦλθε δέ οἱ πυκινῷ θυμῷ, penetravit autem in animum callidum et alta mente repositum est terribile oraculum. ἔρχεσθαι c. dativo iam Homerus dixit, cf. Odyss. V, 226. Vide praeterea Matth. Gr. p. 733. Iacobs. Delect. Epigr. p. 42. — V. 74. εὐδένδροιο ματέρος, terrae. De Delphis umbilico terrae nota omnia, cf. Barnes. ad Eurip. Ion. 223. Tafel. h. l. — V. 75. τὸν μονοκρήπιδα, cf. Schol. Add. Müller. Orchom. p. 267. Iacobs. ad Anthol. T. XII. p. 47. Tafel. h. l. — ἐν φυλακᾷ σχεθέμεν, loquutio nunc cavere significans, nunc custodire, ut Herod. I, 99. — V. 76.

αἰπεινῶν ἀπὸ σταθμῶν, quum in Pelio apud Chironem educatus esset Iason. — εὐδείελον, apricum, cf. Ol. I., 111, ex altis saltuosis locis in apricam et apertam planitiem Iolci. — V. 78. ξεῖνος αἴτ᾽ ὦν ἀστός, quod utrumque Iasoni conveniebat. — V. 79. αἰχμαῖσιν διδύμαισιν, more heroum Homericorum, cf. Odyss. I, 256. — ἔκπαγλος, forma et statura. — ἀμφότερον, noto usu ubi duo coniuncta memorantur, nunc cum particulis τέ — δέ, cf. Ol. I, 104. Germanice dicas: Kleidung umgab ihn, beides die einheimische und aber auch ein Pardelfell. Apud Philostr. Imagg. c. VII. in pictura Medeae in Colchide est de Iasone: λευκὸν χιτῶνα ἔζωσται, λεοντῆν ἐξηρτημένος. — De Magnesia et Magnetibus cf. Müller. Orchom. p. 250. Tunicam habebant adstrictam, ἁρμόζοισαν γυίοις, contra Graecum morem, unde Müllerus non Graecos eos fuisse censet, sed semibarbaros. Nunc Iason ea veste utitur, ut educatus apud Chironem Magnetem, cf. Pyth. III, 45. παρδαλέην autem fert, ut heros, veluti Paris Il. III, 17, et ut Herculi λεοντῆν dederunt Stesichorus ac Pisander aliique post hos. — V. 81. στέγετο, arcebat a se, cf. Aesch. Sept. 201, 219. Suppl. 134. Add. Mitsch. ad Horat. 1, 17, 3. — φρίσσοντας, horridos imbres; cf. Schol. h. l. et ad Eurip. Phoeniss. 1290. — V. 82 sq. Necdum comae tonsae erant, ait Scholiastes, ut solebant adulti primum crinem detonsum consecrare Apollini κουροτρόφῳ et fluviis, cf. Blomfld. ad Aesch. Choeph. v. 6. Sic sensus erit: Alebat adhuc primam comam. Sed nisi magnopere fallor, praestat alia ratio. Alebat decus capitis, ait Pindarus, ut Graecus homo. Constat enim prisco more heroico Graecos comam aluisse, unde sunt καρηκομόωντες Ἀχαιοί, idque faciebant etiam postea Spartani, cf. Müller. Dor. II, 270. κουρά a barbaris ad Graecos venit. — V. 83. καταίθυσσον, replebant radiorum instar diffusi. De his verbis cf. ad Ol. VII fin. Obiter conf. Lucian. Amor. c. 26. οἱ μὲν (βόστρυχοι) ἐπινώτιοι κέχυνται. Ceterum ap. Philostr. l. cit. de Iasone est; ἡ κόμη ξανθὴ ἐπισαλεύει τῷ μετώπῳ. — ἐνθὺς ἰών, recta, cf. Buttm. Gr. ampl. II. p. 290. Significatur hic confidentia. — V. 84. πειρώμενος, periculum faciens animi sui intrepidi, ut πειρᾶσθαι c. genit. rei saepe est vim suam experiri. Pulcherrime dictum de iuvene primum in populi frequen-

tiam prodeunte. — ἀταρβάκτοιο, insolentior forma a dorico futuro ταρβάξω (cf. Boeckh.) hic nervosior est. — V. 85. πλήθοντος ὄχλου, frequente populo; neque enim activam vim habet πλήθειν usquam, ut Gurlittus putabat. — V. 86. ὀπιζομένων, quanquam non noverant, mirabundi tamen adspiciebant et reverebantur eum ob insignem formam et staturam, ne deus esset. — τίς, unus et alter. — καὶ τόδε, quum alia, tum hoc. — V. 87. οὔτι που, interrogatio admirantis, Brunck. ad Aristoph. Ran. 522. — Apollo ob insignem pulcritudinem et caesariem, Mars ob vires bellicas, ut notant interprett. Tamen verba: πόσις Ἀφροδίτας, etiam formosum esse deum indicant. Porro quod in Introductione significavi, per totum hunc locum ad Arcesilaum simul alludi, id suadet etiam epitheton χαλκάρματος, pro quo, si Iasonem solum cogites, aptius aliud eligi poterat, nunc autem simul currus bellici Cyrenaeorum respiciuntur, de quibus vide locos apud Boeckh. supr. ad v. 18, et Thrige p. 346. Arcesilaus igitur bellicosus verissime dici potest Ἄρης χαλκάρματος. Consulto vero Pindarus nunc non tractat expressius in Arcesilao hanc roboris et fortitudinis laudem, Iasoni tam luculenter tributam, quum rex vel sic iusto ferocior ad lenitatem potius hoc carmine cohortandus esset. — Otus et Ephialtes, Aloidae, erant ingenti statura, ut constat, simulque πολὺ κάλλιστοι μετὰ κλυτὸν Ὠρίωνα Hom. Od. XI, 305 sqq., quos Boeckhius monet non contemtos fuisse, sed in Naxo cultos. Add. Müller. Orchom. p. 387. Ego vero hos quoque propter Arcesilaum nominatos crediderim, ut rex a nimia audacia et confidentia virium avertatur, in quo me etiam ultimum Tityi nomen confirmat. Ceterum Ephialtes fratrum videtur audacissimus fuisse, unde hunc per vocativum alloquitur poeta; nam etiam talia ab antiquioribus poetis non temere ponuntur; cf. infr. 175. Pyth. XI, 62. Isthm. VII, 21. — Tityus denique a Diana occisus, quum impie Latonam tentasset, Hom. Od. XI, 576 sqq., quorsum commemoratus fuit nisi admonitionis causa? Suspicor igitur Arcesilaum aliorum uxores tentasse. Poeta vero regnum servare cupit Arcesilao; quare ut politica ei consilia dat, si quid praeterea in privata vita fuit quo odium sibi crearet rex, commode etiam de hoc monuisse videbitur. Sic Aloidae et Tityus παραδείγματα sunt ad deterrendum proposita,

ut Iason proponitur ad imitandum; eandem rationem in carminibus Hieroni scriptis observavimus. Ceterum θηρεύειν, θηρᾶν est etiam consequi, capere, corripere, ut notum. Cf. Soph. Philoct. 1005. ibiq. Buttmann. Usitata vox de diis ultoribus. Ad ἐπιψαύειν vero cf. Ol. VI, 35. Et vid. de sententia Pyth. II. — V. 94. Quod Peliae mularis rheda tribuitur, monet Boeckhius Thessalos mulabus omnium maxime praeter Siculos usos, cf. Schol. ad Ol. V. p. 118. — προτροπάδαν, concitato cursu, sine hominum respectu, ut tyranni solent, ait Boeckhius. — Verba: καὶ τίς ἀνθρώπων σε χαμαιγενέων πολιᾶς ἐξανῆκεν γαστρός, optime observat idem cum contemtu dici. Ac primum quidem quum dicere debuisset, quod nobile genus te genuit, verba τίς ἀνθρώπων χαμαιγενέων certe nihil laudis habent. Illa vero: πολιᾶς γαστρός, quae femina enixa te est senili utero, haec igitur, inquam, vix ita dixisset, si laudare voluisset et bene seduloque educatum indicare, ut sunt τηλύγετοι cariores parentibus. Nam πολιός est senilis, ut πολιὰ χείρ, Epigr. Dioscorid. Anthol. Lips. Iacobs. T. 1. p. 250., ad quem locum alia notavit Iacobs. in Delect. Epigram. p. 425. Et praedicatum personae revocatum est ad partem corporis, cf. Ol. VI, 2., nunc quidem non sine sarcasmo. Sed quid est quod voluit? Sic censeo: Occultans metum, quo revera perculsus erat, quem omnes stupent simulat non adeo metuendum sibi videri, sed mollem, laevum, nunc primum a matre dimissum utpote τηλύγετον. Quam irrisionem, ut omnis irrisio veritatis speciem habere debet, non male petit, opinor, ex habitu Iasonis, quasi hic domi hucusque delituerit et nunc primum prodiens in publicum statim soleam amiserit ut μονόκρηπις adstet, licet probe sciens graviora ipsi hoc habitu portendi. Ceterum ἐξανῆκεν, edidit. Eurip. Ion. 1000, ὅν πρῶτόν ὑμῶν πρόγονον ἐξανῆκε γῆ. — V. 100. μὴ καταμιάναις, non sine ironia dictum, ne contamina genus tuum nobile mendaciis. Ol. IV, 17. ψεύδεϊ τέγγειν λόγον. Cet. cf. etiam Nem. III, 16. — Post haec attende rationem sequentis responsionis. Etenim praeclare institutum est a Pindaro, ut, dum Pelias carpat Iasonem, hic occasionem nanciscatur animi sui veram indolem declarandi. Agit autem per totum carmen Iason cum Pelia non simulate, tecte, callide, dolose, sed simpliciter, aperte, vere, ut decet virum

generosum, iustum, fortem. Talem igitur nunc se declarat. — V. 102. οἴσειν, cf. Buttm. Gr. ampl. I. p. 419. Dico me ferre mecum praecepta, disciplinam Chironis, ut a mendaciis et fraudibus alienus sim. Celebratissimae fuerunt Χείρωνος ὑποθῆκαι, cf. Pyth. VI, 19. — Chariclo uxor, Philyra mater Chironis, Centauri filiae castae Olyroe cum sororibus. Sensus: Vixi nonnisi inter bonos. — V. 105. εὐτράπελον, de quo vide ad Pyth. I, 92., bene ibi explicat Karsten: Neque rem ullam neque verbum proferens fucatum, fallax, simulatum. Cf. etiam Gurlittum. Qualis disciplina fuit, talem etiam moribus me praestiti. Ceterum ad ἔργον omissum ποιήσας per zeugma. Commode Boeckhius confert Herod. III, 135. Add. Matth. Gr. p. 1307. — V. 106. κομίζων, recuperaturus; vid. ad Ol. XIII, 59. — V. 108. τιμάν, ἀρχήν. — V. 109. λευκαῖς φρασίν, pallidis, opinor, invidis praecordiis, menti. Vox obscura, quam varie explicant; ut Boeckh. p. commotas, acres, cupidas, turbidas mentes, alii leves aut stultas, Tafel. felicitatis lucrique exspectatione serenatas et nitentes. Quod ipse posui, videbatur simplicissimum. Sunt enim φρένες aliae ἀμφιμέλαιναι Hom. Il. XVII, 83, 499, 573. Invidia autem, credo, λευκαί fiunt. — V. 110. ἀρχεδικᾶν, qui legitimi possessores, cf. Boeckh. — V. 112. κᾶδος — θηκάμενοι, luctum tanquam de defuncto instituentes atrum, funestum. Ad verbum cf. Herod. VI, 21. πένθος μέγα προεθήκαντο, prae se tulerunt, palam ostenderunt. — δνοφερόν autem cum vi dictum, quum gravem luctum simularent ut in re vera. — μίγα κωκυτῷ γυναικῶν, inter eiulatum feminarum, ut μίγδα c. dativ. Hom. Il. III, 437. — V. 115. νυκτὶ κοινάσαντες ὁδόν, noctem consciam facientes itineris. Nam κοινῶσαι, κοινᾶσαι est communicare aliquid cum aliquo, nunc de secreto commisso nocti. — τράφεν, infinit. praes., cf. Pyth. II, 45. Ceterum infinit. in εν pr. ειν praeter hunc locum et Ol. I, 3. γαρίεν non amplius legitur apud Pindarum, de qua re vid. Boeckh. in Dissertat. de Crisi Pindar. — V. 117. λευκίππων, nobilium, principum, qui candidis equis utebantur, cf. Boeckh. h. l. — V. 118. ἱκοίμαν, Aesonis quum filius sim, indigena non peregrinam, opinor, venerim in terram, in quo optativus iterum sine ἄν positus est confidentior, cf. ad Ol. III fin. Neque enim in

hac re mihi convenit cum acutissimo Reisigio Commentat. d. partic. ἄν, ad Aristoph. Nub. p. 129. et ad Oed. Col. Commentt. critt. 199. Vid. Hermann. ad Oed. Col. 42. — V. 120. ὀφθαλμοὶ πατρός, debiles et infirmi, suaviter. — Ad πομφόλυξαν cf. Schol. — γάθησεν. Pro nudo verbo significantius dicitur γήθησε θυμῷ, φρεσί, κατὰ θυμόν, γήθησε δέ οἱ φίλον ἦτορ, θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γεγήθει, πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη et quae sunt alia satis nota ex Homero. Sic nunc Pindarus suaviter ἂν περὶ ψυχάν addit, quasi ambiente et recreante animum calore laetitiae. — V. 125. κατὰ κλέος, ad famam eius, Hom. Il. XI, 227. XIII, 364. Od. XIII, 415. — Pheres et Amythaon fratres Aesonis, ille Pheris habitans ad nobilem fontem Ὑπέρειαν s. Ὑπερήϊδα, de qua aqua cf. Schol. et Eckhel. Numism. anecd. p. 65., hic in Messenia, ubi etiam Neleus et Nelidae habitarunt secundum Pindarum, cf. Pyth. VI, 65. Mox Admetus Pheretis, Melampus Amythaonis filius. — V. 127. ἐν δαιτὸς μοίρᾳ, in convivii parte eos excipiens, h. e. societate convivii. — V. 129. ξείνι᾽ ἁρμόζοντα τεύχων, epulas convenientes, non parcas parans. Verbum τεύχειν cum δεῖπνον, δόρπος, δαίς iunctum nosti ex Homero, cf. Damm. Lex., similiterque ξείνια de epulis hospitalibus dicta. Et ἁρμόζοντα est, ut ἁρμόδιον δεῖπνον Nem. I, 21., largum et lautum. Nam per totum hunc locum de convivalibus gaudiis agitur, qualia etiam nunc sunt in Arcesilai domo. Quare nihil hic superfluum, sed apta verbosior oratio. — πᾶσαν ἐν εὐφροσύναν τάνυεν (ἐντάνυεν), omnem hilaritatem intendit, ut dicunt vocem, cupiditatem, odium intendere, h. e. nunc hilaritate laetissima praeivit. Obiter attende ad separatam a verbo suo praepositionem, quae collocata post πᾶσαν aptissime hanc vocem intendit, ut etiam alias prudenter collocantur hae a verbis suis separatae praepositiones. Ceterum diversum est, monente Boeckhio, utpote a navigatione petitum, sed tamen non tacendum quod Heynius ad Tibull. I, 5 fin. comparavit: Ζῆθι κάλων τείνας οὔριον εὐφροσύνας. — V. 130. Per quinque continuas noctes diesque decerpens sacrum laetitiae florem. ἄωτον esse constat non florem proprio sensu, sed omnino quod pulcherrimum, dulcissimum, optimum in suo genere. — ἱερόν Boeckhius ad sacra refert epulis iuncta; ego ipsam talem laetitiam per se sacram

dici crediderim, ut coelestium deorum praeclarum donum. Ceterum ad totum hunc locum recordaberis Thessalicas εὐωχίας, de quibus cf. Plat. Criton. P. 53. e., Athen. IV. c. 14., X. c. 12. XII, c. 33. Suaviter enim hic alludere videtur ad Thessalicos mores, quemadmodum etiam in aliis locis huius carminis, cf. ad v. 94. 148. 153. — V. 132. Sexto die omnem rem proponens seriam a principio cum cognatis communicavit; in foro κεφάλαια tantum dixerat circumstantibus. — σπουδαῖον, serium et serio meditatum, addit propter oppositionem antecedentis hilaritatis. — θέμενος, h. e. προθέμενος ad probandum, proprie hinlegend, proponens, in quo sine causa offendens Tafelius vertit: Omnem sermonem fecit serium, ad seria revocavit ab antecedentium dierum hilaritate. His vel illud obstat, quod πάντα λόγον ἐξ ἀρχᾶς manifesto iungi debet, παρεκοινᾶτο autem male accusativo suo destituitur. — V. 133. ἑπέσποντο, approbarunt, obsequuti sunt, Isthm. V, 17. Noli de comitatu intelligere, qui statim narratur, ut hysteron proteron inferas intolerabile. Neque enim omnia in hoc genere pariter bona et tolerabilia. — ἀπὸ κλισιᾶν, a sedibus, Hom. Od. IV, 123; XIX, 55. — V. 136. „Placidum comi voce stillans sermonem;“ in quo vide quam suaviter, quam ornate poeta lenitatem et moderationem Iasonis depingat. Praepositio ποτί significat, opinor, conversum ad Peliam (ut in προςειπεῖν), non autem adspersum esse Peliam, quod ineptum. Ceterum loquutio ducta videbatur a notiore: Hom. Il. I, 249. τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Theocrit. 20, 26. ἐκ στομάτων δὲ ἔῤῥεέ μοι φωνὰ γλυκερώτερα ἢ μελικήρω. Simil. Verbo στάζειν autem plurimum delectantur seriores, usurpantes id vario modo elegantissime. Cf. Iacobs. ad Callistr. p. 728. — V. 138. βάλλετο κρηπῖδα σοφῶν ἐπέων, fundamenta ponebat sapientis sermonis, h. e. ἤρχετο σοφῶν λόγων, ut toties dicitur. Ornata loquutio consulto hic a Pindaro electa, quae petita est ab aedium aedificatione. Significat autem κρηπίς proprie non fundamentum sub solo latens, sed graduum molem, cui reliqua superstruenda, cf. ad Fragm. inc. nr. 103. Ceterum aliquoties utitur hac metaphora Pindarus, ut Pyth. VII init. de prooemio fundamento carminis. Add. καταβάλλεσθαι, ut Callimach. Fragm. 196. καταβάλλομ᾽ ἀείδειν. Vid. ad. Nem. II, 4. — Πε-

τραῖος dicitur Neptunus, quia hoc nomine colebatur in Thessalia, vid. Schol. — V. 139. *ὠκύτεραι* scil. *κέρδος αἰνῆσαι ἢ δίκαν*, cf. Matth. Gr. p. 844. Cet. ad loquutionem: *κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας*, cf. Plat. Rep. II. p. 361, e. *ἐπαινεῖν πρὸ δικαιοσύνης ἀδικίαν*. — V. 140. *ἐπίβδα*, dies post festum proxima, qua fere laborare solent convivae ex nimia intemperantia, qualis est dies repotiorum, cf. Ruhnk. Tim. Lex. Plat. Nunc proverbiali loquutione aptissima et propter Thessalicas *εὐωχίας* et propter praesens Arcesilai convivium dictum pr. licet postea damna poenas inveniant. — *ὅμως* notum e tragicis, cf. Elmsl. ad Med. p. 266. et ad Soph. Ai. 15. Mus. crit. T. III. p. 351. — V. 141. Pergit: Nos autem decet contrarium facere. *θεμισσαμένους ὀργάς*, cupiditatibus ad iusti normam frenatis et castigatis. — *ὑφαίνειν ὄλβον*, texere felicitatem in posterum, Spanh. ad Callim. Apoll. 57. Utitur hac loquutione ut in re, cui parandae et struendae sapientiam adhiberi vult. — V. 142. *μία βοῦς*, abavia Enarea, Aeoli uxor, genuit Cretheum et Salmoneum, huius nepos Pelias, illius Iason. Abaviam autem communem memorat, non abavum Aeolum, quoniam Pelias supra rogaverat de matre Iasonis, ut bene vidit Tafel. Ac quum veteres vaccas, iuvencas dicant feminas, puellas, ut satis notum (cf. Iacobs. ad Philostr. p. 308), non tamen temere, sed cum respectu sententiarum, nunc quidem vide, ne lenis admonitio insit Peliae, ne contemnat Iasonem et nobiliore se genere prognatum opinetur. Ceterum Boeckhius acute suspicatur etiam Arcesilaum et Damophilum cognatos fuisse, ita ut ab una femina descenderint. — V. 144. *κείνων φυτευθέντες*, cf. Matth. Gr. p. 688 E Iacobs. Delect. Epigr. p. 87. — *σθένος ἀελίου χρύσεον λεισσομεν*, lyrico ornatu pro epico: *ὁρᾶν φάος ἠελίοιο*. — V. 145. *Μοῖραι δ' ἀφίσταντ' — αἰδῶ καλύψαι*, explicat Boeckh. cum Scholiis: Parcae vero aversantur, si qua simultas intercedit cognatis, pudorem ut posuerint. Hoc improbat Herm. ad Soph. Oed. Col. 284., monens sic omitti non potuisse *ὥςτε*. Ipse igitur verba *αἰδῶ καλύψαι* cum sequentibus iungit hoc modo: *αἰδῶ καλύψαι οὐ πρέπει νῷν χαλκοτόροις ξίφεσιν, οὐδ' ἀκόντεσσιν μεγάλαν προγόνων τιμὰν δάσασθαι*. Verum non animadvertit vir acutissimus Pindarum sic male loquuturum fuisse. Nam pudorem e conspectu removent

bello incepto, bellum autem geritur ensibus et iaculis; unde vides non bene enses et iacula hic separari, nec potuit accuratus scriptor ita loqui. Mihi Pindarus dixisse videtur sententiam longe gravissimam. Ac Parcas nominat, quia dissidia et bella cognatorum contra naturam sunt; magnifice vero et praeclara dicendi audacia ipsas Parcas horrere et pudore affici ait ob tale crimen. Quare verto: Parcae secedunt, si qua simultas intercedit cognatis, ad pudorem suum occultandum. — V. 147. χαλκοτόροις (aere factis) ξίφεσιν οὐδ' ἀκόντεσσιν, h. e. bello, ac quod ἄκοντας non ἔγχεα memorat, Thessalos historici temporis respicit, qui ἀκοντισταί fuerunt, cf. Xenoph. Hist. Gr. VI, 1, 4. Mox γάρ hoc sensu dicit: Offero enim tibi pactum aequum, quo minus vi opus. — V. 149. ἀπούραις, cf. Buttm. Lexil. I. p. 79. — V. 150. πλοῦτον πιαίνων, divitias augens, cum reprehensione dictum. Ceterum cf. Ol. IV, 23. — V. 151. πονεῖ με, h. e. λυπεῖ, Anacr. XL, 14. — V. 152. ἀλλὰ καὶ σκᾶπτον καὶ θρόνος, nominativus absolutus, non temere positus, sed ad augendam vim oppositionis. Sic Plat. Theaetet. p. 173, d. σπουδαὶ δὲ ἑταιρειῶν ἐπ' ἀρχὰς καὶ σύνοδοι καὶ δεῖπνα καὶ σὺν αὐλητρίσι κῶμοι, οὐδὲ ὄναρ πράττειν προςίσταται αὐτοῖς. Add. De Legg. XII. p. 953, a. Et Hemsterhus. ad Lucian. Contempl. 2. Bip. III. p. 377. — Κρηθεΐδας, pater meus Aeson. — V. 153. ἱππόταις λαοῖς, iterum propter Thessalos dictum, equitatu insignes, monente etiam Boeckhio et Tafelio. — εὔθυνε δίκας, iura dirigebat, ius administrabat. Solon. Carm. XV, 36. εὐθύνων δίκας σκολίας. Alii vertent: iustas sententias pronuntiabat, collat. Hesiod. Opp. 36. 224. 261. — Ceterum quod per se patet, cum his insignibus potestatem regiam sibi simul reddi vult. — V. 154. ἄνευ ξυνᾶς ἀνίας, sponte, ne cogaris, quod et tibi et mihi molestum sit. — V. 155. νεώτερον, gravius aliquod malum, cf. Heind. ad Plat. Protag. p. 461. Valcken. ad Herod. III, 62. Quum in fine minae addendae essent, si reddere nollet Pelias, vide quam leniter dicat Iason, non tam poenas nuntians quam deplorans malum, quod oriri possit. Omnino bene de moribus Iasonis ad h. l. disputat Gurlittus. — V. 156. ἀκᾶ, v. Buttm. Lexil. I. p. 14. — ἔσομαι τοῖος, brevissime indicat concessio-

nem sibi molestam. Exin vero quae narrat rex cave ficta credas ab eo, quo admisso dignitas expeditionis tota periret. Immo revera imperatum erat Peliae somniis oraculoque, ut animam Phrixi cum vellere reduceret in patriam, et piaculum erat non reducere; sed rex distulerat rem molestam et nunc oblata occasione usus Iasoni mandat, quem sic periturum sperat. — V. 157. γηραιὸν μέρος ἁλικίας, senilis pars vitae. Errat Tafelius explicans: senilis aetas portionis instar attributa. — V. 158. ἄνθος ἥβας, tritissima loquutio; cf. Tafel. — κυμαίνει. Notum σφριγᾶν de aetatis flore vegeto et robusto, illustratum a Foësio in Oecon. Hippocrat. Bergl. ad Alciphr. III, 19. p. 318. Ruhnk. ad Tim. p. 244., quod est tumere apud Latinos, Wunderl. Observatt. critt. in Aesch. p. 189. et turgescere Quintil. XI, 3, 28., monitum a Tafelio. Similiter nunc κυμαίνειν de exundante robore virium, et v. 179. κεχλάδοντας ἥβᾳ. Ac non offendit ἄνθος ἥβας iunctum cum κυμαίνει, quemadmodum Ol. I, 105. ὕμνων πτυχαῖς, recessibus poesios, δαιδαλωσέμεν dictum est recte, quum metaphoricus sensus in talibus spectetur, non primarius. Cf. etiam ad Ol. IX, 47. — V. 159. χθονίων, deorum inferorum, qui satisfactum volunt Phrixo. — ἑὰν ψυχὰν κομίξαι, animam suam reduci iubet in patriam. Infra Nem. VIII, 44. eadem loquutio significat reducere ex Orco. Tractat autem hunc locum praeter Schol. docte Eustathius ad Odyss. IX. p. 1614, unde discas ἀνάκλησιν intelligendam esse, etiam alias Graecis adhibitam, quum in peregrina terra aut in mari aliquis mortuus esset. Vocabant ter animam, ut in patriam veniret, haec tunc comitabatur euntes, et post reditum cenotaphium exstructum, circa quod postea anima versari credebatur, ut sunt manes cum sepulcris coniuncti, licet in Orco morantes. Dicitur res Eustathio ψυχαγωγία τις, generaliori sensu, sed praestabit ἀνάκλησιν appellare, etiam cum Eustathio, quum ψυχαγωγία proprie sit evocatio animae ex Orco. Porro notarunt Scholiastae, quum vulgo apud poetas velleris reportatio primarius itineris finis sit, a Pindaro animae reductionem primo loco poni; nec dubium hanc antiquiorem traditionem fabulae fuisse. Ceterum de velleris ratione vera et de Phrixi fabula vid. Müller. Orchom. p. 161 sqq. Noverca autem Phrixi ex vulgari fabula Ino est, Pindaro in Hymnis Demodice,

domesticas Iolci fabulas sequuto, cf. Schol. et Müller. l. cit, p. 170. — V. 162. βελέων, id agente igitur noverca, ut telis periret. — V. 164. εἰ μετάλλατόν τι, quum etiam falsa et mendacia somnia sint, cf. Hom. Od. XIX, 562., rogat num haec res talis sit de qua accuratius quaerendum, de qua consuli queat deus, quid facto opus sit. — ὀτρύνει scil. ὁ θεός. — τεύχειν ναΐ πομπάν, reductionem navi parare animae cum vellere e Colchide. Est enim πομπή Homerico usu reductio, devectio in patriam, et τεύχειν πομπήν est Odyss. X, 18. — V. 165. τοῦτον pr. τοῦτον οὖν, cf. ad Ol. III, 24. — τέλεσον-καὶ sqq., perfice et tradam pr. si perfeceris, tradam, cf. ad Nem. IV, 37. — V. 167. Ζεὺς ὁ γένεθλιος ἀμφοτέροις, gentilicius, auctor gentis ambobus, secundum eam traditionem, ex qua Hellenis pater Iuppiter. Ab Hellene enim constat ortum Aeolum et Aeolidas.

V. 171 — 262. Pars altera narrationis. Expeditio Argonautica. — Ac primum de heroibus dicit Iasonis comitibus, in quo iure quaeras cur hos maxime memoret, quorum nomina legimus; quod non potest sine delectu factum esse. Igitur primum tales dico memoratos, quorum nomina non solum clara essent, sed inprimis etiam iucunda auditu iis, quibus nunc haec canuntur. Iovis filii Hercules et Castores sunt Dorienses heroes, Cyrenarum vero metropolis Sparta. Quare culti etiam Cyrenis Dioscuri, vid. ad Pyth. V, 9. Idem de Hercule valet, cf. Thrige pag. 291. Neptuni filii Minyae sunt, Euphemus auctor regiae Cyrenarum gentis, Periclymenus, Minyarum Pylium regnum celeberrimum in memoriam revocans, ubi etiam postea iterum consederant Minyae per plures urbes, cf. Müller. Orchom. p. 360 sqq. Porro Apollinis filius Orpheus, poesios pater, quomodo taceri potuit, cantu citharaque nunc in his ipsis epiniciis sonante? Ne afferam musicas artes floruisse Cyrenis et Arcesilaum eorum peritissimum (Pyth. V, 107.). Heroes, quos vidimus, omnes sunt filii deorum Cyrenis cultorum, Iovis, Neptuni, Apollinis; explicatur sic commodissime nunc etiam Echionis et Eryti mentio, quos maxime propter Mercurii patris cultum Cyrenaicum additos censeo, traductum e Thera haud dubie, ubi fuisse eum Boeckhius supra ad v. 6. ex Inscript. notat. Idem Cyrenaicum cultum

dei agnoscit ad Pyth. IX, 59. Sequitur Thrige p. 288. Denique Boreadae Zetes Calaisque quid sibi volunt? Pindarus quum non posset omnes Argonautas memorare; pulcre tamen curavit, ut magnitudo expeditionis conspicua foret, finibus extremis indicatis, unde heroes venerint. Quemadmodum igitur Minyae ad Taenarum et in Pylo e Peloponnesi finibus veniunt, sic ab altera parte Boreadae a Pangaeo; tam diversa, ait, loca heroes suos miserunt. Voluisse Pindarum haec sic componi, ut facimus, inde patet, quod ceterorum heroum sedes non indicat, sed horum tantum. — V. 172. ὑψιχαῖται vulgo per βαθυχαῖται explicant, mihi tamen Tafelii sententia placet, qui ad proceram staturam respici censet (mit hoch in der Luft wallendem Haar). Talis, opinor, erat etiam Arcesilaus. Ceterum animadvertes consulto Minyas per plures versus laudatos. — V. 173. Ἐννοσίδα γένος, bene monet Schwenckius Etymologisch-Mythologische Andeutungen p. 186. Neptuniam prolem plerumque procerrimam fuisse. — αἰδεσθέντες ἀλκάν varie explicant viri docti. Heynius: Iasonis virtutem reveriti, quod longius petitum. Alii: suam virtutem, aut virtutem ipsam, ne timidi viderentur. Verum et parum honorifica sententia videtur et loquutio mira, cuius rationem idoneam desidero. Mihi etiam hoc propter Arcesilaum dictum videtur, quem omni modo a violentia avertere volebat. Verte: robur suum veriti, h. e. cohibentes, moderate eo utentes. Contrarium est in illo versu Hom. Od. XVIII, 139. πολλὰ δ' ἀτάσθαλ' ἔρεξα, βίῃ καὶ κάρτεϊ εἴκων. Sic roboris et moderationis laudem pulcherrime habemus coniunctam eandem, quae in Iasone est. — V. 174. τῶν μὲν κλέος ἐσλὸν sqq., horum fama eximia consummata est et perfecta hac expeditione, Euphemi quidem et tua, Periclymene. Hunc Nestoris fratrem εὐρυβίαν, late potentem, dicit ob celeberrimum regnum Nelidarum in Pylo, maius Euphemi ditione ad Taenarum. Hinc etiam alloquutione distinguitur, cf. v. 89. — V. 176. ἐξ Ἀπόλλωνος, ab Apolline missus, ut filius. — V. 179. Erytus et Echion gemini filii Mercurii et Antianirae, vid. Catal. Argonaut. Burmann., ex Alope Thessalica venerunt. — κεχλάδοντας ἥβα, turgentes robore iuvenili, cf. ad v. 158. et vid. Ol. IX, 2. Tum de forma verbi Boeckh. ad Ol. VI, 49. Ceterum nota schema Alcmanicum, Hom. Il. V, 774;

XX, 138. Od. X, 513. Cf. Welcker. Fragment. Alcman. p. 21. — Mox post ταχέως Boeckhius delevit δ᾽, quum Pindarus in fine versus non admiserit huius particulae apostrophum, cf. Dissert. d. Crisi Pindar. §. 6. Asyndeton, quod iam exsistit, mihi propter gradationem sententiae admissum videtur; sensus enim: Celeriter ad Pangaeum adeo habitantes heroes venerunt, voce *Παγγαίου* cum emphasi pronuntianda. Ceterum Pangaeus mons in Thraciae et Macedoniae confiniis. — V. 181. ἑκὼν θυμῷ γελανεῖ, haud invitus animo hilari, lubens Boreas filios suos Iasoni misit, qui tamen perierunt in expeditione. — ἔντυνεν, impulit. — V. 182 sq. πτεροῖσιν νῶτα πεφρίκοντας, alis horrentes, constructione notissima, Hom. Il. IV, 282; VII, 62; XIII, 339. De Boreadibus alatis vide locum suavissimum Propert. I, 20. 25. — V. 184. Hoc vero magnum desiderium expeditionis s. navis heroibus accendit Iuno. γλυκύς et γλυκερός usitatum epitheton voc. πόθος et ἵμερος pr. cupidus, magnus, cf. exempla ad Ol. III, 33. Ceterum ad adiectivorum rationem quod attinet, verte: dulce desiderium, quod ita trahebat omnes, ut nemo remanere vellet. Vis sententiae in παμπειθής. — πρόςδαιεν, accendit, si haec vera scriptura esset, reposita interim a Boeckhio pro corrupto πόθον γ᾽ ἔνδαιεν. Ceterum de Iunone huic expeditioni favente cf. Müller. Orchom. p. 267. Boeckh. h. l. — V. 186. αἰῶνα πέσσειν, cf. Ol. I, 83. — παρὰ ματρί, ut faciunt imbelles. Tum verba: μὴ μένειν, ἀλλ᾽ εὑρέσθαι ad πόθον refer, sic: ut nemo manere vellet, sed parare sibi. — ἐπὶ καὶ θανάτῳ, vel morte proposita, vel mortis cum periculo, Matth. Gr. p. 1165. — V. 187. φάρμακον κάλλιστον ἑᾶς ἀρετᾶς, virtutis s. laborum fortissimorum pulcherrimum lenimen ac praemium, victoriam et gloriam, bene monente Heynio et Boeckhio. Ut dicitur φάρμακον πόνων Eurip. Bacch. 283. Et apud Pindarum ἄκος πλαγᾶν Nem. III, 18., ἰατρὸς πόνων Nem. IV init. Maluerunt igitur pericula adire, ut postea recreationem factorum haberent pulcherrimam, quam nihil agere et in tuto desidere. Ceterum φάρμακόν τινος aut remedium alicuius rei est aut adminiculum eius efficiendae; de quo Wyttenb. ad Eunapium T. II, p. 35. Boissonad. monet et Tafel ad h. l. — V. 188. κατέβα, ut in urbem prope mare sitam, a quo septem stadia aberat, cf. Müller. Orchom. p. 248. —

V. 189. λέξατο, recensuit. — Mopsus, de quo vid. Catalogum Argonautarum, et Müller. Orchom. p. 260., utitur, ut vides, etiam sortibus, quod genus divinationis interdum ad Apollinem refertur; cf. Müller. Dor. I. p. 341. Iunctae nunc aves et sortes, credo, ut dicat omnia auguria addixisse. Cet. cf. Aristoph. Av. 596. Constructio autem, θεοπροπέων ὀρνίχεσσι καὶ κλάροισι, est qualis ap. Herodot. IV, 67: Μάντιες δὲ Σκυθέων εἰσὶ πολλοί, οἳ μαντεύονται ῥάβδοισι ἰτεΐνῃσι πολλῇσι ὧδε. — V. 191. ἐπεὶ δ᾽ ἐμβόλου κρέμασαν ἀγκύρας ὕπερθεν, suspensis ancoris super rostro, in prora, unde etiam πρώραθε demittuntur in mare, cf. Pyth. X, 52., ibiq. Schol. Argo vero dicitur prima navis longa fuisse et tribuuntur ei arma, revera serius inventa, rostrum et ancorae, ut passim etiam Troiani belli navibus. — V. 193. χρυσέαν λαβὼν φίαλαν, de hac libatione sollemni ante profectionem navium cf. Thucyd. VI, 32. Arrian. d. Exped. Alex. 6, 3. Et vid. Cerda ad Virg. Aen. V, 75. Scheffer. d. Militia navali III, 3. Tafel. h. l. — ἐν πρύμνᾳ, ubi etiam postea praetor vel trierarchus. Quum autem invocarentur ante profectionem varii dii, ut Iuppiter, Neptunus, Venti, Tempestates, Mare (cf. Scheffer l. cit.), vide nunc quam lyrice Pindarus hunc locum tractaverit. Vocabat, ait, Iovem omnium rerum rectorem summum, et fluctus ventosque, noctes marisque vias (noctes et iter per noctem) et dies, ut secundae essent, denique optatum reditum. In quo primum εὔφρονα quanquam post ἄματα positum, aptissimo loco, sensu omnino etiam ad antecedentia pertinet, siquidem ista omnia propitia et secunda esse vult. Tum ut singula apte composita ita noctes et maris vias quod iunxit, factum est; quia nocturnum iter periculosius diurno. Ceterum κελεύθους πόντου, ἁλός, θαλάσσης, mare pernavigandum, nemo nescit. Ἀνέμων ῥιπαί saepius ap. Pindarum, idem habet πόντου ῥιπαί Fragment. 138. Denique ne universum locum solius ornatus causa interpositum aut verbosius tractatum existimes, ut deteriores poetae cupide arripiunt quidquid ornatum admittit, etiamsi necessarium non sit, pulcherrime Iason pius et religiosus heros praeit ritus in sequentibus expeditionibus semper hominibus observatos; quare ut ipse singulari deorum auxilio opus esse intelligit, dii etiam favent ei eximie et fauste omnia eveniunt. Quae omnia

propter Arcesilaum sic composita. — V. 199. ἀμπνοὰν ἔστασαν, facta respiratio, animum receperunt. Ut ἱστάναι dicitur cum multis substantivis ap. poetas, veluti κραυγήν, ἰαχήν, μῆνιν, ἐλπίδα, cf. Boeckh. h. l. et interprett. ad Soph. Oed. R. 692, cum Passovii Lex. Ac nunc quidem suaviter de respiratione plena et firma. — V. 201. τερασκόπος, Mopsus Iovis tonitrum interpretans. — ἐνίπτων ἐλπίδας (λέγων, ἀγγέλλων), Buttm. Lexil. I. p. 283. — V. 202. Remigatio successit e manibus indefessa, sine taedio. — V. 203. Ἀξεῖνον, qui postea Εὔξεινος. — V. 204. Ποσειδάωνος. De universa expeditione Iovem supra invocatum vidimus; hoc loco Pindarus Neptunum ornat, Euphemidarum auctorem, qui profecto in huius itineris narratione negligi non poterat. Igitur quum venissent ad pontum Euxinum, condunt ibi sacrum Neptuni celeberrimo loco, atque huius dei ope fauces ponti intrant Symplegadum miraculoso motu clausas. Nempe per totam narrationem docetur manifesto deorum favore hanc expeditionem perpetratam; quem in finem praeclare nunc etiam hoc miraculo utitur. Ceterum locus est Hieron ad ponti introitum in latere Asiatico, de quo vid. Boeckh. h. l. Müller. Orchom. p. 289., Buttm. Lexil. II. p. 32. Fuit historico tempore celeberrimus. Ne de Iove Urio dicam, erat ara, quam prisca fama diis duodecim ferebat consecratam; haec est, quam Pindarus narrat iam tum ibi stetisse, est νεόκτιστος, ut posita a Phrixi filiis, cf. Lexil. l. cit. p. 33. (certe θέναρ habet νεόκτιστον λίθινον, ab his factum); quare nunc in ea etiam Argonautae sacrificant Neptuno, duodecim deorum uni, addentes tamen τέμενος circa aram, ut ara postea in τεμένει Neptuni esset. Quod constat sic facere licuisse. Condiderunt igitur non aram, sed τέμενος. — De voc. ἔσσαντο cf. Valcken. ad Hippolyt. 31. — V. 205. ὑπᾶρχεν, h. e. invenerunt ibi gregem boum, Θρηϊκίων, h. e. Bithyniorum, nam Bithyni Thraces, cf. Herod. VII, 75; praefert vero Pindarus nomen nobilius et lyricae orationi accommodatius. — θέναρ, de quo vid. Boeckh., arae summa pars concava, τὸ κοίλωμα τοῦ βωμοῦ τὸ ὑποδεχόμενον τὰ θύματα. Ceterum lectio λίθων βωμοῖο θέναρ non plane certa, quum libri meliores λίθινον habeant. Vide Boeckh. d. Crisi Pindar. §. 40. Idem ad genitivum λίθων comparat Thucyd. I, 93. Nec dubia haec constructio, cf. Matth. Gr. p. 688. — V. 208.

συνδρόμων πετρᾶν, quae *κυάνεαι Συμπληγάδες*, nobilissimae; cf. Apollon. Rhod. II, 317. Orph. Argon. 682. Valer. Flacc. IV, 561. — *ζωαί*, de motu spontaneo, quum daemonica quaedam vis iis inesset. Quod non intelligens Scholiastes iniuria carpit vocem a Pindaro adhibitam. — *κυλινδέσκοντο*, provolvebantur, ut saxa. Apta vox ad terrorem augendum, ut dicitur *πῆμα κυλίνδεται* Hom. Il. XI, 347. Odyss. II, 163. — V. 210. *στίχες*, agmina, acies. — *τελευτάν*, finem, mortem. — *ἄγαγεν*, cf. ad Pyth. X, 6. De re cf. Apoll. Rhod. II, 604. — V. 212. *κελαινώπεσσι*, propter fuscum oris colorem. — *βίαν μίξαν*, ut Nem. III, 61. *ἐπιμίξαις Αἰθιόπεσσι χεῖρας*. Homerus *μίσγεσθαί τινι*. Et manus conferunt, ait, cum Colchis apud Aeetam ipsum, h. e. ad ipsam urbem progressi. Pugnatum esse recte narrat Pindarus, licet alii omiserint; ita enim et heroibus convenit et rei ipsi. Consentaneum est Argonautas, quum urbem peterent, prohibitos, armis viam sibi parasse in urbem, ubi deinde de velleris recuperatione cum rege amplius agendum erat. In hac autem miraculosa re perficienda iterum divinum auxilium affuit; quae Veneris fuere partes. Ac bene notatum ante nos iam in arca Cypseli expressam Venerem fuisse Iasoni faventem, cf. Pausan. V, 18, 1.; modum tamen hunc auxilii Pindarus ipse excogitavit, opinor. — V. 213. *πότνια ὀξυτάτων βελέων*, ut *πότνια θηρῶν* Hom. Il. XXI, 470. — V. 214. Iynx, torquilla Linnaei esse creditur, variis nominibus vulgo recte an falso appellata, frutilla, verticilla, motacilla, nobilitate sua adumbrans aestuantis amoris agitationem. Hinc ea in incantationibus utebantur illigata rotae, quam circumagebant. Atque ita amor efficiebatur. Cf. plura apud Interpretes: Heynium, Wagnerum, Gurlittum, Boeckhium, Tafelium, et quos hi laudant. — *τετράκναμον*, alis pedibusque in quattuor radiis rotae expansam, cf. Pyth. II, 40. — V. 215. *ἀλύτῳ*, indissolubili rotae, ut vinculo illigatam, unde amores indissolubiles efficit. — V. 216. *μαινάδα*, vesanam, vehementis amoris auctorem. — V. 217. *λιτάς*, *λιτανευτικάς*, verba precantia incantationum. — V. 218. *αἰδῶ*, ita ut clam Iasonem amaret. — *Ποθεινὰ δ᾽ Ἑλλὰς — Πειθοῦς*, Et ut desiderium Graeciae virginem amore flagrantem agitaret flagello Suadae, h. e. vi insuperabili

traheret. De metaphora flagelli cf. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 26 fin. et Tafel. ad h. l. — *δονέοι*, ita ut quietem non haberet; cf. Bion IV, 5. Tibull. I, 5, 3. Omnino enim frequens est *δονεῖσθαι* de commotis amore. Cf. Iacobs. Delect. Epigr. p. 240. — *Πειθώ* plerumque Veneri inservit, ut etiam hic; quanquam, quod obiter addo, etiam ad alias res refertur. De ea vide Boeckh. ad Pyth. IX, 39. et Iacobs. Animadverss. ad Antholog. Gr. p. 106. T. VI. — Denique universi loci magnificentiam etiam alii senserunt, ne quis tumorem et strepitum verborum inanem loquatur. Ut virgo non vilis sed generosa et honesta abiiceret verecundiam parentum, clam peregrino iuveni se desponderet eumque adiuvaret et in longinquam terram cum eo abiret, ista profecto magna vis necesse est fuerit et insuperabilis, qua tale quidquam efficeretur; quod praeclare intelligens Pindarus maximis verbis utitur, quae quidem lingua offerret. Sic Medeae honos suus constat et Iason ornatur pulcherrimo favore Veneris. Cf. post haec Philostrat. Imaginem c. VII., ubi picta Medea adhuc dubia haerens. — V. 220. *πείρατ᾽ ἀέθλων πατρωΐων*, quomodo superari et ad felicem exitum perduci possint certamina, labores a patre propositi. cf. omnino *ἔργων τέλος*. — *ἀντίτομα ὀδυνᾶν* sunt remedia quae secantur et parantur alicui adversus dolores et morbos. Cf. Stanl. et Blomfld. ad Aesch. Agam. 16. Ruhnk. ad Hom. Hymn. Cer. 229. Iacobs Animadv. ad Eurip. p. 36. Intelligas igitur radicum et herbarum succos expressos quos oleo miscuerat, aut potius contusas et comminutas has ipsas radices et herbas sic madefactas, medicatas oleo. Est vero *φαρμακοῦν* imbuere, tingere aliqua re, atque ita efficere, ut vim *φαρμάκου* habeat tinctum. Ac Medea sic paraverat *φάρμακον χριστόν*. *χρίεσθαι* enim in talibus proprium. Errat Tafelius nulla alia re Iasonem se inunxisse dicens quam oleo. — V. 222. *καταίνησαν*. Verbum omnino significans promittere, zusagen, cf. Blomfld. ad Aesch. Choeph. 694., Reisig. ad Soph. Oed. Col. 1625., peculiari usu est despondere, vid. Porson. ad Eurip. Orest. 1090. Unde nunc de mutua sponsione amantium dictum. Ad *κοινὸν γάμον μίξαι* cf. Pyth. IX, 13. Ceterum factae nuptiae in reditu, si reliquos Argonauticorum scriptores audimus. — V. 224. *ἀδαμάντινον*, ut Apoll. Rhod. III, 1284. Quum igitur ex ferro durissimo

esset aratrum, erat simul permagni ponderis. Hinc σκίμψατο, statuit impressum, infixum solo, bene dictum. — V. 225. βόας, de ignivomis bobus vid. Schol. Ceterum per zeugma etiam haec vox iuncta verbo σκίμψατο pr. ἔστησε. Est autem zeugma nihil nisi apta brevitas, ubi verbositas putida. — πνεῦν s. potius πνέον, praecipiente Naeckio ad Choeril. p. 148. — De γενύων vid. Herm. Element. doctr. Metr. p. 53. — χαλκέαις, cf. Apoll. Rhod. l. cit. et Tafel. ad h. l. — ἀμειβόμενος, alternis, ut fit. — V. 227. πέλασσεν, cf. Apoll. Rhod. III, 1307. Aeschyl. Prometh. 155. — ὀρθὰς αὔλακας ἐντανύσαις, tam firma manu regebat boves et aratrum. Ac non dicit ἐκτανύσαις extendens longos sulcos, sed ἐντανύσαις, tendens rectos ut intentum funem. — ἤλαυνε scil. βόας. Licet enim dici possit αὔλακας ἐλαύνειν, veluti ὄγμον Hom. Il. XI, 68. et τάφρον, inutilis hic ista cumulatio. — V. 228. ἀνὰ βωλακίας — γᾶς, et glebosae terrae dorsum scidit in ulnae altitudinem. — νῶτον, superficiem terrae. — ὀρόγυιαν, Matth. Gr. p. 785. — ἀνά cum σχίζε iunxerim; Boeckh. ad ὀρόγυιαν refert. Ceterum ad collocationem particulae δέ conf. Ol. VI, 74. — V. 230. στρωμνάν, h. e. cui insedit Phrixus. — V. 231. θύσανον intellige villos s. lanam; totum enim vellus aureum est. Vid. plura ap. Boeckh. — κρόκεον εἷμα, τὸ κροκωτὸν ἱμάτιον. Homerus χλαῖναν φοινικόεσσαν aut πορφυρέην dixisset. Sed uterque color pariter celebratus veteribus, cf. Voss. Epist. mythologg. T. II. p. 80. — V. 233. εἴχετ᾽ ἔργου, aggrediebatur, ut λόγου εἴχετο Herodot. VII, 5. — ἐόλει, h. e. ἐτάρασσε, cf. Buttm. Lexil. II. p. 81., et Gr. ampl. II. p. 120. — ἐφετμαῖς, propter praecepta Medeae, h. e. propter praescripta a Medea medicamina adversus dolores et vulnera. Matth. Gr. p. 728. — V. 234 sq. σπασσάμενος ἄροτρον, tracto ex sulco seu potius adducto aratro et protracto credo illuc, ubi iungere volebat boves, iunxit eos et sulcum fecit. Post δήσαις ne copulam desideres cum Gurlitto, construe, σπασσάμενος ἐξεπόνασε μέτρον, δήσαις, postquam iunxerat, ἐμβάλλων τε, et stimulans. — ἀνάγκας ἔντεσιν, necessitatis instrumentis, loris cogentibus constrinxit cervices. Vid. Boeckh. Nott. critt. Add. ἀνάγκας χερσί Nem. VIII, 3. et δίναις ἀνάγκης Aesch. Prometh. 1060. Cf. praeterea Ol. II, 72,, et

Matth. Gr. p. 623. — φυᾷ, corpori cum significatione roboris et magnitudinis, ut Isthm. V, 47. Homerus et Hesiodus tantum de humana specie dicunt. — V. 236. ἐξεπόνασε, perfecit, peregit. Cf. de voce Valcken. ad Eurip. Phoen. 1642. Iacobs. Delect. Epigr. p. 123. Ceterum de forma verbi cf. ad Ol. VI, 11. — V. 237. ἴυξεν sqq. Boeckhius: In muto et tecto quamvis dolore tamen prae miratione in exclamationem erupit. — V. 240. ἔρεπτον, h. e. ἔρεφον, cf. Schneid. in Lex. Boeckh. h. l. et Hermann. ap. Heynium. Sic hic locus non est de φυλλοβολίᾳ intelligendus, quam vide Pyth. IX fin. Quanquam aptior hic esset φυλλοβολία quam coronatio. — V. 242. ἔννεπεν, ἔνθα, saepe iam lecta constructio. Arietem Phrixus immolaverat Iovi Laphystio, et vellus posuerat in luco Martis, cf. Müller. Orchom. p. 172. — μάχαιραι, h. e. μαχαίραις detractum corpori, sic expansum est. Pindarus solet brevissime loqui, ubi ampliore oratione non opus. — V. 243. πράξασθαι, aoristum pr. futuro vide explicatum a Stallbaum. ad Platon. Phaedon. p. 56. — V. 244. εἴχετο, haerebat in maxillis. Ex Pindari sententia vellus humi iacet, ne autem auferri possit, adest draco arreptum ab una parte faucibus tenens. — V. 245. πεντηκόντορος fuit Argo. — τέλεσαν πλαγαί, Plutarch. d. Fortun. Roman. p. 16. Hutt. ὥσπερ γὰρ ὁλκὰς ἢ τριήρης ναυπηγεῖται ὑπὸ πληγῶν καὶ βίας πολλῆς cet. — V. 246 sqq. Exin eventum rei et reditum Argonautarum paucis comprehendit. — ὥρα συνάπτει, brevior fit, magis magisque se contrahit. Quum enim συνάπτειν etiam significet: se coniungere et contiguum esse (cf. Monk. ad Eurip. Hippol. v. 187. Blomfld. ad Aesch. Pers. 887., Dorvill. ad Charit. p. 519. Lips.) dici potuit de tempore, cuius duo fines magis magisque coeunt, coarctantur, decrescente spatio intermedio. Ceterum cf. Interprett. — V. 250. τὰν Πελίαο φόνον, exitium Peliae, quem post reditum Argonautarum perdidit, persuadens filiabus, ut patrem occiderent, se occiso iuventutem restituturam, quod non fecit. Ceterum cf. Hermann. ad Vig. p. 932. maximique Boeckhii Nott. critt., ubi loquutio τὰν φόνον satis illustratur. — Verba σὺν αὐτᾷ, ipsa puella iuvante, quum ab iisdem explicata sint, miror Tafelium de serpente cogitare. — V. 251. ἐν — μίγεν, adierunt Oceani undas et mare rubrum et

Lemnias feminas. Ac μίσγεσθαι ἀνθρώποις pr. venire ad, vel ex Homero notum, ut Odyss. V, 378, 386. Idem vero Il. XV, 409. habet μιγήμεναι κλισίαις Δαναῶν pr. appropinquare, penetrare in. Ac Pindarus statim μιχθέντες ἤθεσι. Tafelius autem bene confert θαλάττῃ συμμίσγειν Callim. Epigr. XIX, 5. Add. ἐπιμίσγεσθαι Αἰγύπτῳ, Ἑλλάδι Herod. II, 104, collat. Hom. Od. VI, 205. Navigarunt autem e Phaside in Oceanum, ex Oceano in mare rubrum, quod est in orientali et australi parte Africae; e mari rubro navem per deserta Libyae portarunt, ut supra vidimus, ad Tritonidem paludem, unde per mare mediterraneum Theram, a Thera in Lemnum venerunt. Ibi tum mulieres regnabant viris interfectis, cf. Müller. Orchom. p. 302. Welcker. de Aeschyl. Trilog. p. 585 sqq. Habentur ab Hypsipyle ludi funebres in honorem Thoantis, in quibus Argonautae certant, tum feminarum lectos conscendunt. — V. 253. ἐσθᾶτος ἀμφίς, cum Boeckhio verto: de veste, feminarum opere, certarunt contentionibus membrorum, quae fuit ἔπαθλον, licet praeterea coronae datae, vid. Ol. IV, 23. Ad loquutionem cf. Pyth. IX, 105. ἀμφίς pr. scorsim non dixit Pindarus; sigma ut in fine versus additum. Buttmannus quidem Lexil. II, 216. absque veste vertere mavult, gymnica enim certamina fuisse, non solum armatum cursum. Concedamus hoc; tamen nusquam Pindarus talem loquutionem addidit de certaminibus dicens, quum levior res sit et fere per se intelligatur; hic autem etiam incommode additam dicerem in certamine coram feminis, sequente verbo: καὶ συνεύνασθεν. Cetera de hoc versu vid. ap. Boeckh. Nott. critt. p. 460. — V. 254 sqq. Et in peregrinis terris tum semen fatale vestrae splendidae fortunae suscepit dies aut nox, condita ibi Euphemidarum gente. — ὑμετέρας ἀκτῖνος ὄλβου pr. ἀκτῖνος ὑμετέρου ὄλβου, cf. ad Ol. XI, 6. et ἀκτὶς ὄλβου pr. λαμπρὸς ὄλβος. Tum νύκτες horae nocturnae, h. e. nox, notante etiam Boeckhio, qui usus satis frequens apud poetas et in prosa oratione, cf. Iacobs. ad Anthol. Palat. III. p. 332. Blomfld. ad Aesch. Choeph. 282. et Heind. ad Plat. Protagor. p. 463. Verum cur dicit ἆμαρ ἢ νύκτες? Nempe statim post ludos coniugia cum feminis inita, et tum, ait Pindarus, regii generis vestri semina iacta vel eo ipso die vel nocte sequente. Hic est sensus simplex loquutionis, quam Heynius immerito frigi-

dam dixit, quaeque Tafelium eo adduxit, ut longos concubitus deorum quorundam conferret, repugnantibus licet verbis, quum non sit ἆμαρ καὶ νύκτες sed ἢ νύκτες. — V. 258. ἤθεσι, sedibus. Vid. Koen. ad Gregor. Corinth. p. 495. Iacobs. ad Philostr. p. 480. E Lemno, ait, postea in Laconicam migrarunt, tum Theram, postremo in Libyam. De quibus rebus uberrime exposuit Müllerus Histor. Orchom. p. 306 sqq. — τάν ποτε Καλλίσταν, hoc enim nomen habuit ante Therae et Minyarum adventum. — V. 260. σὺν θεῶν τιμαῖς, cf. v. 51. — ἄστυ χρυσοθρόνου — ἐφευρομένοις, vobis, qui prudentiam, sapientem mentem, nacti estis ad urbem Cyrenes heroinae gubernandam; quibus verbis transitum parat ad ultimam carminis partem. Quare cum laude simul admonitio subest, ut talem μῆτιν semper habeat rex. De Cyrene heroina cf. Pyth. IX, 4.

V. 263 — fin. Absoluta narratione mythica directiora monita Arcesilao dat et pro Damophilo deprecatur. Ad universum locum praeter Boeckhium conf. Müller. Hist. Dor. II. p. 173 sqq. et Thrige p. 177 sqq. — γνῶθι νῦν τὰν Οἰδιπόδα σοφίαν. Tafelius dictum nescio quod Oedipi intelligit; verius ceteri interpretes: Disce nunc Oedipi sapientiam, h. e. sis peritus ut Oedipus aenigmatum solvendorum. Quibus verbis bene praeparat sequentia, ut attentior fiat animus, neve inopinata veniat talis oratio. Oedipum constat aenigma Sphingis interpretatum; nunc etiam Arcesilao proponitur aenigma, praecepto politico per metaphoram quercus expresso. Dicit enim: „Si quis ramos amputet magnae quercus eiusque speciem deturpet, nihilominus etiam sterilis vires non parvas retinebit, sive hibernum ignem alens sive inter columnas heriles miserum onus sustinens aliena in urbe.“ — εἰ ἐξερείψαι κεν, cf. Herm. ad Vig. p. 830. [At nunc quidem aliter iudicat Herm., cuius haec sunt verba: „non recte olim iudicavi de Pindari verbis Pyth. IV, 468. Videtur ibi κέν in μέν mutandum esse.“ De part. ἄν. l. III. c. XI. V. C. F. R.] — V. 265. διδοῖ ψᾶφον περ᾽ αὐτᾶς, h. e. non ad nihilum redacta est, sed adhuc indicia dat virium suarum. Nam ψῆφον διδόναι non est suffragium ferre, φέρειν, sed calculum dare de te iudicaturis (Sie begründet noch immer ein Urtheil über sich). Veluti est ἀοιδὰς δοῦναι βροτοῖς Eurip. Troad. v. 1245. dare ho-

minibus quod de nobis canant. Vides a Boeckhio Nott. critt. recte defensum περί, quum ψῆφον διδόναι αὐτᾶς ineptum sit. — αὐτᾶς pr. αὔτᾶς. — V. 266. ἐξίκηται. Mire Tafelius: Ignis venit ad quercum. Cur vero hibernus, cur non etiam aestivus? Immo sensus: Si postremo in ignem hibernum deveniat. — λοίσθιον, extremus ignis, pro adverbio est. — V. 267. ἐρειδομένα σὺν κιόνεσσι vertas: quae fulcitur ope columnarum, ut intelligatur trabs columnis imposita pro epistylio ad tectum fulciendum. Sed ratio idonea huius sententiae non videtur adesse, ubi de sensu metaphorae quaeritur, de quo mox. Simplicius ἐρειδομένα erit active: nitens, solo innitens, stans, ut columna, et cum ceteris columnis sustinens tectum. Tafelius minus bene vertit: pressa, vel propter passivum sensum, non aptum hic, ubi de viribus quercus agitur. — Mox ἀμφέπει, tractat, habet laborem. Isthm. III, 77. ὄλβον ἀμφέπει. Gregor. Naz. T. II. p. 43. πόνον ἀμφιέποντες. Vid. de hoc verbo Tafel. ad Ol. I, 12. Exspectes autem coniunctivum: Quercus vires ostendit etiam quum ignem alit aut inter columnas stat. Sed mutavit orationem sic: Quercus vires ostendit ignem alens, aut etiam inter columnas stat, rediens in fine ad indicativum, quo fit nervosior exitus sententiae, vid. similem mutationem post participia Pyth. III, 53. et cf. omnino ad Ol. II, 61. — Denique de sensu loci monendum. Boeckhius ὄζους intelligit principes maxime civitatis et δρῦν ceterum populum et explicat sic: „Ne demtis quidem principibus populum vires amittere nec posse in optimos viros saeviendo frangi eius potentiam; videat rex, ne seditionis incendium oriatur aut superbiam regiam indignatus populus alieno imperio accedat, ut eorum, qui tum Aegyptum tenebant.“ Quae ego maximam partem egregie excogitata censeo, nisi quod ultima clarius explicata velim. Nam aliis in muris columnam esse sua sede desolata, quid est aliud quam migrare in aliam ditionem eiusque vires augere? Vide, ait Pindarus, ne ad extremum seditio oriatur populi et incendio turbarum pessumdetur civitas, aut emigrent plurimi in propinquam Aegyptum et hoc imperium augeant. In quo δύστανον μόχθον bene dixit eorum, qui inviti migrant in peregrinam terram et domino barbaro (δεσποσύναισι) se subiiciunt. Simul vides hos accedere reliquis columnis illius imperii, neque

causam esse quare pro epistylio ibi sint. Post haec denique etiam illud clarum, opinor, cur poeta aenigma adhibuerit; sunt enim haec eiusmodi, ut nec decore regi aliter dici possent, et mali ominis fuissent propriis verbis enuntiata. — V. 270. *ἐσσὶ δ' ἰατὴρ ἐπικαιρότατος*, tu es medicus civitatis opportunissimus, aptissimus, peritissimus. — *Παιάν τέ σοι τιμᾷ φάος*, et Apollo Paean, Battiadarum patronus, favet fortunae tuae et successum dabit felicissimum. Paean est sospitator et sanator Apollo, qui etiam morbis medetur (Pyth. V, 59.), cui post pestilentiam et alia mala propulsata canitur paean. Vide de nomine Valcken. ad Eurip. Hippolyt. p. 313. Müller. Dor. I. p. 298. — *τιμᾶν* est proprium deorum, qui favore et beneficiis ornant homines; nunc, *φάος*, felicitatem, splendidam fortunam regis fovet, auget, ornat omni modo Apollo. Sic, laudante Tafelio, Aesch. Sept. 718. est *νίκην τιμᾷ θεός*, fausto exitu prosequitur. — V. 271. *χρή*, asyndeton verte: Oportet igitur, s. cura igitur. — *μαλακός*, proprium de manu curante, cf. Nem. III, 53., hoc loco inprimis aptum, quum lenitas commendetur. — *προςβάλλειν χεῖρα* per se dicitur in utramque partem, ut Eurip. Alcest. 318. est male tractare. Denique *ἀμφιπολεῖν* s. *ἀμφιπολεύειν* etiam de medica opera passim usurpatur. — V. 272. *πόλιν σεῖσαι*, concutere, convellere, labefactare, cf. Mitscherl. ad Horat. 1, 35, 13. — V. 273. *ἐπὶ χώρας ἕσσαι*, in locum suum reponere. Confert Tafel. Theogn. 846. *εὖ δὲ θέμεν τὸ κακῶς κείμενον ἀργαλέον*. — V. 275. Tibi vero huius rei decus et laus paratur, contingit, ut a deo favente adiutus possis mederi civitati; age igitur fac. — *ἐξυφαίνονται χάριτες*, ornatissime dictum, h. e. fortuna propitia texit tibi. — V. 276. *τλᾶθι*, asyndeton vides vertendum ut ante per: Quare. Iterum enim cum vi redit ad hortationem primariam. Ceterum *τλᾶθι* est: entschliesse dich, aggredere, suscipe strenue ac fortiter. cf. de verbo Monk. et Wüstem. ad Eurip. Alcest. 285. — *τᾶς εὐδαίμονος*, tot naturae bonis ornatae. — V. 277 sqq. Dixerat de universa civitate; nunc speciatim pro Damophilo intercedit, viro nobili et regiae familiae genere coniunctum, cf. Schol. 467., qui pulsus a rege tum Thebis vivebat. — *τῶν δ' Ὁμήρου* sqq. Ex Homericis etiam hoc dictum consi-

dera et cura: Bonum internuntium ad rem mandatam perficiendam plurimum conferre. — καὶ τόδε est: Apud Homerum, ubi alia multa praeclara, etiam hoc legitur. — πορσύνειν, colere, observare diligenter. Ipse Homeri locus est Il. XV, 207 sq., ubi vid. Heyn. Ibi bonus nuntius est, qui moderationem suadet. Iam pergit: Valet hoc etiam nunc; etiam Musa ornatur, et augetur poesios vis, ubi nuntia bona est, suadens iusta et aequa. Ceterum amant laudare veteres poetas, ut Hesiodum laudat Isthm. V, 67. — V. 279. ἐπέγνω, norunt omnes iustitiam Damophili. Genitivum Hermannus ex Homero illustravit, ut Il. IV, 357. XXIII, 450. cf. Matth. Gr. p. 659. — V. 281. ἐν παισὶν νέος, ut ὠκὺς ἐν ποταμοῖς pr. celerrimus Nem. III, 80. Fuit autem Damophilus iuvenili aetate. — V. 283. ὀρφανίζει — ὀπός, privat maledicam linguam clara voce sua, in quo ad φαεννός cf. Musgrav. ad Soph. Oed. R. 187. Porro vid. Isthm. III, 26. κελαδεννᾶς ὀρφανοὶ ὕβριος. — Universi loci sensus hic: Iuvenili robore et prudentia senili insignis obmutescere facit maledicas voces et didicit insolentem adversarium odisse, non adversans bonis et ad res gerendas promptus, h. e. obtrectatores contemnit et iniuriam propulsare sciet, ceterum tranquillus civis est non nocens bonis, ut utilis tibi esse poterit in rebus gerendis, ut fere Boeckhius haec cepit. — μισεῖν lenius dixit pr. repellere. — Ultima: οὐδὲ μακύνων τέλος οὐδέν, nullius rei effectionem ducens, alii explicant: non favens consiliis quae longum tempus spectant, contra orationem et repugnantibus sequentibus. — πρὸς ἀνθρώπων, apud, inter. — V. 287. ἔγνωκεν, Damophilus καιρόν. — θεράπων δέ οἱ, οὐ δράστας ὀπαδεῖ, ut minister, non ut servus ei obtemperat; nam θεράπων liberalior minister est, ut ex Homero constat, cf. Nitzsch. Comment. ad Odyss. I. p. 233. δρήστης s. δρηστήρ famulus (Hom. Od. XVI, 248.) generaliori sensu, sed minus honesta appellatione, qui operam praestat imperatam, cf. Damm. Lex. Hom. Iam sensus loci non uno modo constitui potest. Boeckhius: Non sudat in rebus gerendis tanquam servus viliorum negotiorum curator. Heynius: Captat occasiones opportunas consiliis, non servili modo ex iis pendet ut ex herili nutu. Ego dixerim: Libere et ingenue inservit temporibus non quamvis etiam inhonestam operam susci-

piens, ut famulus quidvis faciens ad nutum heri. Vix enim video, cur pluribus de καιρῷ dicat, nisi fecit propter Arcesilaum, ut hic sciret, quomodo Damophilo uti posset. θεράπων, ait, tibi erit, non δράστας. Ceterum cf. καιρῷ λατρεύειν Phocyl. carm. νουθετικ. v. 112. — V. 289. ἐκτὸς ἔχειν πόδα, cf. Aesch. Prometh. 261., ubi vid. Blomfld. — καὶ μὰν sqq. Tamen ille Atlas (Ἄτλας ὤν, alter Atlas) coelo luctatur, h. e. cum gravissimo onere conflictatur, exsilii scilicet, procul a patria. Similiter Atlas in extremis terrae oris stat procul a consortio deorum. Ad Ἄτλας non est omissum ὡς, uti vides; quod hic etiam fortius. — V. 290. προσπαλαίει, ut παλαίειν συμφοραῖς Polyb. II, 56., ζημίαις Xenophon. Oecon. XVII, 2., cf. Nem. VIII, 27. — Titanes hic sunt qui in Tartarum coniecti erant et vincti; liberatos a Iove vide etiam Fragm. Hymn. nr. 6., et apud Aeschylum in Prometheo soluto, cf. Weicker. de Aesch. Trilog. p. 38. — V. 291 sq. ἐν δὲ χρόνῳ — μεταβολαὶ ἱστίων. Ut nautae, cessante vento, mutant vela, sic tu mutata nunc Cyrenarum conditione, cessante seditionis periculo, Damophilum revoca. — V. 293. οὐλομέναν νοῦσον, exantlato tristi exsilio cum aerumnis suis. — ἰδεῖν, de rebus iucundis et adversis, cf. Peerlkamp. ad Xenoph. Ephes. p. 182. — ἐπ' Ἀπόλλωνος κράνᾳ, quae Cyre dicta, unde urbis nomen, cuius antiquior pars circa hunc fontem sita erat; cf. Boeckh. h. l., Müller. Prolegom. Mythol. p. 112. Thrige de Cyrenis p. 95. Tafel ad h. l. — Mox quod de conviviis et de cantu citharae dicit, facit suavissime, quum hoc ipsum carmen haud dubie in convivio caneretur. — V. 295. θυμὸν ἐκδόσθαι πρὸς ἥβαν, h. e. totum tradere hilaritati; hoc enim est ἐκδόσθαι. Ad ἥβαν cf. Theogn. v. 876. Bekk. Et erat, ut vidimus, iuvenili aetate. Comparaverit aliquis Himer. Eclog. XIV. p. 244. de Cycno dictum: ἄρτι Ζεφύρῳ πρὸς ᾠδὴν ἐκδιδόναι μέλλων τὰς πτέρυγας, ut sit: animum expandere vult ad laetitiam, quemadmodum contrario modo συστέλλεσθαι dicitur, veluti Eurip. Herc. Fur. 1417 συνέσταλμαι κακοῖς. Sed hoc non placet. Non vult componere animum ad laetitiam, sed laetari, ipsamque loquutionem non dicerem bonam. Alterum melius. Aesch. Pers. 837. ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ, ut saepe. — ἐν σοφοῖς — πολίταις, inter cives musices et poesios peritos, quae artes florebant Cyre-

nis, cf. ad Pyth. V, 107., cum cithara versans, quiete frui innoxia. — *θιγεῖν* c. dativ. Pyth. VIII, 24. IX, 43. docente Boeckhio ad Ol. I, 86. Matth. Gr. p. 639. — Ultimos duos versus Boeckhius *Ἀρκεσίλα* scribens non *Ἀρκεσίλᾳ* explicat sic: Et narrabit, qualem fontem carminum, h. e. quem praeclarum poetam, o Arcesilae, Thebis invenerit. Mihi ceterorum interpretum sententia placet, ex qua etiam regi dicitur quod gratum sit. Narrabit, ait, qualem Arcesilao fontem futurae laudis invenerit Thebis, Pindaro etiam in posterum pulcra carmina promittente, si quid praeclari rex gesserit. Ac docente Pyth. V fin. parabat Olympicam victoriam. — V. 299. *Θήβᾳ ξενωθείς*, nam Aegidam fuisse Damophilum, apud Thebanos Aegidas receptum, suspicatur Boeckhius optime.

Carmen Pythium quintum.

INTRODUCTIO.

Carmen eidem Pythiae victoriae Arcesilai scriptum, cui antecedens, cantatum vero publice in reditu pompae victorialis, sollemniter per urbem incedentis in via Apollinea dicta; equi deducebantur sine curru, qui Delphis dedicatus erat. Reportaverat autem victoriam Carrhotus auriga, frater reginae. Post cantum probabile est in templo Apollinis coronam dedicatam; ne vero carmen in templo cantatum credas, in quo nulla est invocatio Apollinis. Sed de his rebus dixit iam Boeckhius. Verisimile vero, quanquam non certum, simul Carneorum festum eo die fuisse. — Argumentum carminis hoc est: Divitiae, ait, potentissimae, si cum virtute coniunctae sunt, quae laus tibi, Arcesilae, fuit ab ineunte aetate. Nunc quum clara cum virtute insignem fortunam habeas regiae magnae potentiae et recentis victoriae, deum ne obliviscaris universae tuae felicitatis auctorem esse, diligas vero etiam Carrhotum, qui victoriam reportavit integro curru, currumque dedicavit Delphis, ut perenne monumentum victoriae in gravissimo certamine partae. Sine labore enim, pergit, nihil contingit, nunc autem Batti fortuna antiqua adest, quem Apollo olim insigniter honoravit, in Libyam eum deducens, ut conderet Cyrenas. Nam

primum Dorienses a deo in Peloponnesum ducti, inde Aegidae Theram profecti cum sacro Carneorum, quae Cyrenas ut venirent in fatis erat Batto coloniam ducente. Hic autem, ait, occupato loco, ubi Troiani Antenoridae prius consederant, sacrificiis ornavit hos heroes, aedificavit maiora templa deorum et stravit praeclaram viam Apollineam sacris pompis destinatam, vir felix dum vivebat, et post mortem pro heroe cultus sepulcro in foro conspicuo. Praeterea etiam ceteri reges sancti in urbe sepulcra habent. Qui omnes sub terra nunc laetantur novo decore ab Apolline concesso sibi et Arcesilao. Est vero Arcesilaus insignis vir multis virtutibus, quem utinam dii etiam in posterum tueantur et honorent. — Restat, ut de summa sententia carminis et universa eius adornatione moneam, quorum tamen pleraque Boeckhii sagacitate iam occupata video. Igitur laudat hoc carmine Pindarus ὄλβον, si cum virtute coniunctus sit. Ὄλβον quum dico, divitias et potentiam regiam hisque coniuncta bona intelligi volo; nam orditur quidem a divitiis, mox vero potentiam regiam addit, neque obscurum est per reliquum carmen non partem tractari, sed universum ὄλβον Battiadarum, eumque nixum favore deorum, inprimis Apollinis, qui Batto ἀρχαγέτας fuit et cui regnum Battiadarum debebatur. Iam si fortunae eximiae virtus coniuncta est, ut sapienter, iuste, gloriose ea utatur rex, nae is profecto potens est et admirabilis princeps. At si virtus non adest, impotentes sunt opes; dilabentur enim et peribunt. Erat Arcesilaus beatus potentia et divitiis fortunaque a maioribus tradita insigni, idemque virtutibus ornatus, sed erant etiam quae in eo displicerent magnopere, et nuperrime viderat seditionem civium. Vir consilio validus, strenuus ac fortis, caruisse tamen videtur quum aliis virtutibus, de quibus vide ad Pyth. IV., tum nimium sibi tribuens nec diis quantum debeat semper meminisse, nec hominum de se merita ubique satis agnovisse et remuneratus esse, ad severitatem quam ad benignitatem, ad superbiam quam ad modestiam proclivior. Quare non solum laudat poeta, sed etiam admonitiones proponit. Atque in principio quidem praedicatur Arcesilaus ut ea, quam diximus, opum et virtutis coniunctione ab ineunte aetate conspicuus; inde vero cum laude statim sapientiae admonitionem coniungit poeta, proponens primum regi quanta nunc felicitate

gaudeat, quum magnis urbibus imperitet et iam victor sit in Pythiis, tum hortans, ne deum universae suae fortunae auctorem obliviscatur esse et ut Carrhotum gratus excipiat, cui victoriae laus, pluribus verbis explicata, debeatur. Iam in media parte ut aliis in carminibus fabula exhibetur mythicum παράδειγμα, sic nunc pro mythicis eundem in finem posita notes quae de Batto Cyrenisque conditis dicuntur, quae quidem observatio necessaria videtur ad unitatem carminis penitus perspiciendam. Praeclara illa virtutis et felicitatis divinitus datae coniunctio, ait Pindarus, in gente Battiadarum hereditaria est; conspicitur eadem luculenter in celeberrimo conditore urbis. Primum enim fortuna Batti insignis fuit, cui Apollo favit eximie; nam quum Dorienses in Peloponnesum duxisset deus et Aegidas Theram, inde profectus Battus est eiusdem dei auspiciis in Libyam, fugatisque leonibus condidit praeclaram urbem. Idem vero non minus pius fuit, honorans cultu antiquos loci heroes, colens deos magnificis templis inprimisque Apollinem. Nunc heroicos honores habet in foro. Similiter reliquorum regum sancta memoria. Sic subiicitur tertia pars carminis, in qua data opera regis nunc viventis eximias virtutes persequitur, inter quas etiam ludicrae gloriae studium, eumque praeclaris maioribus dignum ostendit, denique preces facit pro futura incolumitate et gloria. Vides proposita sententia de fortunae et virtutis societate in Battiadarum domo poetam pulcherrime consequutum omnia, quae res postulabat. Nam et populo declaratur magnificentia regiae gentis Arcesilaique eximia laus, et rex cum sua maiorumque laude admonitionem coniunctam habet sapientiae, ne corruant potentia opesque, donec virtus aderit, potentes. Quare etiam illud post haec omnia liquet, consilium carminis universum antecedenti simile esse: ut revocetur rex ab iis rebus, quibus perditum ibat regnum. Sed in antecedenti carmine lenitatem atque clementiam commendat, hic ad alias virtutes hortatur additque etiam eas, quas vere habeat rex, et quum illic primas origines gentis et ius hereditarium regni maxime spectaret, hic ὄλβον regium ipsum proponit universum. Atque ita factum, ut, licet summa sententia similis sit, alia tamen tractatione aliud ac plane diversum carmen oriretur.

EXPLICATIO.

V. 1 — 10. Prooemium. De coniunctione opum et virtutis Arcesilao divinitus ab incunte aetate tributa. — V. 1. ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής, divitiae late potentes sunt, h. e. multa praeclara et eximia iis effici et parari possunt, veluti victoriae curules. — V. 2 sqq. ὅταν τις — ἐπέταν, si quis mortalis eas cum praeclara virtute coniunctas fati munere domum ducat caras comites. Est πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος Ol. II, 53., ad quae verba vide annot. Conf. etiam Theogn. 493 sqq. Welck. — κεκραμένον, mixtum, sociatum, cf. exempl. ap. Tafel. h. l. — καθαρᾷ, praeclara, ut alias καθαρόν pr. claro, illustri dicit, cf. Ol. VI, 23. Alii non contaminatam iniustitiae et scelerum maculis interpretantur, quod alienum ab hoc loco. — βροτήσιος ἀνήρ, additum propter praestantiam rei, quae paucis mortalium contingit. — ἐπέταν socium, ut ἕπεται, ὀπηδεῖ πλοῦτος, ὄλβος, εὐδαιμονία sexcenties. — πολύφιλον, expetitum et exoptatum. — ἀνάγῃ, post verba πότμου παραδόντος, h. e. post notionem dandi, accipio pr. domum ducat, consequatur, aptissimo sensu in re rara et expetita, significatione autem verbi in vulgus nota, ut Hom. Od. III, 272. IV, 534. Ac respondet huic verbo sequens μεταν ίσσεαι. Ceterum diversus locus Pyth. VI, 47. — V. 5 sqq. „O beate Arcesila, tu eas inde a clarae vitae primis gradibus cum gloria consectaris per Castorem, h. e. tu inde ab ineunte aetate studes tibi adiungere talem socium et habere ornatas virtutibus opes idque felicissimo successu.“ V. 6 sqq. Verba αἰῶνος ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο cum Scholiis et interpretibus plerisque de ineunte aetate capio per hyperbolam laudis, ut infr. 107. ἀπὸ ματρός, et quod Tafelius e Cicer. Brut. 33. affert: doctus a puero. Ac gradum aetatis Cicero dixit Epist. ad Famil. III, 11. et Lucret. II, 1122. gradus aetatis scandere adultae. — κλυτᾶς, clarae per res gestas. — μετανίσσεαι, consectaris, non divitias per se, sed virtute ornatas, h. e. tu illam societatem opum et virtutis consectaris a puero, breviter loquente poeta, sed tamen recte. Explices hoc ita, non tam

divitias consectatum iuvenem, quas hereditarias habuerit, quam virtutem, et intelliges certaminum curulium nobile studium, quibus Arcesilaus quam primum potuerit operam dederit, pecuniam quidem impendens, virtutis vero laudes colligens. Ac vid. infr. 108. Verum ut dicam quod sentio, ex hac ratione non bene dixit Pindarus, divitias tamen laudans quaesitas, non solam virtutem; et quum Arcesilaus et divitias et virtutem gloriam hereditariam haberet, quidni ipse mature auxerit utrumque, quidni etiam de bellis cogitemus a bellicoso iuvene gestis, cf. v. 106., fortasse iam sub patre etiam, quibus et gloriam paraverat et opes ex praeda. Nam potentiae augendae eum plurimum studuisse non dubium. Castoris vero nomen utrique generi certaminis aptum. De Tyndaridis curulium certaminum rectoribus cf. Ol. III, 36. Iidem quum apud Spartanos in bellis praeirent (Müller. Dor. I. p. 408., II. p. 336), potuerunt idem Cyrenis facere, ubi colebantur. Nec non epitheton χρυσάρματος convenit, si currus Cyrenaeorum bellicos memineris, cf. ad Pyth. IV, 87. Sic μεταυίσσεαι ab omni parte aptum, nec offendor eo, quod πότμου παραδόντος praecessit, quum et hominum et deorum partes sint in talibus. Totum locum Boeckhius meus aliter interpretatur sic: Tu redis summa cum gloria a summis beatae vitae fastigiis, a Pythica victoria, quam Castoris debes beneficio. Neque enim opus, ait, ut Arcesilaus Pythiis affuerit; tamen dici poterat: modo redis, modo venis a summo hoc gloriae fastigio. In quo dissentio ab amico, et probo Tafelii sententiam negantis regem dici posse redire, qui non abfuerit, inprimis quum mox Carrhotum iubeatur rex benevole excipere reducem. Non memini locum apud Pindarum, ubi non accurate et ex veritate de talibus dicat. Quod vero idem Tafelius μεταυίσσεαι hic p. administras explicat, improbo; Arcesilaus iterum iterumque ludicra certamina et bella adeundo quaerebat laudem virtutis cum opibus iunctae, quae non uno facto, sed continuato studio paratur et conservatur. — σὺν εὐδοξίᾳ, victoriis reportatis. — ἕκατι, cf. Ol. XIV, 20. Cultos vero Castores Cyrenis docet hoc loco Boeckh., et Thrige pag. 290. — V. 10. εὐδίαν — ἑστίαν, qui deus eximie tibi favet, sed pro hoc specialem sententiam substituit e turbis civilibus paullo ante ortis et repressis ductam: Qui post hibernum imbrem serenitatem diffun-

dit in beatam domum tuam, post res adversas victoriae laude te exhilarans. Maxime vero Pindaricum sententiae generali formam dare ipsis praesentibus rebus etiam propiorem. Vide omnino dissertationem huic libro praemissam. Sic praesens documentum favoris luculentissimum ponitur pro universa declaratione favoris. — *καταιθύσσει*, lumina serenitatis diffundit et demittit, *καταχεῖ*, cf. ad Ol. VII fin. — *ἑστίαν* est pr. *εἰς ἑστίαν*, opinor. Hermannus ait: Loquutione usus est satis trita, verbum cum nomine pro solo verbo, vel verbo cum adiectivo ponens: *εὐδίαν ὃς καταιθύσσει ἑστίαν* pr. *ὃς εὐδιανὴν ποιεῖ τὴν ἑστίαν*. Nostra explicatio obversata videtur Matthiaeo. Gr. p. 697. Ceterum de nupera seditione vidimus ad Pyth. IV. Quam lenius metaphora significat, eaque aptissima, quum Castor etiam tempestatum domitor sit, cf. Plutarch. d. Oracul. Defectu. cap. 30. Hutt. Horat. I, 3 init. ibiq. interprett. Welcker. d. Trilog. Aesch. 229. Denique haec ultima sententia ut suaviter claudit antecedentia, quum mentione adversarum rerum augeatur iucunditas secundarum, ita praeparat sequentis loci admonitionem.

V. 11 — 53. Fortunam regis insignem praedicans commendat simul pietatem adversus deos et gratum animum adversus amicos opportunissima admonitione post turbas civiles modo repressas. Nexus vero sententiarum hic: Sapientes pulcrius ferunt etiam permagnam fortunam; tu habes permagnam fortnnam, quum rex sis multarum urbium et nunc victor in Pythiis; age sis igitur sapiens, deos colens et amicos, pro amicis autem nunc Carrhotus est. — V. 12. *καὶ τὰν θεόςδοτον δύναμιν*. Est *θεόςδοτος* magna, eximia felicitas. cf. ad Ol. II, 36. — *δύναμιν* dixit et regiam potentiam intelligens et divitias, quibus victoriae parantur. Sententia clara. — V. 13. *ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ*, quum sis probus et iustus vir. — V. 14 sqq. Partim enim quod rex es magnarum urbium, habet congenita praestantia tua optimum et praestantissimum munus hocce, animo tuo tributum; accentu rhetorico sententiae in verbis *αἰδοιόταιον* et *τοῦτο* ponendo. (Erstlich insofern oder da du König grosser Städte bist, hat deine angestammte Vortrefflichkeit die grösste und erhabenste Ehrengabe hieran, die deinem Geiste zu Theil geworden.) Vides minime ieiunum esse *τοῦτο*, ut Hermanno visum, sed

optimum et optime collocatum; separatum enim a substantivo γέρας et sequenti membro interpositum fortiorem accentum consequitur, de quibus rebus alio loco dicam explicatius. — V. 15. μεγαλᾶν πολίων, cf. supr. Pyth. IV, 15 et 19. — V. 16. συγγενὴς ὀφθαλμός, innatum, congenitum virtutis et praestantiae lumen, uti explicuerunt Herm. et Boeckh., quos vide. Sic lumen probitatis et virtutis in aliquo dixit Cic. Amicit. 8. ὀφθαλμός est res aut persona lucens, ut de viris Ol. II, 10. VI, 16. et ὄμμα de ὄλβῳ infr. 52. Ac potest haec notio per se aeque bene subiecti locum occupare ac praedicati. Tafelius ὀφθαλμόν proprie accipiens et vertens: oculus tuus pr. tua persona, ut sint tragicorum loquutiones, ὦ φίλτατ᾽ Αἴας, ὦ ξύναιμον ὄμμ᾽ ἐμοί, confudit diversa nec reputavit inepte dici: oculus tuus habet γέρας regiae potentiae; nam quod partem pro toto saepe poni docent, hoc tamen satis constat non temere, sed ratione fieri. Accedit quod sic male additum esset συγγενής. Neque enim concedo viro docto, qui laudabili studio plures locos de adiectivis συγγενής, σύγγονος, σύμφυτος, ἔμφυτος, σύντροφος collegit, posse haec pro meus et tuus sic poni, ut non habeatur diligenter substantivorum et sententiarum ratio. — V. 17. αἰδοιότατον, ut sunt αἰδοῖοι reges. — V. 18. τεᾷ μιγνύμενον φρενί non vacat. Praeclarissimum, ait, quod quidem tibi contingit. Igitur τεᾷ φρενί ornatius est, tuo animo pro tuae praeclarae personae. Optime conferas Isthm. III, 5. πλαγίαις δὲ φρένεσσιν (ὄλβος) οὐχ ὁμῶς πάντα χρόνον θάλλων ὁμιλεῖ. Hoc loco Pindarus simul verum sensum verborum συγγενὴς ὀφθαλμός hac loquutione monstravit esse animi lumen, non corporis, cui illud γέρας contigerit. De voce μίσγεσθαι cf. ad Ol. I, 22. Boeckhius vero et Hermannus vertunt: tua temperatum sapientia, Tafelius: cum tua iunctum sapientia. — V. 19. μάκαρ δὲ καὶ νῦν, post τὸ μέν, quod remotius, recte mutavit constructionem, oratione etiam magis poetica. — V. 20. δέδεξαι τόνδε κῶμον ἀνέρων, qui victoriae laudem consequutus nunc hanc pompam accepisti in tuum honorem per urbem incedentem. Ac rex obviam ierat pompae et comitabatur eam. — V. 21. Ἀπολλώνιον ἄθυρμα, Apollineum oblectamentum, ut Anacr. od. 53 Ἀφροδίσιον ἄθυρμα, h. e. iucundissimum κῶμον, quo ipse Apollo oblectetur. Nota enim per totum locum id agere poetam, ut am-

plificet, quantum possit, fortunam Arcesilai. Ceterum ἄθυρμα de oblectamentis deorum dictum illustrat Tafel. — V. 22. Κυράνας γλυκὺν ἀμφὶ κᾶπον Ἀφροδίτας ἀειδόμενον. Sensus videtur esse debere, qui in praeclara urbe, amoenissima in regione sita, caneris, ut hoc quoque ornamentis accedat, quae benigna fortuna regi contigerunt. Quare in eam sententiam inclino, ut urbem, in qua Venerem cultam Boeckhius ostendit et Thrige p. 287., traductam Cytheris, ut Müllero videtur, cum proximis regionibus propter insignem amoenitatem hortum Veneris dici existimem a Pindaro, veluti Pyth. II init. Syracusas τέμενος Ἄρεος dixit. Placuit idem aliis et nuper Tafelio, qui bene rosas Cyrenaicas memorat celeberrimas, de quibus exponit Thrige p. 319. Rosae vero Ἀφροδίσιον ἄθυρμα. Igitur Κυράνας cum emphasi dictum, ut Patrocli nomen Ol. IX, 75. et verba γλυκὺν — Ἀφροδίτας per amplificationem adiecta. Boeckhius meus, ut solebat Venus in hortis coli, peculiarem quendam hortum intelligit, Veneris dictum, quem pompa tetigerit praetereundo. Sed hoc minus placuerit, si causa dicti ea est, quam posui. Idem vero rectissime eorum sententiam reiecit, qui poesin intelligunt. — V. 23. ὑπερτιθέμεν, omni rei deum auctorem superponere; malo tamen sic: universae felicitati tuae deum nominatim Apollinem auctorem superponere, qui et regiam dignitatem familiae tuae dedit, ut ἀρχαγέτας (56.), et nunc tibi victoriam. Nam Apollinis cultum non dubium est maxime commendari hoc carmine Arcesilao, utpote labante imperio regio. — V. 24. φίλει δέ, post deum universae felicitatis auctorem etiam Carrhoti aurigae meritum agnosce. Vides logicam sententiarum iuncturam optimam, quae minus concinna, ubi παντί per cuivis rei vertitur. — V. 25 sqq. Qui non praetextus inanes et excusationes rediit afferens, quales incauti et imperiti aurigae afferunt, post casum sapientes, non ante, pr. hoc brevius, concinnius, ornatius dixit ita: Qui non Epimethei sero cogitantis filiam excusationem attulit. Vituperata quidem loquutio est ut quaesita nimis et inepte artificiosa; mihi aliter videtur. Poeta illustraturus meritum Carrhoti utitur antithesi, et opponit imperitos aurigas eorumque excusationes, ut sic maior appareat et splendidius luceat Carrhoti laus. Iam si dixisset simpliciter, οὐκ ἄγων προφάσιν, dixisset obscure, non plene, omninoque phrasis magni-

tudine sequenti fuisset impar. Addendum igitur aliquid fuit; poeta Epimethei nomen addidit, felicissime hoc verbo comprehendens quae ego ante multis verbis circumscribens ieiunus fui. Verum, ais, illud remanet vituperatione dignum, quod personam nobis aliquam Excusationem produxit. Minime fecit, respondeo; *πρόφασις* hic non magis dea est quam Nem. IV init. *Μοισᾶν θύγατρες ἀοιδαί* personae sunt, cf. dicta ad Ol. II, 32. Quare literam maiusculam delevi. — V. 27. *θεμιςκρεόντων*, tenebis publice haec cani populo. — V. 29. *ὕδατι Κασταλίας ξενωθείς*, ad Castaliam hospes receptus; non peculiari hospitio, sed sic, ut ludorum tempore omnes certatores et spectatores. — *ἀριστθάρματον γέρας*, praemium, coronam praestantissimo currui debitam, circumdedit comis tuis, paravit tibi in hippodromo Delphico, *ποδαρκέων δώδεκ᾽ ἂν δρόμων τέμενος*, ut optime emendatum videtur a Thierschio et Boeckhio, in sacro loco duodecim velocium curruum. Quum enim *πώλων* certamina octo cursus habentia tum nondum essent, cf. Pausan. V, 8., sed tantum adultorum equorum, quibus duodecim cursus praescripti, cf. ad Ol. II, 50., recte hippodromum, locum sacris ludis consecratum, sic designare potuit ornatius; nam ornatum hic ubique quaerit. Porro vides *ἂν* necessarium esse; accusativus nudus, *τέμενος* pr. *κατά*, *ἀνὰ τέμενος* verissime monente Boeckhio, hic graecus non esset. Atque *δρόμοι ποδαρκεῖς* sunt ut *ὠκύπους ἀγών* Soph. Electr. 699., laudante Tafelio. Qui *ποδαρκέων* pro participio habent, ut Carrhotus currens dicatur curru currente vectus, inferunt in Pindarum quod hic nullo modo dicere potuit. Denique *ἀκηράτοις ἀνίαις*, integris habenis, non confusis ruptisque, ut saepe aurigae loris impliciti, curribus excidentes, cf. Marcland. ad Eurip. Suppl. 689. Dixit nunc ita propter sequentia; sensus vero: perita et felice aurigatione paravit tibi victoriam. — V. 32 sqq. explicationem habent ambiguam propter locorum rationem. Primum partes et instrumenta currus, *ἔντεα*, dicuntur sollertium fabrorum artificia, *δαίδαλα* pr. *δαιδάλματα*, substantive ut Hom. Il. XIX, 13, 19. Od. XIX, 227.; currus enim Cyrenaici celeberrimi fuerunt artis praestantia, notante Boeckhio ex Athen. III. p. 100, F. c. Casaub. not. Hinc nunc ut donarium suspenditur currus; et fuerunt plures Delphis inter donaria, cf.

Thrige p. 345 sqq. Porro κοιλόπεδον νάπος θεοῦ aut tota convallis est (Waldthal) Delphos continens et a Delphis ad Crisam descendens, in qua hippodromus, idque simplicissimum est etiam Müllero iudicante, aut pro urbe Delphorum ipsa dicitur, aut denique est media sola pars urbis proprie νάπη appellata, quae Boeckhii sententia. Denique Κρισαῖος λόφος aut inter hippodromum et Delphos fuit, uti Boeckhius credit, aut, quod ego praetulerim, inter hippodromum et Crisam s. Cirrham, quae duo nomina Pindarus non distinguit, cf. Boeckh. et Müller. Orchom. p. 495. Iam vide mecum universam sententiam. Post primum hoc diceret Pindarus: Nihil fregit, sed reducta sunt ex certamine et dedicata deo omnia, quae deduxit in certamen. Si enim Crisaeus collis proxime prope Crisam s. Cirrham erat, ubi appulerat Carrhotus Cyrenis veniens, verba hunc sensum habere possunt: Omnia quae (profectus a Cirrha) superavit Crisaeum collem in planitiem dei deducens, ad hippodromum in certamen. Atque haec explicatio simplicitate se commendat. Ceterum ἄμειψεν est superavit, velut Aesch. Pers. 68. Alia ratio sententiae haec est: Omnia suspensa sunt Delphis, quae Carrhotus deduxit Delphos, quum primum veniret. Hoc sequuntur Thierschius et Tafelius, qui verba κοιλόπεδον νάπος θεοῦ ad solam urbem revocant, sine idonea causa, ut videtur. Ac Carrhotum cum curru ante certamen Delphis fuisse et omnino certatores cum curribus et equis ante certamen Delphos adiisse indeque rediisse ad hippodromum, dubitari posse censet Müllerus, cui vulgo currus in planitie remansisse videntur cum famulis, certatore ipso Delphos petente, ut deo sacrificaret. Post certamen demum Carrhotum currum duxisse ad urbem. Denique Boeckhius, ceterum κοιλόπεδον νάπος ad mediam solam partem urbis revocans, ita vertit: Omnia suspensa sunt, quae in reditu ex Crisaeo hippodromo, superato qui inter Cirrham et Delphos est Crisaeo colle, in mediam Delphorum urbem deduxit, ut dedicarentur. Haec sententia eo laborare videtur, quod sic his verbis non dicuntur omnia instrumenta currus salva. Nam si suspensa quae ex hippodromo reducta, fac dimidiam partem reductam, etiam haec dicetur suspensa; nunc autem etiam antecedens sententia opposita postulare videtur, ut notio: omnia expresse significata habeatur. Haec hactenus; eliget lector ipse. —

V. 37. τό σφ' ἔχει. Qui τόσσ' ἔχει malit, ut ante legebatur, dicat antecedens κρέμαται cum vi repeti, totidem inquam. Verum licet conferatur duplex apodosis protasin habens in medio, cf. Herm. ad Soph. Oed. Col. 779., hic tamen emphaticum τόσσα nescio quomodo ineptum est et non Pindaricum. Vera lectio τό, quare, redeunte poeta etiam sic ad antecedentia, sed sine emphasi. Hinc, ait, quia nihil omnino fregit; potest enim aliquis victor esse et tamen quaedam frangere. — κυπαρίσσινον μέλαθρον, cupressinus tholus aediculae sive thesauri. Ibi suspensus currus prope signum Apollinis, ut videtur, memorabile quod Cretenses posuerant τέγεϊ Παρνασίῳ, in hoc Delphico thesauro, τὸν μονόδροπον, ex uno ligno constans, ut truncus, caput, pedes, brachia, natura cohaererent, φυτόν, natum, quum lignum natura figuram humani corporis haberet, nec nisi expolitum esset arte; cf. Boeckh. in Nott. critt. Ceterum thesauros civitatum, in quibus donaria, nosti e Pausania; cur autem currus in eo maxime thesauro suspensus, ubi Cretense signum, non constat, nisi quod propter cognationem Battiadarum et Cretensium fieri potuit, Boeckhio iudice, quem vide. Ceterum nec Cretenses hinc sequitur thesaurum Delphis habuisse nec Cyrenaeos, licet Pausan. X, 13, 4. in uno codice sit Κυρηναίων. Potuerunt Cretenses signum suum in alius civitatis thesauro ponere, ut saepe factum; potuit Carrhotus currum in eodem thesauro collocare. — V. 41. ὑπαντιάσαι, obviam ire, excipere. De constr. c. accus. cf. Lobeck. ad Soph. Aiac. pag. 340. Repeti vides a poeta admonitionem v. 24. positam. Non igitur proclivis fuit rex ad merita et officia amicorum agnoscenda et remuneranda; tamen ei maxime opus erat amicis in seditionibus civium. — V. 42. φλέγοντι, illustrant, cf. Ol. IX, 22. — Χάριτες, Ol. VII, 11. Te praedicat cantus. — V. 44. καὶ πεδὰ μέγαν κάματον λόγων φερτάτων μναμήϊα, h. l. qui non labores solas habuisti, sed etiam post labores habes quod iucundum sit, laudes insignes posteras, monimenta virtutis tuae. Tum nota πεδά, non πέδα Aeoliis dictum, cf. Osann. Syllog. p. 187 sqq. — V. 46. ἐν τεσσαράκοντα si solum legeretur, crederem Carrhotum quadragesimum fuisse, nunc quum πετόντεσσιν adiectum sit, fuit quadragesimus primus. — V. 50. πόνων, nam fuerat μέγας κάματος. — De

οὔτε post οὐ cf. Boeckh. Nott. critt. et Hermann. Annotationes ad Elmsleii Medeam. p. 333. Lips. — V. 51. ὁ Βάττου δ' ἕπεται sqq. Laborum quidem nemo exsors; sed Batti adest antiqua fortuna tamen vincens talia et varia bona afferens. — τὰ καὶ τά, cf. Ol. II, 53. Carrhotus, frater reginae, videtur ipse e Battiadarum gente fuisse. Ac pro rege Battiada certaverat. Iam praestantiam fortunae Batti declarat magnifica oppositione ad commendandos populo Battiadas accommodata, ut notat Boeckhius. — V. 52. πύργος ἄστεος, quamdiu igitur Battiadae regnabunt, munimentum urbs habebit adversus barbaros populos firmissimum. — ὄμμα ξένοισι, lumen, salus advenis mercatoribus, ut κοινὸν φέγγος Nem. IV, 12. Aegina, quum mercaturae causa undique advenae eo confluerent, ut notat etiam Boeckhius. Ceterum cf. Thrige p. 332.

*V. 53 — 97. Societas fortunae et virtutis in gente Battiadarum. Declaratur igitur Batti conditoris et fortuna, quae tota ab Apolline profecta, et pietas, subiiciturque etiam ceterarum regum honorifica mentio. — V. 53 sqq. Battus urbem conditurus fugat leones locum habitantes, ab Apolline adiutus, quod hic fortunae Batti documentum. De leonibus in Libya maximis vid. Oppian. Cyneget. III, 35 sqq. Cyrenaica regio iis purgata erat, quantum fieri potuit, fortitudine colonorum, terram occupantium, quo pertinet fabula Cyrenae, de qua vid. Pyth. IX. Alia traditio haec est. — V. 54. περὶ δείματι, cf. Matth. Gr. p. 727. — V. 55. γλῶσσαν ὑπερποντίαν, vocem trans mare afferens validam et inauditam bestiis, quae incantationibus ab Apolline traditis eas terruit, cf. Aristarchum in Schol. et Boeckhium, vel suapte vi, accedente auxilio Apollinis terrorem simul iniicientis bestiis. — V. 56. ἀρχαγέτας, coloniae dux, ut satis notum. — ἔδωκε φόβῳ, cf. Ol. II, 82. et exempla hic ap. Tafel. — V. 58. ἀτελής, ut ratum faceret oraculum, quo Batto Libyae possessio promissa erat. Dativum μαντεύμασιν sic intellige: ut perfector fieret vaticiniis. — V. 59 sqq. Amplius explicaturus fortunam Battiadarum et universae urbis iis subiectae Apollinis favore et patrociniis niti (ad quam sententiam cf. Thrige p. 282.), pergit sic: Qui deus multis modis salutifer, medica arte corpora sanans, musica animos mansuefaciens, oraculis denique

condens civitates. Quae omnia nunc propter Cyrenas dicta. Ac primum quidem Apollo ibi haud dubie medicus erat, licet etiam Aesculapio ibi culto, cf. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I. p. 407. Thrige p. 283. Diana quoque medica interdum, Hom. Il. V, 448. Deinde etiam musicae artes ab Apolline datae vigebant Cyrenis, cf. v. 107. et Pyth. IV, 295. — V. 62. *ἀπόλεμον εὐνομίαν*, inserens per has animis modestiam et tranquillitatem a bellis intestinis alienam, cf. Iacobs. Delect. Epigramm. p. 377. inprimisque Antonin. Liberal. c. 4., p. 24. Teuch. ubi legitur: *παῦσαι ἐμφύλιον πόλεμον καὶ ἔριδας καὶ στάσιν, ἐμποιῆσαι ἀντὶ τούτων δ' εὐνομίαν καὶ θέμιν καὶ δίκην.* Postremo cf. Horat. III, 4, 1., „Vos o Musae, lene consilium datis et dato gaudetis.“ Nunc autem hoc manifesto propter seditionem, quae fuerat, dictum, ut notat Boeckhius, praeclare monente Pindaro regem, ut omni studio Apollo colatur, quo musicae artes, quae iam multum contribuerint ad urbis florem, etiam in posterum vigeant magisque augeantur; sic enim sperat regis animum a saevitia, civium animos a seditionibus aversum iri. — V. 64. *μυχὸν μαντήϊον*, recessum fatidicum, h. e. Delphis oracula edit. Est *μυχός* igitur de valle sub monte Parnasso. Oracula in multis quidem rebus deus edit, sed nunc de civitatibus conditis agi sequentia docebunt. Accipe iam sensum universi loci paucis redditum: Qui hodieque corporibus et animis vestris salutiferum se praebet et in posterum utinam pergat, olim vero civitatem vestram condidit oraculis auspiciisque suis. — V. 65 sqq. succedit iam locus difficillimus de Cyrenis conditis, in quo explicando dissentiunt dissentientque viri docti, nec ego mihi plus aliis arrogo sagacitatis. Nexus universus videtur hic: Docere vult Cyrenas Apollinis auspiciis conditas. Quum autem Sparta metropolis esset Cyrenarum et Cyrenaei Dores esse vellent, cf. Müller. Dor. I. p. 123., orditur necessario a migratione Dorica in Peloponnesum, Apollinis auspiciis facta, ut a vero rei principio. Fuit autem inter Spartanos magna gens Aegidae (Herod. IV, 149.), qui orti Thebis (cf. Isthm. VI, 15. ibiq. not.), sed egressi omnes, inter ceteros Dorienses in Peloponnesum venisse credebantur cum Carneis sacris sibi domesticis, inde in Laconicam propagatis. Ex horum posteris Theras Sparta coloniam duxit in Theram auspiciis Apollinis; cum Aegidis etiam

Minyae profecti ad Taenarum habitantes, cf. Pyth. IV. Aegidae tamen duces et reges Therae. Thera alio tempore Cyrenas venit Euphemida Battus, nunc Minyis expeditionem ducentibus, non Aegidis, quorum tamen pars se adiunxisse videtur. Sic Carnea Apollinis Sparta per Theram Cyrenas delata. Haec omnia Pindarus mirabili brevitate complexus est et plus etiam. Etenim quum Aegidae haberentur etiam Thebis et Pindarus ipse Aegida esset, Theraeis Aegidis cognatus, ne credas Aegidas directe Thebis in Theram venisse, non profectos e Peloponneso Dorica nec Dorica migratione, Doricarum civitatum principio, in Peloponnesum delatos, consulto addit, suos quoque patres Aegidas a Spartanis Aegidis ortos; atque haec mihi primaria causa esse videtur, quare sui mentionem iniiciat, ut de universae rei historica ratione, qualem ipse narrare volebat, plane constaret. Iam vide paucis rerum nexum: Fuit primum migratio Doriensium in Peloponnesum, cum quibus venit tota Aegidarum gens Spartam; pars Aegidarum inde cum Minyis migravit Theram; Minyae postea cum Aegidis Cyrenas. Pro his Pindarus: „Fuit primum Dorica migratio in Peloponnesum; ego vero a Spartanis Aegidis ortus sum (h. e. omnes omnino Aegidae Dorica migratione Spartam petierunt). Sparta Theram profecti sunt a quibus et ipse descendo, Aegidae, non sine deo, sed quum in fatis esset, ut Carnea Cyrenas venirent. Cyrenaicam regionem Antenoridae insederant olim; huc deinde venit Battus.“ Vides omnia inesse quae multis verbis explicare coactus fui. Restant singula. — V. 65. τῷ, quo, eo quod tenet fatidicum locum. — V. 67. ἔνασσεν, habitare fecit. Notum vero triplex regnum in Laconica, Argolide, Messenia. Vide plura ap. Müller. Hist. Dor. I. Cet. cf. ad Pyth. I, 62. — V. 68. τὸ δ' ἐμὸν cet., meam gloriam, meas origines dicunt a Sparta esse. Verissime Boeckhius meus Pindarum de se ipso loqui contendit; nam in dramatica quidem poesi et in epica (praeter invocationes Musarum similesque locos) prima persona eorum est quos poeta loquentes introducit, at in lyrica ipsorum poetarum, nisi ubi etiam hi aliorum verba directa oratione narrant, idque diserte significant. Tam aperta est haec differentia horum generum, ut iure mireris non statim ab omnibus intelligi. Frustra dices in plerisque Pindari locis „ego“ sane poetam significat, at interdum tamen

hic repente dramaticum agit et chorum a te non monito postulat ut intelligas. Minime vero: lyrica et dramatica diversa sunt et manebunt, ac ne semel quidem potest admissum esse quod ab indole lyricae poesios alienum est. Denique quod chorum Cyrenaicum censent nunc loqui de se, ego vehementer dubito hunc ex solis Aegidis constitisse, cui probabile est etiam Battiadas multos interfuisse aliosque. — V. 71. *ἐμοὶ πατέρες*. Fuerunt patres Pindari in Thera, ut ipse dicit; inde igitur in tot migrationibus Graecorum huc illuc pars Aegidarum Thebas, priscam universae gentis sedem, redierat, atque hinc ortus Pindarus. Dissentio hic a Boeckhio meo, qui Pindari parentes dicit non eos, qui Spartam abierint et Theram, sed qui Thebis remanserint. Mea sententia Aegidae Doricae migrationis tempore dicuntur Thebis egressi omnes et Doriensibus adscripti. Ceterum poeta suum nomen immiscens simul significat se ex veritate omnia tradere, ut ipsum cognatum iis, de quibus dicat; ac non parvum pondus etiam admonitionibus suis accedit. — V. 72. Mox *πολύθυτον ἔρανον* sunt Carnea; *ἔρανον*, ait Boeckhius, quum singuli victimas conferrent, ut quasi de symbolis coenaretur. De Carneis per Aegidas propagatis vide Müller. Orchom. p. 327. Tum cum Hermanno et aliis iungo: *ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν πολύθυτον ἔρανον Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν*, Boeckhius post *ἔρανον* interpungit. At enim Thera hic unice propter Cyrenas memoratur, quo tendunt omnia per totum locum; quare videtur mihi oratio non subsistere debere in medio cursu. Non dicere debet: Aegidae Theram venerunt, quum in fatis esset, ut Carnea in Thera essent; sed hoc: Aegidae Theram venerunt, quia in fatis erat, ut Carnea Cyrenas venirent. — V. 73. Verba *ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, Ἄπολλον, τεᾷ Καρνήϊ' ἐν δαιτὶ σεβίζομεν*, Hermannus sic explicat: inde, ab illo sollemni, nos quoque duximus Carnea eaque in epulis celebramus. Ac si Dorica migratione Aegidae omnes Spartam migrarunt, Pindari vero maiores Thera venerunt, concedendum est, quae tum Thebis habebantur Carnea, ducta esse ab illo sollemni, quod Aegidae Theram adduxerant. *σεβίζειν*, pie facere, agere, ut *θυσίας σεβίζειν θεοῖς* Eurip. Helen. 1373. Boeckhius vero aliter interpretatur locum, prout ipse constituit, sic: „Unde receptam Apollo tua, Carnee, in comissatione verecundamur Cyrenae pulcre exstructam

urbem." Ut Thebani Cyrenas in sollemnibus suis celebrare dicantur. Ceterum ἀγακτιμένα urbs, monente Boeckhio, et Thrige p. 97., ob magnificentiam aedificiorum, quam etiam rudera testantur. Pyth. IX, 69. καλλίστα. Vide etiam infr. v. 84 sqq. — V. 77 sqq. Post ἀγακτιμέναν continuans laudem loci, addit: Ubi Troiani Antenoridae heroes sunt ἐγχώριοι. Magna enim et eximia laus loci peculiares heroes habere ibi sepultos, quum vulgo coloniae non alios heroes haberent quam quorum cultum e patria adduxissent. — ἔχοντι, cf. Nem. IV, 49. De Antenoris Troiani filiis cum Menelao Libyam delatis, ubi Antenoridarum collem dictum occupaverant, cf. praeter Scholia Boeckh. et Heyn. Excurs. ad Virg. I, 242. et Thrige p. 79. et 292. — V. 79. Nunc tandem ad Battum venit s. Aristotelem, et huius in illas regiones adventum tractat. Quum autem, ut supra expositum, non solum fortunam Batti declarare vellet, sed etiam virtutem, nunc huc revocat orationem atque id agit, ut maxime pium eum fuisse appareat. Talem enim etiam Arcesilaum volebat. — ἐλάσιππον ἔθνος, bene positum, monente Boeckhio, ob curulia studia a Cyrenaeis regibus continuata bellis et ludicris certaminibus. — V. 80. δέκονται, praesens historicum veluti Pyth. IV, 163, 4., ceterum rarum apud Pindarum. Diligenter eos exceperunt sacrificiis et heroicum cultum iis tribuerunt, adeuntes eos cum donis, οἰχνέοντες, cf. Ol. III, 40. — V. 82. ἀνοίγων, quum Battus primus viam pateraceret navigantibus in Libyam. Paullo aliter ἀνοίγειν Xenoph. Hellen. I, 1, 2. pr. evehi e portu in altum, cf. interprett. — V. 83. μείζονα, quam quae ibi inveniebat, recte monente Boeckhio. Cave enim Theraea comparari credas. Nempe Antenoridae venerant cum comitibus plebeiis, ac vixerant inde ab hoc tempore hic homines, etsi tenui victu. — V. 84 sqq., inprimisque Apollinem coluit. Fecit enim rectam planam pavimento inductam viam, quae equis calcari posset in Apollineis pompis, ubi Cyrenaei in curribus transvecti videntur. Haec Σκυρωτὴ πλατεῖα dicta Cyrenis secundum Scholia, nunc autem σκυρωτή adiectivum est, ceterum a σκύρῳ sive λατύπῃ pavita, cf. Boeckh. Oeconom. civitat. Athen. I. p. 217. et h. l., ubi plura de hac nobili via, add. Thrige p. 99. — εὐθύτομον, recta sectam, quum τέμνεσθαι proprium sit de viis, cf. exempl. ap. Boeckh. et Tafel. Hoc tamen loco Boeckhius

eam simul saxo incisam probabiliter putat, ut in plano curreret. — V. 85. *ἀλεξιμβρότους* pompas dicit hominibus salutares. Voluit enim Battus conditor, urbis saluti prospiciens, cultu diligenti Apollinis pompisque magnificis ei ductis arceri mala ab urbe eiusque civibus, ut est *ἀκέσιος*, *ἐπικούριος*, *ἀλεξίκακος*, *ἀποτροπαῖος*, *προστατήριος* Apollo, cf. Müller. Dor. I. p. 296. Ducebat autem haec via per urbem ad templum Apollinis, nec dubium etiam huius carminis pompam in ea ductam. — V. 86. Denique *ἱππόκροτος*, quae quatitur ungulis equorum sonantibus. Similiter de strepitu curruum *κρότος* est, ut *ἅρματα κροτητά*, *ἵπποι ὄχεα κροτέοντες*, *κροταλίζοντες*, Hom. Il. XI, 160. XV, 453. Nunc ad adiectivum *ἱππόκροτος* confer *οἶμος ἐπίκροτος*, multum rotis pulsata et applanata, Anthol. Lips. Iacobs. T. II. p. 63., ibiq. not. T. VIII. p. 193., et *ἱππόκροτος πατρίς* Simonid. Anthol. T. I. p. 72. Denique *καλὸν Συρίης ἱπποκρότου δάπεδον* in Posidippi Epigr. nr. 3., Anthol. T. I. p. 47. — V. 87. *ἔνθα*, ibat a foro inde, ubi ad fori extrema Battus sepultus iacet seorsim a ceteris omnibus sepulcris, quae in urbe. *Κτισταί* enim in foro sepeliuntur, cf. Schol. ad Ol. I, 149. et locos ap. Tafel. Hoc est illud Batti veteris sacrum sepulcrum Catull. VII, 6. — V. 89. *ἥρως λαοσεβής*, scil. est, quum conditores post mortem pro heroibus colerentur, cf. ad Ol. VII, 77 sqq. — V. 90. *πρὸ δωμάτων*, quum opponatur foro, ubi Battus, capiendum sane de via, ac suspicatur Boeckhius haec sepulcra alicubi in via aliqua conspicua urbis fuisse, et quidni ante regias aedes ipsas, quae *δώματα*. — V. 92 sqq. Magnificam sententiam Pindari Hermannus plane pervertit interpretans: Magnarum virtutum tenero rore tincta per carminum libamina audiunt orcina mente suam felicitatem et commune iustumque filii decus Arcesilai. Quo factum, ut Boeckhius etiam emendationem Hermanni reiiceret optimam. Verte potius: Et magnarum virtutum per libamina, rore recreante carminum encomiorum facta (unter der Sprenge ihrer Tugenden mit dem Thaue der Komoslieder), dum laudantur virtutes eorum cantu hocce encomio, audiunt, opinor, sub terra suam felicitatem et filio Arcesilao communem gloriam iustamque. *χεύματα μεγαλᾶν ἀρετᾶν* sunt libamina sparsa virtutibus ut *χοαὶ τάφων*, unde metaphorica oratio loci tota petita

est, idque pulcherrime post sepulcra modo memorata. Ad constructionem cf. Eurip. Suppl. 974. λοιβαὶ νεκύων. χεύματα ῥανθέντα, h. e. effusa, ut ἰκμάδα ῥαίνειν Lobeckius affert ad Aiac. p. 279. Porro χεύματα ῥανθέντα δρόσῳ κώμων, quae facta sunt rore carminum. In quo dativum attende. Nota sunt στάζειν et stillare c. dat. Dicitur νιφέτω μὲν ἀλφίτοις, ψακαζέτω δ᾽ ἄρτοισιν, ὑέτω δ᾽ ἔτνει, et ὁ Ζεὺς ὕων οἴνῳ Athen. VI. p. 269. Adde ap. Latinos sacrificare, facere agnis, hostiis, litare latice, libare vino. Denique confer ἀκοντίζειν, βάλλειν, alia c. dativo, ad Ol. XI, 72. et Nem. I, 18. Ac ne duplex dativus te offendat, qui non displicuit veteribus, vid. Ol. V, 6. ὑπὸ βουθυσίαις ἀέθλων τ᾽ ἁμίλλαις ἵπποις, ἡμιόνοις, μοναμπυκίᾳ τε. Ipsam vocem δρόσος, quum etiam alibi dicat ἄρδειν δρόσῳ χαρίτων, ῥαίνειν εὐλογίαις, ὕμνῳ, nunc felicissime usurpavit propter χοάς. Et μαλθακᾷ est: recreante, Nem. IX, 49. Recreantur enim Manes χοαῖς. Porro ὑποχεύματα Hermanni non capio; χεύματα sunt hae χοαὶ ἐπιτάφιοι. Dictum ὑπὸ χεύμασι ῥανθεῖσιν ἀκούειν ut alia innumera, in quibus ὑπὸ simul, sub significat. cf. Matth. Gr. p. 723. Manes sub terra audientes χθονίᾳ φρενί, simul audiunt quasi sub χοαῖς effusis et defluentibus. Postremo quomodo Manes, virtutes eorum dum canuntur, audiunt felicitatem suam? Nempe κώμων rore sparsae virtutes; discunt igitur encomios cantus nunc apud superos haberi, haberi epinicia, florere gentem Battiadarum. Atque ut tristissimum Manibus audire perditam gentem, interiisse nomen suum nec superstitem esse qui mortuos colat, sic laetissimum, si prosperrima omnia comperiunt. — V. 96. χάριν, decus victoriae, υἱῷ κοινάν, quum non minus patrum sit et universae gentis.

V. 97. — fin. Rediens ad Arcesilaum huius virtutes praedicat et vota facit pro futuro tempore. — νέων, iuvenum, ex quibus chorus compositus. Chorus est eius qui κώμου δεσπότας, ut nunc Arcesilaus. Hic per chorum canit deum. Boeckhius etiam de aliis temporibus cogitare videtur, unde putat adolescentes intelligi lectos e trecentis regis comitibus. — χρυσάορα, aurea cithara instructum, ut Orpheus χρυσάωρ Fragment. incert. 84. Boeckh. Plura de hoc epitheto obscuro vid. ap. Passov. in Lex. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I, 358, Mitscherl. et Ilgen. ad Hymn. Hom. in Cer. 4. — V. 98,

Quum habeat ex Pythone per victoriam ab Apolline datam victoriale hoc carmen iucundum impensas remunerans. — V. 99. καλλίνικον adiectivum est, similiterque λυτήριον. Alias cantus λύτρον καμάτων, ἄποινα μόχθων, ubi lucta, pugilatu, pancratio certatum, nunc δαπανᾶν, quum rex sumptus fecerit, non corpore laboraverit. — V. 101. λεγόμενον, non mea verba, sed quae alii iudicant. — V. 103. φέρβεται, alit, habet. Cf. inprimis τρέφειν, de quo dixit Casaubon. ad Athen. VII. c. 18. pag. 549. Erat rex iuvenis. — V. 104. Lingua, dicendi facultate, et confidentia, παῤῥησίᾳ ait Boeckhius, tantum praestat aliis, quantum aquila ceteris avibus velocitate. — V. 106. ἀγωνίας iunge cum σθένος, ut Hermannus et Boeckhius, postulante sententia, certaminis vero robur tanquam murus, ut saepe πύργος, ἕρκος Ἀχαιῶν ap. Hom. Fuisse videri regem grandi statura et insigni robore notavi ad Pyth. IV. Ceterum cave domesticas cum civibus contentiones innui putes, ut est qui credit; sed disce ex hoc loco, quod ad prooemium conieci, bella gessisse regem cum vicinis civitatibus. — Attende vero ordinem rerum. Laudat primum prudentiam cum peritia confidentiaque dicendi; his opponit bellicum robur, unde nunc infertur δέ. Tum in sequentibus componit musicas ingenii artes et curruum regendorum dexteritatem, quae corporis est. — V. 107. ἔν τε Μοίσαισι ποτανός, und in den Musenkünsten flügge von der Geburt. Nam ποτανός est πτηνός, ut c. Schol. monet Boeckhius, pulcre dictum, quum Musis volatum tribuere ament veteres, cf. Isthm. I, 64.; et artibus musicis qui operam dat, volatu se tollat in altum. Ad verba ἐν Μοίσαις cf. Eurip. Hippolyt. 451. Valcken. Dicitur de rebus musicis latiore et angustiore sensu. Ceterum de musica apud Cyrenaeos dicit Boeckh. et Thrige p. 354. — Denique ἀπὸ ματρός, cf. ἐκ ματρός Aesch. Choeph. 416. Blomfld. Verbum autem supplendum est πέφανται ex proximis, de quo non dubitabis, si subtiliorem quandam regulam collocationis verborum tenes. — V. 108. ἐπιχωρίων καλῶν ἔςοδοι, et quotquot sunt domesticarum laudum aditus, tentavit, quod de curulibus et gymnicis certaminibus intellige in ludis domesticis, de quibus vid. Pyth. IX. Sunt enim haec proxime cum antecedentibus iungenda. De musicis agonibus nihil constat; alioquin etiam hos ad-

dere posses. — V. 109. τελεῖ, tribuit, Hom. Il. IX, 157. XXIII, 559. — V. 112. ἔχειν, scil. δύνασιν. — V. 113. δαμαλίζοι, perdat, cf. de his formis Monk. ad Eurip. Hippol. v. 231. Mox χρόνον si βίον ponimus esse, cur tamen non dixit βίον? Noluit dicere: Ne ventus perdat vitam tuam, quod posset etiam proprie accipi de vento valetudini nocente, de qua re omnino non loquitur. Igitur χρόνον cum Thierschio intelligo quod tempus maturavit, ut ver (ver sacrum), θέρος (χρυσοῦν θέρος), ὀπώρα, auctumnus, annus, dicuntur pro iis quae gignuntur his temporibus. Iam sensus: Valeas viribus et consilio etiam in posterum, ne ventus brumalis tibi perdat temporis fructus, h. e. ut arceas seditiones et tuearis fortunae benignae ornamenta. Metuebatur enim, ut notat Boeckhius, finis regni. In tali re metaphora opus fuisse non est quod te moneam. Pergit: Iovis utique mens regit fortunam hominum dilectorum, quare etiam de tuis rebus optima speramus. Iamque mittens istos politicos metus claudit carmen alia re, votis pro Olympica victoria, quam rex parabat atque etiam adeptus est. — V. 116. δόμεν — ἔπι, h. e. ἐπιδόμεν, addere, praeterea dare. Praepositiones a Pindaro, ut in epica poesi, saepe separantur a verbo.

Carmen Pythium sextum.

INTRODUCTIO.

Victoria reportata est Pyth. 24, Ol. 71, 3. et victor quidem renuntiatus Xenocrates Agrigentinus, frater Theronis, regis Agrigenti, cf. Ol. II, 49.; auriga vero, verissime contendente inprimis Boeckhio, Thrasybulus fuit pro patre victoriam reportans, iuvenis nobilis, etiam Pindaro eximie dilectus. Cantatum Boeckhius suspicatur carmen Delphis, ipsis Pythiis vespere in comissatione, quum poeta expetitos per nuntium versus prompte transmisisset. Ratio carminis non longi nihilominus vere poetica. Quum enim Thrasybulus pro patre certasset, canit aeternum splendorem victoriae

pietate erga patrem insigni reportatae, quum pietas inter principes virtutes sit, a Chirone olim Achilli pro maximo officio commendata post deorum venerationem. Ac quum etiam mythicum exemplum adesse deberet, quo summa pietatis praestantia tanquam in clarissima luce ob oculos poneretur, Antilochi celebratissimi apud Graecos iuvenis nobile factum se offerebat, qui, ut patrem Nestorem morti eriperet, ipse mortem tulit a Memnone caesus. Huic igitur nunc Thrasybulus similis in suo genere, antiquam Nestoridae virtutem luculenter refert, qui pia mente ad patris Xenocratis patruique Theronis normam se componit, quemadmodum etiam aliis multis virtutibus placet, in fine commemoratis.

E X P L I C A T I O.

V. 1 — 18. **Principium. Profectione poetica ad Thrasybulum suum canendum Delphos tendit Pindarus, ubi gloria aeterna exstat victoriae curulis.** — V. 1 sq. Veneris arva vulgo hic eadem habent quae Gratiarum et Musarum, de quibus vid. ad Ol. IX, 27. Sed hoc sensu *Ἀφροδίτας καὶ Χαρίτων* dicendum erat; cave enim ἢ cum quibusdam pro *καί* positum credas. Sin ἢ accipitur sic, ut alias in eadem re post verbum minus aptum aut definitum additur aptius, nihil hoc loco erit ieiunius. Praeterea sine exemplo est Venerem alio quam amatorio generi poesios praeesse, nec potest opponi Fragment. Prosod. nr. 3., ubi vide. Quare aliter de hoc loco iudico. Ut Musae universam poesin curant, sic Gratiae Pindarico usu *κῶμον* et epinicia; quum autem poeta dilectissimum iuvenem canat, venuste carmen suum s i v e a m a t o r i u m s i v e e p i n i c i u m dicit, prout spectes; est vero quodammodo utrumque. Atque huc etiam *ἀκούσατε* refero, ut in re singulari. (Merket auf; denn ein Liebeslied ists oder ein Siegeslied was ich singe.) Iam probabis mecum ἢ — ἢ, ut nervosius; ἦ (p r o f e c t o) languidum meo sensu, nec minus simplex ἤ. — V. 4. *π ρ ο ς ο ι χ ό μ ε ν ο ι* de profectione poetica, ut monet etiam B o e c k h i u s. De voce *ἀ έ ν ν α ο ν* cf. B o e c k h. Nott. critt. Nuper H e r m a n n u s ad Eurip. Ion. 117. unam tantum formam *ἀέναος* statuit, et *ἀένναος* plane damnat. Ipse conii-

cit ὀμφαλὸν ἐς ναῖον, quod cum προναῖος comparat. At enim Pindarus, quum terra ἐρίβρομος sit, concussa motibus et tonitribus subterraneis, umbilicum aeternum dicit et inconcussum, quod non animadvertit Hermannus. Nunc ὀμφαλὸς ναῖος, per se male dictus, notionem templi infert plane alienam, quum vere notante Boeckhio carmen non cantatum sit in templo, in quo nulla invocatio Apollinis, epitheton ἐρίβρομος autem ineptum redditur, quippe manifesto positum propter ἀέναον. — V. 5 sqq. Paramus hymnum, ait, Delphos accedentes, ubi praeclara materia hymnorum laudisque exstat genti, urbi, et maxime Xenocrati. — θησαυρός, ut notum, et aediculam significat, et res in ea repositas. Nunc ὕμνων θησαυρός, qui ἑτοῖμος Delphis est accedenti ibique τετείχισται, muris inclusus iacet, vix potest hoc carmen esse, ut Boeckhio meo placet, quippe quod nunc demum paratur. Est, credo, gloria victoriae, cum donario comparata, plane ut Ol. XIII, 36. αἴγλα ποδῶν ἀνάκειται ἐπ᾽ Ἀλφεοῦ ῥεέθροισιν et ἀρετὰ κεῖται Isthm. IV, 17. — Verba ἐν πολυχρύσῳ Ἀπολλωνίᾳ νάπᾳ, alii, ut Schmidius et Tafelius, omnino pro urbe dictum censent, quae in Schol. ad Iliad. II, 519. antea Παρνασία νάπη nominata fertur, collat. Pausan. X, 6, 1. Sic ὀμφαλὸς χθονός et Ἀπολλωνία νάπη erit idem. Boeckhius autem mediam urbis partem intelligit Expl. p. 286., quum urbs tres partes habuerit, superiorem, inferiorem, mediam, quae proprie Νάπη dicta. Ac quum πολύχρυσος adiectum, περίβολος templi sane permagnus, in quo thesauri quos memorat Pausanias, videtur Boeckhio in Νάπην descendisse (nam templum ipsum in superiore urbe fuit). Defenditur haec sententia eo, quod Pindarus primum universe videtur urbem iudicare per ὀμφαλὸν χθονός, deinde specialiter eam partem ubi thesauri; ac si media pars Νάπη dicebatur, ut referunt Scholia, pulcre Pindarus hoc nomen respexerit, ut Pyth. V, 87. σκυρωτὰν ὁδὸν dicens Σκυρωτάν. Restat una difficultas haec, quomodo gloria in urbe aut in media urbe dicatur reposita, quae extra urbem in hippodromo reportata est ad Crisam. Nam quod vulgo donaria et thesauri in urbe sunt, non sufficit, nisi etiam haec gloria ibi aliquo modo exstat. Enimvero mea sententia currus, quo vicerat Thrasybulus, repositus est in thesauro aliquo, ut Pyth. V. currus Carrhoti, atque ita etiam gloria Delphos translata;

quo respiciens Pindarus, ut solet ubique a praesentibus rebus victorum comparationes ducere, nunc pulcherrime a reali donario ducta loquutione praedicat idealem gloriae laudisque thesaurum iam in Νάπῃ repositum. Sic verbum τετείχισται ipsa re oblatum est, et necessario positum, quod vix ullo modo melius explices. Boeckhius, qui cum Scholiastis ὕμνων θησαυρόν pro ipso hoc carmine accipit, κῶμον censet in Νάπῃ habitum et propterea hymnum dici ibi τετειχίσθαι. Vide tamen Pindarum Nem. V init. — V. 10 sqq. Pindarus per totum hoc carminis principium immortalitatem gloriae illustraturus reportatae pergit: „Sed cetera donaria elementorum furori obnoxia deleri possunt, hunc autem idealem gloriae thesaurum nec imbres irruentes, nubis exercitus ferus, nec venti in recessus maris abripient omnis generis colluvie pulsatum.“ Conferendus ante omnia locus Horatii Od. III, 30, 3. Ceterum ornatius extulit loquutionem notissimam de ventis auferentibus, cf. Hom. Il. VI, 346 sqq. Od. VIII, 409. Theocr. XXII, 167. Tibull. I, 5, 35. III, 27., ubi venti et nubes memorantur, ut Catull. XXX, 10. Videatur omnino Cerda ad Virgil. Aen. IX, 313. — ἐπακτός, procul veniens et irruens, ut peregrinus hostilis exercitus, cf. Blomfld. ad Aesch. Sept. 580. — στρατὸς ἀμείλιχος per metaphoram dixit, minime vero personificatus est imber. — μυχοὺς ἁλός exemplis illustrat Tafel. — πάμφορος χεράς est colluvies omnis generis, glarea, limo, lapillis aliisque rebus constans. — V. 14. propter vocem πρόςωπον personificationem ne inferas, alienam a donarii comparatione per totum locum regnante. Est πρόςωπον omnis rei facies externa, cf. Isthm. II, 8., nunc huius metaphorici thesauri, qui pulcrior auro semper faciem habebit splendentem. — ἐν φάει, scil. ὤν, h. e. λαμπρὸς τὸ πρόςωπον. Hom. Il. XV, 643. — καθαρῷ. Vox propria de splendido lumine, ut φέγγος καθαρόν Pyth. IX, 90. et ἁμέρας σέλας Fragm. incert. nr. 3. Deinde cum aliis substantivis iungitur eodem sensu, ut ἀρετά est Pyth. V, 2. et κέλευθος Ol. VI, 23. — Mox iunge νίκαν ἅρματι usu Pindarico, et νίκαν ἐν πτυχαῖς scil. reportatam, vid. ad Ol. I, 94. De valle, ubi hippodromus, cf. ad Pyth. V, 36. Denique ad ἀπαγγελεῖ λόγοις cf. Pyth. I, 92 sqq. Iam verte: Sed splendens facie et nunquam non integer hic gloriae thesaurus victoriam curru-

lem, patri tuo gentique communem, sermonibus hominum nuntiabit. Perlecto toto loco monendi sunt lectores, ne pro inanibus verbis habeant quae Graecis aliter videbantur. Habet iis virtus, gloria revera aeternam quandam vim solo ei, ubi exstat, ut ita dicam, affixam; quod dicit Pindarus *αἴγλα ποδῶν ἀνάκειται ἐπ᾽ Ἀλφεοῦ ῥεέθροισιν* Ol. XIII, 36., aut Ol. I, 24. *λάμπει δέ οἱ κλέος ἐν εὐάνορι Λυδοῦ Πέλοπος ἀποικίᾳ*, add. Ol. I, 23., id vere creditum est: vivit, splendet gloria victorum Olympiae, Delphis ceterisque in locis, aeternum affixa ibi et nulla vi delebilis, quamdiu solum ipsum manebit. Similiter malefacta semper vigent, ubi exstant, quod nemo nescit. Sic igitur etiam haec gloria usque splendet et splendebit Delphis, postquam ibi reposita est, et nunc, puto, etiam illud optime intelligimus, cur ab inconcusso umbilico orsus sit poeta: Habemus aeternam gloriam in aeterno solo splendentem. His explicitis una quaestio restat. Quaenam est huius nunc gloriae tanta tamque insignis praestantia, ut tam insignem laudem poetae mereatur? Nempe, ut docetur sequentibus, est pietatis erga patrem documentum pulcherrimum; pietas autem maxima virtus est post deorum venerationem. Sic igitur pietatis lumen praeclarum est verum huius carminis thema.

V. 19 — 46. Media pars. Illustratur pietas Thrasybuli. — V. 19. *Σύ τοι σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρός* sqq. verto: Tu consequutus eam (victoriam) dexteritate manus, optimum exsequeris praeceptum a Chirone olim Achilli datum, ut prae ceteris quidem Iovem veneraretur, hoc autem honore (ope manus) ne privaret parentium vitam fato concessam. — *σχέθων* aoristus est, ut constat, quanquam Buttm. Gr. ampl. II. p. 36. accentum in prima syllaba retineri vult. — *ἐπιδέξια χειρός*, dextre quoad manum, cf. Matth. Gr. pag. 644., h. e. dexteritate manus, quemadmodum etiam Isthm. II, 21. manus in aurigatione laudatur. Vulgo vertitur: Tu tenens eum (patrem) dextra manu, aut manu ad dextrum latus, quod tamen nec antecedentibus nec sequentibus satis bene convenire mihi videtur. Victoria patris est; Thrasybulus certans pro patre optime meritus est, ut Antilochus pro Nestore pugnans; sic exsequitur Chironis praeceptum; de factis

igitur, de rebus gestis hic agitur. Minus etiam placet tertia explicatio: Tu ducis dextra manu victoriam. — ὀρθάν, ut ὀρθὸν ἔπος. — ἄγεις, agis. ἄγομεν quae non quiescunt neglecta, quibus operam damus. — τά pr. ἥν. Confertur οἷα Pyth. II, 57., ὅσα Pyth. VIII, 69. Vid. plura ap. Thiersch. Gr. p. 670 ed. tert. — ὀρφανιζομένῳ, a parentibus separato. Vide de educato apud Chironem Achille eximium locum Nem. III, 43 sqq. Plutarch. T. II. p. 1146. Chiro dicitur: μουσικῆς τε ἅμα ὢν καὶ δικαιοσύνης καὶ ἰατρικῆς διδάσκαλος Achilli. Sequentia praecepta tradita erant in Χείρωνος ὑποθήκαις, quae Hesiodo tribuebantur, cf. Scholia, atque inde hausit Pindarus. Conferes Eurip. Fragm. 42. Antiop. τρεῖς εἰσιν ἀρεταί, τὰς δὲ χρή σ᾽ ἀσκεῖν, τέκνον, θεούς τε τιμᾶν, τούς τε θρέψαντας γονεῖς, νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος. Vide praeterea de praestantia pietatis in parentes ex Graecorum iudicio Welckerum Trilog. Aeschyl. p. 101. — μάλιστα μὲν Κρονίδαν, h. e. primum deos et inter deos Iovem, ut Hermannus et Boeckhius notarunt. — V. 26. ταύτας τιμᾶς. Haec verba ex nostra ratione clarissima sunt: Hunc vero honorem, ut manu adiuves et subleves, parentibus deberi. τιμή, ut τιμᾶν γονεῖς, usu notissimo, cf. Welcker. Theogn. p. 4. Pronomen οὗτος, quod semper emphasin habet, iam non friget, ut Hermanno visum, sed ad χειρός refertur v. 19. Porro notabis sententiae formam simul sequenti narrationi accommodatam, ut saepe notavimus Pindarum peculiares sententiarum formas pro generalibus substituere, ac vide statim iterum v. 44 sqq. Nunc quum sententia omnino haec sit: Manum vero parentibus consecratam esse debere, propter Antilochum sic dicit: Manus ope ne committat, ut destituta parentium vita finiatur ante tempus, uti Nestor non explevisset βίον πεπρωμένον, nisi defensus et ereptus esset a filio. — V. 28. καὶ πρότερον, ut nunc alio modo Thrasybulus. — νόημα τοῦτο φέρον, ut Isthm. I, 40., ὁ πονήσαις νόῳ προμάθειαν φέρει. Ipsa res, quam tangit poeta, petita est ex Aethiopide Arctini, ubi Antilochus Nestori adversus Memnonem succurisse et a Memnone occisus esse tradebatur; cf. Procli Chrestomath. et Boeckh. h. l. et locos ap. Tafel. — ἅρμ᾽ ἐπέδα. Nestoris equus vulneratus a Paride impediebat currum, quae res etiam Hom. Il. VIII, 80 sqq. legitur ut tum gesta. — ἔφεπεν, immisit, laudat Boeckhius Abresch. ad

Aeschyl. p. 214. — *Μεσσανίου*, quum Pindaro aliisque veterum plurimis Nestor non ex Thriphyliaca, sed Messenica Pylo esset, cf. Müller. Orchom. p. 365. Boeckh. h. l. Notavimus idem ad Pyth. IV, 126. — *φρὴν βόασε*, cf. Monk. ad Eurip. Hippol. v. 794. Matth. Gr. p. 797. et laudatum a Tafelio Heindorf. ad Horat. Satir. p. 36. — *βόασεν παῖδα*, ut lat. clamare aliquem, notum. — V. 37. *χαμαιπετές*, cf. Ol. IX, 12. — *ἀπέριψεν*, cf. dicta ad Pyth. II, 81. — *πρίατο*, emit morte salutem patris. — *μέν* sequente *τέ* vel *καί*, cf. Pyth. II, 58. — *ἐδόκησεν*, Ol. XIII, 56. — *ὁπλοτέροισιν ὕπατος ἔμμεν*, cf. de dativo Hom. Od. I, 71. Verto: Gloriam eam habebat et iudicabatur inter iuniores veterum hominum princeps esse pietate adversus parentes. cf. locum notabilem de Antilocho ap. Xenoph. d. Venat. 1, 14. — *παρίκει*, praeterita sunt. — *τῶν νῦν δὲ* sqq. Sequi debebat: Recentiori vero tempore etiam Thrasybulus est unus eorum, qui pietate erga parentes se distinguunt maxime. Sed iterum pro generali forma peculiarem substituit, ita dicens: Inter recentiores etiam Thrasybulus maxime ad patris normam incessit et patruum imitans virtutis et victoriae decus ostendit s. conspiciendum praebuit, h. e. inter recentiores etiam Thrasybulus prae aliis pium se ostendit patrem patruumque imitans virtutis et gloriae studio eosque victoria reportata illustrans. De virtutibus Xenocratis et Theronis vidimus ad Ol. II., quanquam huius victoriae tempore nondum rex erat Thero. — *ἐπερχόμενος*, accedens ad eum, imitans. Videtur Thero iam tum victoriis clarus fuisse. — *ἔδειξεν*, ut Nem. IV, 83 *ὁ χρυσὸς αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας*. Hom. Od. VIII, 237 *ἀρετὴν φαινέμεν*.

V. 47 — fin. Exitus carminis. — *νόῳ* prudenter, Hom. Od. VI, 320. — *νόῳ πλοῦτον ἄγει*, sapienter regit, moderatur, h. e. utitur. Aliud est secum ducere, portare, vehere opes, de quo vid. ad Isthm. VI, 22. — *ἄδικον οὔτ᾽ ὑπέροπλον ἥβαν δρέπων*, non iniustae nec insolentis iuventutis florem decerpens, non iniustam aetatem agens iuvenilem, ut *νεανίας* est etiam de feroci et insolente homine, cf. Markland ad Eurip. Suppl. 580. *δρέπων ἥβαν*, ut omnis flos, iucunditas, fructus *δρέπεται*, h. e. fruuntur eo homines. — Porro *οὔτε* semel positum

vid. Pyth. X, 29, 41. Et cf. Boeckh. Nott. critt. et Schaefer. ad Lambert. Bos. p. 777. Elmsl. ad Soph. Oed. R. 817 et Eurip. Med. 452. Hermann. Classical Iourn. XXXVIII, p. 277. — ἐν μυχοῖσι Πιερίδων. Quis nescit Musarum antra et fontes in vallibus et recessibus montium? Hinc suaviter Pindarus poesin et poetarum opera sic designat, ut reconditiora studia, incognita vulgo. His igitur mentem fingit iuvenis. Obiter conferas Horat. Od. III, 4, 40. Ceterum cf. δρεψάμενος σοφίην Anthol. Palat. VII, 716. — V. 50. Tibi vero, Neptune, qui invenisti equestria certamina, lubentissime se dedit. — ἵππιαι ἔσοδοι sunt ἱππικαὶ ἅμιλλαι explicantibus Scholiis. Ac proprium εἰσέρχεσθαι de iis, qui stadium aut hippodromum intrant ad certamen, cf. Sophocl. Electr. 700., et Pausaniam multis locis. Similiter Dionysum possis dicere χορικὰς ἐσόδους invenisse. Non placet nudum ὀργαῖς pr. suopte ingenio dictum, nec προσέχεται ἐς ἱππίαν ἔσοδον. — V. 52 rell. Dulcis autem indoles eius etiam ad convivii societatem est adeo, ut mel superet iucunditate. γλυκύς c. infinitivo ut ἡδύς Aristoph. Nub. 1068. Similiter γλυκεῖαν ὀργάν patris laudat Isthm. II, 36. Fuit amoenitas morum in hominum societate et conviviis non ultima virtus iudicio veterum, ut notat etiam Tafelius e Theophrast. Charact. c. 15., tamen etiam Boeckhii annotatio verissima est, suaviter simul ad κῶμον alludi, in quo cantatum est hoc carmen haud dubie.

CARMEN PYTHIUM SEPTIMUM.

EXPLICATIO.

De gente Alcmaeonidarum illustri doctissime exposuit Boeckhius ad h. l., quem conferes. Nunc aut Hippocratis aut Clisthenis filius Megacles intelligitur; sunt enim duo huius nominis, qui illo tempore vivebant. Ac Scholiastes quidem si accurate loquutus est, Clisthenis filius intelligitur, quum Hippocratem non patrem, sed συγγενῆ dicat. Victoriam hanc Boeckhius Pyth. 25., h. e. Ol. 72, 3. reportatam iudicat, quo anno pugna Marathonia fuit. Altera Pythia gentis, quae memoratur, ignota; ignotae etiam Isthmiae quin-

que, nisi quod duas Boeckhius Alcmaeoni tribuit, Pisistrati aequali, idonea ratione. Denique hoc carmen unam Olympicam agnoscit, quae est olim ab Alcmaeone parta, ceteras, quae vulgo feruntur, Boeckhius acute sustulit. Carmen cantatum videtur Delphis in comissatione vespertina.

EXPLICATIO.

V. 1. *Μεγαλοπόλιες* proprie ad magnitudinem urbis pertinet, quae ambitum habebat stadiorum XLIII. Vid. Müllerum in Ersch. Encyclop. Magazin. Attic. p. 240. Sed non dubium nunc simul potentiam innui, quae iam tum magna, cf. Herod. V, 97. Ceterum de forma *μεγαλόπολις* et similibus cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 606. — *κρηπῖδ᾽ ἀοιδᾶν βαλέσθαι*, initium canendi facere, cf. Pyth. IV, 138. Dicit: Optimum exordium magnae Athenae Athenarum nomen in fronte positum carminis, s. quo Alcmaeonidarum genti fundamentum carminis iaciatur. Ad constructionem duplicis dativi *γενεᾷ* — *ἵπποισι* cf. Isthm. I, 14. — V. 5 sqq. Quamnam enim patriam, quam domum habitatam nominem in Graecia clariorem auditu, non habitatur in Graecia domus ulla clarior, clariore in patria. — V. 9. *πολίεσι*, cf. Buttm. Gr. ampl. I. p. 182. — V. 10. *Ἐρεχθέος ἀστῶν*, ut alias *Ἐρεχθεῖδαι* dicuntur Athenienses honoris causa, cf. Isthm. II, 19.; nunc Alcmaeonidas dicit, quippe qui templum Delphicum, Ol. 58, 1. igne deletum, ab Amphictyonibus locantibus redemerant tum exsules et splendide exstruxerant cum magna sua laude, cf. Boeckh. p. 301. — V. 13. *ἄγοντι*, impellunt ad canendum. — *ἐκπρεπής*, utpote Olympica. — V. 17. *ὑμαί*, vestrae, qui nunc vivitis et maiorum. — V. 18. Placet Hermanni interpretatio: *νέᾳ δ᾽ εὐπραγίᾳ χαίρω τι*, recenti victoria gaudeo non parum, *τὸ δ᾽ ἄχνυμαι*, illud vero doleo, invidiam obscurare pulcra facta. *τί* post *χαίρω* addit significans gaudere se quidem valde, maius tamen gaudium futurum, nisi partem demeret dolor ob invidiam. — *ἀμειβόμενον*, antevertentem, praevertentem, cf. Pyth. I, 45. II, 50. Boeckhius in-

terpungit: τί τόδ' ἄχνυμαι cet., quod Hermannus monet propterea displicere, quia poeta nondum dixerit se dolere. Nec quae amicus acute respondet in Explicationibus, mihi plane satisfaciunt. Ceterum de invidia, quae tum premebat Alcmaeonidas, Boeckhius confert Herodot. VI, 115, 121 sqq. — V. 20. Intelligo ut Hermannus: Dicunt tamen sic felicitatem stabilem florentem varia homini afferre, h. e. etiam incommoda afferre, quemadmodum nunc vobis invidiam. — τὰ καὶ τά igitur lenius dictum et per euphemismum. Similiter Isthm. IV, 52. Boeckhius aliter vertit sic: Quid ego indignor, quod invidia praeclaras res remuneratur? Aiunt certe, ubi illa sequatur, constantem felicitatem esse et haec atque illa bona afferre solere. cf. Scholia.

Carmen Pythium octavum.

INTRODUCTIO.

Aristomenes, Xenarcis filius, Aegineta puer Midylidarum e gente, Pythiis lucta vicit secundum Scholia Pyth. 35., h. e. Ol. 82, 3. Sed hoc incredibile. Nam Ol. 80¾ Aeginetae ab Atheniensibus victi, obsessi, classem tradere, moenia diruere, tributum pendere coacti erant; huius autem carminis tempore adhuc liberam fuisse Aeginam e fine apparet. Praeterea etiam argumentum carminis subiectae insulae minime convenit, sed victrici, cuius tamen futura salus in magno periculo. Ac Medica quidem, ut Isthm. IV., non indirecte significasset, ut hic fit, sed suis nominibus; post Medica autem nullum aliud tempus notum, cui carmen aptum sit, praeter ipsum annum Ol. 80, 3. Tum enim fuit pugna ad Cecryphaliam, qua vicerant quidem Athenienses Peloponnesios, narrante Thucydide I, 105, sed Aeginetae qua parte pugnae steterant videntur vicisse Athenienses. Post hanc pugnam carmen scriptum et ante debellationem Aeginae mox sequutam. Sic eximie omnia conveniunt; mythica adversus Athenienses dicta sunt, quorum naves sibi oppositas vicisse gloriabantur Aeginetae. Eo anno Py-

thias 83. celebrata est. Disputavimus haec omnia de sententia Mülleri Aeginet. p. 177. et Boeckhii in Introductione, quibus assentitur etiam Thierschius in Epoch. Art. Gr. P. II. p. 39. et nuper Tafelius. Nec labefactatur haec sententia iis, quae nuper Krüger dixit contra Müllerum in Seebodii Neuem Archiv für Philologie und Paedagogik, erst. Iahrg. dritt. Heft p. 83. Thucydidis testimonium minime reiecimus, ut ait vir doctus, sed tantum accuratius definivimus, historico breviter dicente. Erat primum Peloponnesiorum bellum cum Atheniensibus, in quo Aeginetae socii; tum Aegina ipsa bello petita est, in quo Peloponnesii socii. Nunc de priore agitur, in quo socios fuisse Aeginetas Peloponnesiorum inde concludimus, quod etiam aliunde constat eos per illa tempora Lacedaemoniis coniunctos fuisse, quod revera iam tum eorum salus agebatur (Aeginam enim invasuri Athenienses volebant prius Peloponnesios vincere) et quod pugna ad Cecryphaliam paene est ante ipsas portas Aeginae pugnata, ut permirum sit, si Aeginetae naves suas in portu continuerint, vid. Müller. l. cit. Quare nondum eripi nobis patiemur testimonium Stephan. Byzant. v. *Κεκρυφάλεια, ἄκρα τις, περὶ ἣν ἐνίκησαν Αἰγινῆται Ἀθηναίους*, quod ex nostra explicatione nec cum Thucydide pugnat et egregie convenit cum hoc Pindari hymno, quem non consideravit vir doctus, minime tamen contemnendum testem. Atque haec hactenus. — Argumentum hoc est: In principio invocatur Hesychia s. Tranquillitas, ut Aristomenis honores recipiat; esse enim deam potentissimam, quae mitis et benigna esse sciat ubi commodum, alio vero tempore gravis et aspera contundat ferocium hominum iniustas iras et Gigantum adeo depresserit violentiam. Prostratos enim Typhoeum et regem Gigantum fulmine Iovis et Apollinis arcu, qui contra benevole Delphis exceperit victorem Pythium Aristomenem. Esse vero laudis insulam minime expertem, quae heroes aluerit in proeliis ludisque victores, et viris excellat. Nunc Aristomenem sequi vestigia cognatorum et meruisse laudem ab Amphiarao quondam ad Thebas Epigonis et Alcmaeoni dictam: conspici patrum fortitudinem in filiis. Atque etiam hoc tempore Alcmaeonem poetae Delphos proficiscenti fausta vaticinatum. Hinc ad victorias Aristomenis reflexa oratione dicit eum in Megarensibus et Marathoniis ludis, in Delphiniis et Heraeis dome-

sticis vicisse, unde ad novissimum decus Pythium redit; laudibus intexit et subiicit dicta gravissima de infirmitate rerum humanarum. Denique in fine preces facit ad Aeginam, Iovem et Aeacidas pro futura incolumitate insulae. — Restat, ut veram rationem horum omnium explicemus. Igitur accommodatissimo praesentibus rebus argumento laudat Pindarus, uti etiam Boeckhius monuit, Aeginam inde ab antiquo tempore bellicis ludicrisque victoriis claram, quum et heroes viderit in bellis et certaminibus summos et viris talibus conspicua sit. Ac de heroibus Aeacidis nihil praeterea addit, unice nunc praesentibus occupatus; civium autem Aeginetarum bellicam quidem gloriam novissime denuo comprobatam, invidiae vitandae causa, mythice significat iis, quae de Hesychiae vi canuntur, et mox iterum tangit Amphiarai dictum memorans, licet hoc propter solum Aristomenem afferre videatur; ludicra vero virtus illustratur uberrime Aristomenis luctatoris laude, quem dignum dicit familia patribusque suis adhibito illo Amphiarai dicto, victoriasque eius celebrat omnes. Vides artem poetae. Maiores tum erant res politicae; huc igitur inprimis dirigendum fuisse credas argumentum carminis. Tamen bellicas res ipsas brevius tangit et per maiorem carminis partem ludicra Aristomenis virtute declaranda occupatur. Nempe tecte loquitur Atheniensium causa, atque etiam quae de gymnicis victoriis dicuntur simul ad maiorem finem referenda sunt: declarant omnia virtutem civium heroibus maioribusque suis hodieque dignam. Hae vero praeclarae laudes, pergit poeta, quas olim habuit et nunc habet, contigerunt ei divinitus ob iustitiam. Deducimur hinc ad Hesychiam, Iustitiae filiam. Est ἡσυχία in civitatibus quum factionum discordiae absunt, et cives placide modesteque rempublicam tractant, iustitia legibusque vigentibus, cf. Ol. IV, 16. Pyth. I, 70. Fragment. incert. 125; quae inter Graecos quidem nusquam magis regnavit quam in Doricis urbibus, ac nihil ea magis Doricum, quum Dorienses legum et institutorum veterum tenacissimi εὐνομίαν, πειθαρχίαν, κόσμον prae ceteris colerent eoque suapte natura ferrentur. Quare ut aliae multae abstractae notiones pro numinibus apud Graecos cultae, inprimisque apud Dorienses (cf. Müller. Histor. Dor. I. p. 390.), sic etiam Ἡσυχίαν non dubitamus in Aegina pro numine habitam; videntur autem ampliore sensu et

externae et internae tranquillitatis pacisque deam coluisse, quum in insula tota commerciis dedita pax foris cum civitatibus circumiectis non minus cara esset quam tranquillitas interna. Haec igitur Ἡσυχία patrona est insulae, qua universa eius salus nititur, sub cuius tutela pacis negotia ibi vigent, quaeque opprimit iniustos perturbatores, si qui pacatum Aeginae statum infestant. Ita, opinor, censebant Aeginetae, nec quidquam huic insulae invenies accommodatius; Pindarus autem suscepit hanc notionem et susceptam amplificavit et sublimius exornavit, ut infra videbimus. Iam non mirum dixerim, ita quum haec videantur, si Aristomenes primum novum decus gymnicum post pugnam navalem Aeginetis non infaustam tutelari Hesychiae offerre decreverat, ipso fortasse Pindaro suasore, Aeginetis amicissimo. Ut igitur ad carminis rationem explicandam redeamus, vidimus Aeginam inde a principio bellicis ludicrisque victoriis claram: haec ornamenta Pindarus nunc ad Hesychiam refert, Iustitiae filiam, quae insulam iustam sic ornaverit et ornet. Hesychia igitur pacis iucunditates amans ludicra decora tribuit et epiniciis delectatur; eadem alio tempore bellicas iras sumit et aggressores hostes prosternit: pulcra oppositione pacis et belli, quae fundamentum est carminis, optime nunc ad huius deae unum numen revocata. Similiter Isthm. IV. haec a Thia repetuntur omnia, Ol. XIII. autem Corinthi decora Horis tribui vidimus, nec quidquam magis Pindaricum quam sic varietatem rerum revocare ad unam aliquam altiorem vim causamque. Post haec aliud ut addam restat. Quanquam laeta et fortunata quae memoravi omnia, non tamen securum esse licebat futuri temporis, quum Athenienses interitum insulae meditari pergerent, effectum etiam hoc anno. Hinc explicatur ultima carminis pars, in qua identidem poeta de deorum vi et de hominum infirmitate humanarumque rerum inconstantia monet, quae primo adspectu propter solius Aristomenis multas victorias dicta videntur, revera autem non huic soli, sed universae insulae dicta sunt, ne glorietur laetius, sed pia, modesta, cauta sit et ad futuros casus parata. Docet hoc et ipsorum verborum gravitas et exitus carminis magnificus, ubi Pindarus, ut in maximo periculo, totam Aeacidarum gentem singulatim invocat, ut servent libertatem huius populi. Carmen cum Boeckhio in Aegina cantatum iudico, dedicante, ut mihi

quidem videtur, Aristomene coronam Hesychiae in fano, quod adit cum choro puerorum aequalium.

EXPLICATIO.

V. 1 — 20. **Principium. Invocatur Hesychia, ut pompam Aristomenis benigne recipiat, et celebratur eius potentia ornamentorum poenarumque dispensatrix.** — *Ἀσυχία* vulgo pro poetica persona habetur, quod me non probare Introductio ostendit. Antiquiorum et seriorum poesis etiam eo differt, quod hi pro arbitrio personas fingunt non creditas populo, illi ab ipsis opinionibus hominum religiosis proficisci solent, eaque non minima eorum vis est. Quare hoc loco si fictae, non verae deae tribuimus praeclara Aeginae decora, peribit gravitas carminis, et inferemus in Pindarum quod ab eius poesi abhorrere videtur, qui alias ubique victorias ceteraque ornamenta civitatum et singulorum civium a veris diis repetit. — *φιλόφρον.* Suavis loquutio Aristoph. Av. 1324. *τὸ τῆς ἀγανόφρονος Ἡσυχίας εὐήμερον πρόσωπον.* — *μεγιστόπολι*, civitates maxime augens. — *Δίκας θύγατερ*, quoniam tranquillitas non est, ubi iustitia non regnat. — *βουλᾶν τε καὶ πολέμων ἔχοισα κλαῖδας ὑπερτάτας*, penes quam deliberationum senatus populique summum regimen est et bellorum, ut domi consilia sapientia, iusta, utilia capiantur, in bellis iniusti hostium impetus repellantur et puniantur, vincant iustitiae pacisque cultores. Vides *βουλᾶν* longe praestantius dictum quam quod alii exspectabant *εἰρήνης*, quum res internae et externae opponantur. Quare nihili est inaequalitatis quaesitae reprehensio, hic, ut alias fere, obiter inspecta sententia mota; cf. Ol. XII, 5. Denique ut hic Hesychia clavigera est, sic Suada Pind. Pyth. IX, 39., Minerva Aesch. Eumenid. 825. Aristoph. Thesmoph. 1142., Proteus Orph. Hymn. XXIV, 1. coll. Welcker. Aeschyl. Trilog. p. 229. Vid. praeterea Wesseling. Observatt. I, 3. Heyn. Observatt. ad Apollod. p. 308. Tafel. h. l. — V. 5. *Πυθιόνικον τιμὰν δέκευ*, honorem ob victoriam Pythiam accipe ab Aristomene, accedente ad fanum tuum cum pompa et coronam tibi offe-

rente. — Ἀριστομένει, de dativo c. v. δέχεσθαι vid. Pyth. IV, 23. — V. 6 sq. Tu enim suavia munera dare et recipere nosti, tu coronas ludicras dare (nam Hesychia haec decora Aeginae praestat) et ipsa gaudere honoribus victorialibus, qualis haec pompa, tibi vicissim oblatis nosti iusto tempore, καιρῷ σὺν ἀτρεκεῖ, h. e. ubi vacare iucunditatibus et ferias agere licet. Adiectum hoc propter sequentem oppositam sententiam, cuius sensus: alio vero tempore eadem aspera et immitis esse poenasque exercere nosti. Sic voci μαλθακόν opponitur mox τραχεῖα. — V. 9. ἐνελάσῃ, infixit immitem iram animo, ut χαλκὸν ἐν πλευραῖσι. Nem. X, 70. Nunc pr. ἐνθέσθαι χόλον, κότον θυμῷ. Hom. Od. XI, 101. XIII, 342. consulto dictum de implacabili inimicitia, quae evelli non possit, qualis erat Atheniensium adversus Aeginetas. Ceterum cf. Nem. III, 62. — V. 10. δυςμενέων ὑπαντ. κράτει, hostium occurrens violentiae, ut Γιγάντεσσιν μάχαν ἀντιάζειν Nem. I, 68. Noli enim κράτει pr. adverbio κρατερῶς accipere cum quibusdam contra usum. Constructionem verbi cum accusativo vidimus Pyth. V, 41. — τιθεῖς ὕβριν ἐν ἄντλῳ, demergis eorum superbiam, petita loquutione, ut optime Boeckhius monet, a pugna navali nupera, ubi Aeginetae Atheniensium aliquot naves videntur mersisse. — ἄντλος est πέλαγος, veluti Eurip. Hecub. 1025. Add. supr. ad Ol. IX, 53. Ceterum cf. ad hanc loquutionem Lobeck ad Soph. Ai. p. 346. Exponit Scholiastes ἀφανίζειν καὶ ἀμαυροῦν. — V. 12 sqq. Sensus: Quam etiam Gigantum rex Porphyrio non reputavit se contra fas lacessere, ut nunc Athenienses temere Hesychiam irritant; verum poena sequuta est. Ultimum ampliore oratione et graviore extulit sic: Suavissimum et faustissimum lucrum est e volentis quod quis domo auferat et sine vi; contra vis iniusta etiam superbissimum prostravit postremo cet. — μάθεν c. particip. cf. Matth. Gr. pag. 1075. Et ἐρεθίζειν nosti ex Homero. — Proxima sententia: κέρδος — φέροι, amplificationis causa interposita, ut per oppositionem luculentius illustraretur sequens locus, de quo usu cf. Ol. IX, 48. Observa etiam optativum εἰ φέροι, pro quo noluit εἰ φέρῃ. Quum enim hic de vi facta ut re vera gesta dicatur, contrarium nunc cogitatione tantummodo ponendum erat. — V. 16. οἵ μιν ἄλυξεν,

h. e. *βίαν*, eventum, poenam superbiae, quem sensum vel antecedens *ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ* attento ostendit. Boeckhius bene comparat Soph. Electr. 627 *θράσους τοῦδ' οὐκ ἀλύξεις*. Ceterum in universum conferes Horat. Od. III, 4, 65 sqq. Typhoeum addit ut unum e ferocissimis et maximis. — *βασιλεὺς Γιγάντων*, Porphyrio, ut recte Boeckhius monet e Scholiis contra alios. Nam antea nondum dictum erat de poena Porphyrionis, sed de temeraria laesione tranquillitatis. — V. 17. *δμᾶθεν*, Typhoeus a Iove, Porphyrio ab Apolline, ait Boeckhius. Ceterum non miraberis, quum Hesychiae ultio perturbatorum tribuatur, nunc nihilominus Iovem et Apollinem memorari. Similiter alias saepe ad *Δίκην*, *Νέμεσιν*, *Μοίρας* referri videas quae Olympii dii perficiunt, summarum Idearum socii et ministri; vid. Iacobsium ad Philostr. p. 449. varios deos notantem Parcarum decreta exsequentes. Denique aliud addo de tractatione universi loci: Dixi in Introductione Hesychiam mea sententia cultam ab Aeginetis ut tranquillitatis et pacis deam domi forisque, sub cuius tutela pacis et mercaturae negotia essent, quaeque etiam adversus hostium aggressorum impetus iniustos insulam tueretur. Hoc igitur non excogitavit Pindarus; illud vero ab ipso profectum dixerim, quod amplificata notione deae primum etiam gymnica decora ad eam retulit, ut omnium pacis artium patronam, et quod nunc magnifice ad universum mundi ordinem eius potentia transfertur, et Gigantes ut *κόσμου* Olympici perturbatores Hesychiae suprema vi prostrati dicuntur. Atque haec est vera laus lyrici poetae, non facere deos, at magnificentius declarare deorum naturam. — V. 18. *ὃς εὐμενεῖ νόῳ ἔδεκτο*, qui contra benigne Aristomenem excepit. Sic redit ad Aristomenem, unde orsus erat, quae de aspera vi Hesychiae adversus Athenienses dicuntur in medio positis, quasi tantum per nexum oppositionis eo delatus sit, non de industria. Est etiam hoc inter artificia tectae orationis. — *ἐστεφανωμένον κώμῳ* pro: ornatum, per zeugma dictum, cf. Ol. I, 88. — Verum graviores hoc loco quaestiones oriuntur. Primum, ubi recepit eum Apollo? In Aegina, respondet Tafel, reducem Cirrha. Sed ita manifesto languent verba: *Δωριεῖ τε κώμῳ*, quum in Aegina, Dorica insula, ne possit quidem aliter adiri Apollo quam Dorico cum cantu. Delphos autem quum petunt e Cirrhaeo campo victores cincti ami-

cis popularibus, pompa deo gratias acturi, Atheniensis victor Atticum, Boeotius Boeotium s. Aeolium, alius alium *κῶμον* adducit, Aristomenes autem Doricum adduxerat, gratissimum deo et illustrissimum, quum Doricum nomen apud Pindarum ceteris omnibus sit illustrius; cf. ad Ol. VIII, 30. Quare recte Heynius, Boeckhiusque et ceteri Delphis nunc statuunt Aristomenem receptum dici post victoriam. His positis sequitur aliud. Vides enim nunc praeter hippodromum etiam stadium ceteris certantibus aptum Pindari tempore in Crisaeo campo fuisse, quod etiam Boeckhius censet; idem docet Pyth. X, 15. Quare etiam Ol. XIII, 106. *τὰ ἐπ᾽ ὀφρύϊ Παρνασίᾳ* decora in hac ipsa valle reportata sunt Parnasso subiecta (quae *Παρνάσιος μυχός* Pyth. X, 8.) neque alius sensus ubi Pytho et Castalia memorantur. Monemus hoc propterea, quia Pausanias X, 37, 4. hippodromum quidem memorat in campo Crisaeo, sed non stadium, contra stadium vidit in urbis suprema parte, cf. X, 32, 1. Ac conspiciuntur hodieque vestigia stadii ibi, testantibus novissimis peregrinatoribus Britannis. Idem a Cyriaco memoratur. Est longum circ. 640 pedes angl., quae est certaminibus apta longitudo. Accedere videtur locus Heliodor. Aethiop. IV. p. 159 sqq. Narrator ad urbem Delphorum venit II. p. 106., et excedit V. p. 202. Illo autem loco de Pythiis ludis dicit et inprimis de cursu armato in stadio, neque tamen uno verbo memorat in planitiem se extra urbem descendisse. Quanquam hoc argumentum non plane certum videatur, si Heliodorus istud praeteriit ut rem per se intelligendam, praesertim ubi scriptoris orationem et narrandi genus consideres. Tamen non repugno, quominus posteriori tempore revera stadii certamina in urbe fuisse censeantur, quae Pindari temporibus in campo fuerunt. Ubi etiam coronae datae. Neque enim aliter haec res explicari posse videtur.

V. 21 — 60. Canuntur insulae laudes et Aristomenis virtus. — *ἔπεσε*, loquutione nunc ducta, ut videtur, a sparsis per mare insulis. Insula licet sit, non remota factum est ut iaceat a Gratiis, h. e. a carminum encomiorum laude, monente etiam Boeckhio. De Gratiis cf. Pyth. VI init. — *θίγοισα*, quum tetigerit, viderit apud se virtutes Aeacidarum, quorum bellicis ludicrisque victoriis plurima materia

κώμοις data. Tangere, θιγεῖν, est etiam de rebus praeclaris, altis, sublimibus, quas habere alicui contigit. De constr. c. dativ. vid. Pyth. IV, 296. — V. 25. πολλοῖσι iungam cum ἀέθλοις, multis in ludis proeliisque victores, atque ita cum veritate res convenit. Sin πολλοῖσι — ἀείδεται iungis, et Aeacidas καθ' ἐξοχήν summos in ludis et proeliis dicis heroes, certe Castores in ludis celebriores fuerunt. Accedit quod πολλοῖσιν ἀείδεται nescio quomodo ieiunum videtur; nervosius hic simplex ἀείδεται. — θρέψαισα, Peleum, Telamonem. — V. 28. τὰ δέ, partim vero viris distincta est, cf. Boeckh. Nott. critt. — V. 29. εἰμὶ δ' ἄσχολος sqq. Tafelius oblitos dicens interpretes μακραγορίαν esse nimis longum sermonem et reprehensionem continere, quod refutavi ad Ol. XIII, 41., permire explicat: Totus sum in eo, ut differam nimis longam rem, h. e. ut nihil de ea nunc dicam, iungens praeterea μακραγορίαν λύρᾳ et φθέγματι pr. λύρας, φθέγματος. Tu mittens quae Graeca non sunt, tene vulgatam explicationem: Non vacat tradere omnem rem prolixam lyrae et cantui, ne fastidium superveniens pungat. In quo πᾶσαν μακραγορίαν, rectissime dictum cum vi, non capio cur vituperet Tafelius. — ἀναθέμεν, consecrare, tradere, ornate ut in re eximia. Confer autem Nem. III, 11. ἐγὼ δὲ κείνων τέ μιν (ὕμνον) ὀάροις λύρᾳ τε κοινάσομαι. Et Horat. IV, 9, 11. „vivuntque commissi calores Aeoliae fidibus puellae." Denique notabis contractius dicendi genus, duabus causis una constructione nexis, quum verus sensus sit: Et tempus deficit ad omnia narranda, et fastidium crearem, si tentare vellem. — V. 32 sqq. τὸ δ' ἐν ποσί, quod nunc praesto est, τράχον ἴτω, expediatur celeriter, divulgetur, Hemsterhus. ad Callim. in Del. 128. — ἐμᾷ ποτανὸν ἀμφὶ μαχανᾷ, mea arte volans, alatum; cf. Theogn. 237 sqq. Bekk. Virgil. Georg. III, 9. Mitscherl. ad Horat. Od. II, 20 init. Vid. praeterea Pind. Nem. V init. et Nem. VII, 22. — τεὸν χρέος, tua res, tuum facinus. — νεώτατον καλῶν, novissimum Aeginae decus. — ὦ παῖ. Primum ex hoc loco colligi potest puerum fuisse Aristomenem. Alia res esset, si legeretur ὦ παῖ Ξενάρκεος. Sed ὦ παῖ absque genitivo in his quidem carminibus vix alium quam puerum desi-

gnat, cf. Nem. IV, 90. — V. 35 sqq. ἰχνέων, forma aliunde non cognita, pr. ἰχνεύων, vestigiis pressis sequens. — κατελέγχεις, Ol. VIII, 19. Isthm. III, 14. VII, 65. Add. ad Nem. III, 15. Theognetus olim puer et ipse lucta vicerat, cf. Pausan. VI, 9, 1. monente Boeckhio, qui etiam Θρασύγγιος ad luctam pertinere bene observat. — πάτραν, gentem. — λόγον φέρεις, fers, aufers laudem, dictum, olim Epigonis significatum. — V. 39. Οἰκλέος παῖς, Amphiaraus, quum celeberrimum oraculum prope Oropum haberet, hoc nunc Boeckhius, quem vide, intelligit per legatos ab Epigonis Thebis missos consultum. Tamen Amphiaraïum etiam Thebis fuisse ex Herodoto VIII, 134. concedit. Müllerus hoc Potniense dixerat, ut Hermannus, quod displicet Boeckhio, quum Pausaniae, ubi de Potniis agit, non memoretur. Sed fortasse desierat, ut alia multa oracula procedente tempore, cf. Plutarch. d. Oracul. Defect. c. 5. Hutt. et Müller. Orchom. p. 149. Nam Amphiaraus est daemon subterraneus, e terra oracula edens; consentaneum igitur ibi eum sub terra versari, ubi descenderat. Rem probat Oropus, ubi postquam oracula edebat, similiter terra haustus dicebatur Pausan. I, 34, 2. Antiquissima vero traditio ad Thebas eum absorptum ferebat, Nem. X, 8., ibi igitur antiquissimum Amphiaraïum, ut censent Hermannus et Müllerus; Oropium vero serius conditum, quod si scriptores fere solum memorant, ut ait Meineke ad Euphorion. p. 139., non mirandum est, quum diu florere pergeret Thebano cessante, eaque causa videtur narrationis, Thebanum oraculum Oropum translatum ferentis, cf. Strab. IX. p. 619. A. Quae quum ita sint, nos Potniense oraculum intelligimus. — ἰδὼν υἱοὺς ἐν Θήβαις παρμένοντας αἰχμᾷ, quum videret filios ad Thebas fortiter stantes cum hasta. Pyth. I, 48. παραμένειν ἐν μάχαις. Dativus αἰχμᾷ positus ut ἔγχει ἐπαΐσσειν, ἐφορμᾶσθαι ἄκοντι, similia arma. — αἰνίξατο, quum oracula tecte significent verbis ambiguis quae interprete egeant. Denique υἱούς ait, quum etiam Alcmaeon filius Amphiarai interesset, monente Tafelio, praeterea mox positum nomen Ἐπίγονοι sensum declarat. — V. 43. μαρναμένων, absolute ut v. 85. Teneo enim colon post μαρναμένων cum Hermanno et Boeckhio. Quod ante dixerat αἰνίξατο ἰδὼν παρμένοντας αἰχμᾷ, nunc dicit:

ὧδ' εἶπε μαρναμένων s. μαρναμένους ἰδών, ita nempe dixit quum pugnarent. Nempe Epigoni flagrantibus proeliis ante Thebas, ad Amphiaraïum miserant de exitu belli consulturos. μαρναμένων igitur non est de conatu: quum pugnaturi essent; quod etiam Boeckhius recte negat. Quanquam enim praesens et imperfectum non paucis in verbis de conatu dicitur, cf. ad Ol. XIII, 59. add. Buttm. Ind. ad Orat. Demosth. in Midiam, cave tamen omnibus verbis hanc potestatem tribuas. Nec μάρναμαι nec τύπτω hisque similia multa ita dici potuerunt, sed ea tantum credo, in quibus actio et effectus differunt. κτείνω est: occupatus sum occisione, h. e. conor occidere; effectus alia res. At τύπτω, μάρναμαι, occupatus sum pulsatione, pugnando, vides non posse significare, conor pulsare, pugnare; atque ita in aliis. Haec obiter. — V. 44 sqq. Sensus: Naturae dono generosa virtus conspicitur nunc e patribus in filiis, ut volunt Hermannus et Boeckhius. — ἐπιπρέπει, ut Hom. Od. XXIV, 251. Tafelius μαρναμένων cum φυᾷ et παισίν cum τὸ γενναῖον iungens vertit: In pugnantium corpore, statura ingenita filiis eminet e patribus virtus, in quo statura pugnantium manifesto perperam illata est, ut monuit iam Boeckhius, ne dicamus de ceteris. — ϑαέομαι σαφές sqq. Video enim clare oculis mentis Alcmaeonem pugnantem primum ad Cadmi portas, s. quod magnificentius dictum, draconem in clypeo versantem. — νωμῶντα δράκοντα pr. νωμῶντα ἀσπίδα dracone insignem, ut ἀσπίδ' εὔκηλον νέμων Aesch. Sept. 575. Draconem habet ob Melampodis, unde descendit, dracones, cf. Schol. At Epaminondas draconem in clypeo habet, Pausan. VIII, 1, 5., ut Thebanus, quum Thebani Sparti dicantur propter mythicos Spartos (Isthm. VI, 10). Praeterea addi debet quod Welckerus meus me docet, etiam alios heroes, ut Achillem, Aiacem, in Vasculis conspici draconem in clypeo gerentes eam solam ob causam, quod bellicosa sit bestia. — Ceterum cum Alcmaeone nunc Aristomenem comparari sentis, ut unum ex illustrissimis iuniorum gymnicis multis victoriis distinctum, quemadmodum saepe apud Pindarum luctatores, pugiles, pancratiastae cum heroibus priscis componuntur. — V. 48 sqq. Eventus autem expeditionis felix erit. — Adrastus ut primi ita secundi belli summus

dux, cf. Schol. — ὄρνιχος ἀγγελίᾳ, quoniam ἄγγελοι dicuntur aves augurales, cf. Hom. Il. XXIV, 292, 196. Od. XV, 526., nunc tropica phrasi felicioris avis augurium pr. felicior fortuna dictum omnino, ut saepe ὄρνις et οἰωνός de quovis augurio signoque deorum, cf. ad Pyth. IV, 19. — ἐνέχεται, de fatali necessitate, quemadmodum dicitur ἐνέχεσθαι ἀνάγκῃ, vel quod idem δεδέσθαι ἐν ἀνάγκῃ. Verbum nunc propter comparationem prioris belli positum: Non ea tristi fortuna, ait, qua ante, obstrictus tenetur. Ceterum τινί et ἔν τινι ἐνέχεσθαι habetur, prout commodum, cf. Markland. ad Lysiam Tom. V. p. 37. Reisk. — V. 51. τὸ δὲ οἴκοθεν sqq. ad filium Adrasti Aegialeum pertinet apud Glisantem occisum, cf. Schol. et Apollod. III, 7. 3. Ceterum τὸ οἴκοι dixisset, si filius domi esset mortuus interea. Ad ἀντία πράξει cf. Ol. VIII, 73. — V. 52. Μόνος γὰρ sqq. Solus enim e Danais ossa filii leget, filium amittet, ceterum feliciter redibit exercitu cum incolumi. — Ἄβαντος ἀγυιάς, Argos, vid. Schol. et ad Hygin. f. 136. nr. 9. Argis vero constat expeditionem profectam. — Postremo ut de toto loco moneam, perspicuum est et minime dubium, quae legimus non propter solam gymnicam victoriam Aristomenis dicta esse, sed simul pugnam ad Cecryphalíam spectari, in qua optime steterant Aeginetae parentibus suis digni, Pindaro pulcre Aristomenis gymnicam et Aeginetarum bellicâm laudem hac mythica narratione coniungente. Ait igitur credo: „Estis Aeginetae maioribus vestris plane digni. Ut tu Aristomenes ludicro in genere luctae puer maximopere excellis, quasi alter Alcmaeon inter Epigonos, sic nuper in proelio navali praeclaras res gessit iuventus Aeginae, conspectique sunt etiam illic egregii iuvenes, Alcmaeoni similes virtute, qui primi esse vellent in navibus hostium.“ Haec explicatio necessaria tibi videbitur, ubi iam antistropham comparaveris, quae non potest non certo nexu cum antecedentibus iuncta esse. Haec autem a ludicris rebus plane aliena est. Significatur in ea exitus belli Epigonorum felix, non tamen sine luctu privato ducis Adrasti, qui filium amisit. Quae res, nisi ineptum credimus Pindarum, qui temere adderet quae aliena essent coeco ardore narrandi abreptus, non potest aliter quam de hac ipsa pugna navali Aeginetarum accipi, uti optime iam Boeckhius meus mo-

nuit. Ac mihi quidem non improbabile videtur ducem classis Aeginetarum e gente Midylidarum fuisse, reversum λαῷ σὺν ἀβλαβεῖ, filio tamen amisso. Nam filium occisum Midylidarum uni in hac pugna navali etiam Boeckhius monuit, frustra obloquente Tafelio, qui mire quaerit, cur hoc tecte enuntiaverit Pindarus. Nihil facilius intellectu; per totum carmen de bellicis rebus, quae tum erant, tecte loquitur, quare etiam luctum gentis e pugna Cecryphalensi susceptum tecte honorat, ceterum haud dubie intellectus a Midylidis omnibus. Iam sensus antistrophae hic: „Ac quanquam dux vester privato luctu filii amissi afflictus est, exercitum tamen salvum ex illo proelio reduxit, ut olim Adrastus.“ Vides omnia clara, omnia optime nexa. — V. 56 sq. Redit iterum ad Alcmaeonem et ad Aristomenis gymnicam victoriam. — καὶ αὐτός, quemadmodum olim ab Amphiarao laudatus est. — στεφάνοισι βάλλω, ut victorem, olim ad Thebas. Vid. de φυλλοβολίᾳ ad honorandos victores Pyth. IX fin. — ῥαίνω δὲ καὶ ὕμνῳ, ὅτι sqq., et laudo etiam hymno (Isthm. V, 21.) quia vicinus mihi et custos bonorum meorum occurrit Delphos petenti, et vaticinandi exercuit congenitas artes. Simplicissima fit explicatio, si Alcmaeon Thebis sacellum habuit prope domum Pindari, et quum hic ad Pythia iret, gratum facturus poetae, cui etiam bonorum custos erat, in itinere noctu apparuit in somno et victoriam Aristomenis praedixit. Tamen historia Alcmaeonem Thebis cultum tacente, Boeckhius id omnino negat, quum etiam Oropi cultus non sit, et statuit in itinere Delphico poetam forte venisse aliquo ad sacellum Alcmaeonis, veluti si ex Arcadia Delphos petierit, sepulcrum Alcmaeonis Psophide Arcadiae posse cogitari; in eius vicinia Pindarum habitasse, fortasse in luco pecunias servandas deposuisse, tum Alcmaeonem oblatum proficiscenti. Sed vereor, ne paullo artificiosior videatur plerisque haec amici coniectura. — V. 60. ἐφάψατο μαντευμάτων τέχναις, cum dativo, cf. ad Ol. I, 86. — συγγόνοισι, quum vulgo non videatur vaticinatus esse, acute monente Boeckhio, nunc exercet artem, ipsi ut Melampoditae congenitam. Occurrisse autem eum Pindaro in somno etiam Tafelius suspicatur, atque erat Amphiaraus certe ὀνειρόμαντις, Pausan. I, 34, 3. Denique oraculum Alcmaeonis ad victoriam

proximam Aristomenis pertinuisse res ipsa suadet et notavit Boeckhius. Hinc statim in proximis versibus de hac victoria dicit, per locum de Alcmaeone ad praesentia rediens.

V. 61 — fin. Cum Pythia etiam ceteras Aristomenis victorias praedicat, intexitque et subiicit sententias de imbecillitate humanarum rerum et deorum potentia, modestiam et pietatem commendans Aristomeni et omnibus Aeginetis. — V. 61. Apollinis πάνδοκος ναός opponitur sacello Alcmaeonis significato v. 58. — Πυθῶνος ἐν γυάλοις, in valle ubi Pytho. — τόθι, ergo non Delphis canitur carmen, quod etiam per se certum. De Delphiniis Aeginae cf. Müller. Aeginet. p. 150. Hae nunc sunt ἑορταὶ ὑμαί, vestra sollemnia, Apollo, h. e. tua et Dianae, ut videtur, quum his duobus diis coniunctim consecrata fuisse videantur, ut Delphinia Attica. — ἁρπαλέαν, cupide expetitam, pergratam, iucundam. Sic Hom. Od. VIII, 164. κέρδεα ἁρπαλέα sunt studiose quaesita lucra. Theogn. ed. Bekk. 1046, δέξεται ἁρπαλέως est cupide, lubentissime; ibid. 1353 ἁρπαλέος ἔρως est iucundus, ut Mimnerm. I, 4. ἄνθεα ἥβης ἁρπαλέα. Idem alio loco dicit εὕδειν ἁρπαλέως. Add. Pind. Pyth. X, 62. Atque hic sensus solus nunc antecedentibus conformis, quo maxime attendendum. Maximum gaudiorum, ait, Delphis praebuisti; domi vero pergratum et ipsum donum, quinquertii victoriam. Ceterum πεντάθλιον pr. πένταθλον, ut Isthm. I, 26. — V. 67 sqq. Benevolo animo, rex, precor te, ut respicias verba, quae de quaque harum victoriarum cano; in quo ἕκαστον suaviter dictum amplificandae rei causa. Hic solus sensus verborum mihi aptus videtur universo loco. Primum igitur iungi fortasse potest εὔχομαί τιν, duobus membris orationis transposito pronomine conflatis in unum, vid. ad Pyth. II, 66. Locis ibi laudatis adde nunc alia exempla. Sic Ol. VIII, 5. μαιομένων μεγάλαν ἀρετὰν θυμῷ λαβεῖν. ibid. v. 67 sq. ἀνορέας δ' οὐκ ἀμπλακὼν ἐν τέτρασιν παίδων ἀπεθήκατο γυίοις νόστον ἔχθιστον. Nem. II, 1 sqq. ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ ἄρχονται. Lenius tamen Hermannus τίν pro accusativo habet, cf. de dialect. Pind. p. 14. et Buttm. Gr. ampl. T. I. p. 295. Quanquam aliud exemplum apud Pindarum non exstat. Nunc alter-

utram constructionem veram puto. — Mox *καταβλέπειν ἁρμονίαν, ὅσα νέομαι*, est respicere cantum, quem cano. ἁρμονία enim verba cum melodia. Ad ἁρμονίαν ὅσα cf. Pyth. VI, 21. Non iungam vero τὶν ἁρμονίαν cum amico pr. σοῦ ἁρμονίαν, quae constructio admodum dura, cf. ad Ol. I, 57., nunc etiam durior fieri videtur praeposito pronomine. Ac pro εὔχομαι καταβλέπειν, non bene omisso pronomine, melius dicetur εὔχομαί σοι καταβλέπειν aut εὔχομαί σε καταβλέπειν. — Mox ὅσα νέομαι, quae percurro, persequor, cano, ut ἀναδραμεῖν Ol. VIII, 54., διελθεῖν Nem. IV, 72. Add. ὁδὸς λόγων Ol. I, 110. Latini dicunt ire per, Ovid. Fast. I, 15. Trist. V, 9, 22. — *ἀμφ᾽ ἕκαστον*, cf. Pyth. II, 15. Hoc si universe accipimus, quae cano nunc de hoc, nunc de illo, vereor, ne aliena inferamus et quae hic nullam vim habeant. Immo de praesentibus rebus loquitur, ut ante iam dixi, orans, ut quae nunc canat de duabus his victoriis ab Apolline datis placeant deo. Praeparat sic optime sequentes sententias. Sensit hoc etiam Boeckhius meus, explicans: propitius respice mea carmina et alias et nunc: quod tamen sic non dixit Pindarus. Ex nostra ratione simplicior res et transitus facillimus. Pergit vero poeta v. 70: Nam comissatio quidem haec iusta est, utpote bonum virum vera et merita laude canens, deorum vero curam perennem opto fortunae vestrae, oppositis, ut vides, κώμῳ μέν — θεῶν δέ. Comissatio igitur talis est, ut displicere non posse videatur diis; modo hi nunc praestent quod ipsi soli possunt. Atque ita transit ad locum ultimum carminis de vi et potentia deorum, unde humana omnia pendent. — V. 71. *Δίκα παρέστακε.* Sensum huius dicti optime explicat Schol. v. 99. Et confer Pind. Nem. III, 29. IX, 6. Pyth. IX, 95. Ceterum Tafel. confert Theogn. 1227. ἀληθείη δὲ παρέστω σοὶ καὶ ἐμοί. — *ὄπιν*, h. e. ἐπιστροφήν, ut exponunt Hesychius, Etymologicum, Suidas, curam et providentiam, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. II, v. 6. — *Ξέναρκες*, patrem alloquens ut caput familiae. — V. 73 sqq. Sensus: Si quis enim laudes consequutus est brevi labore, ut Aristomenes brevi tempore multas victorias, multis eximie sapiens videtur, qui vitam munire possit rectis consiliis et conatibus. — *πέπαται*, cf. Buttm. Gr. ampl. T. II. p. 205. —

μὴ σὺν μακρῷ πόνῳ, ut Aesch. Prometh. 75. οὐ μακρῷ πόνῳ, bene laudante Tafelio, hoc est celerius, brevi tempore, ut non opus sit altera lectione χρόνῳ. Cf. Boeckh. de Crisi Pindar. §. 42. — Mox Tafelius iungit πολλοῖς πεδ' ἀφρόνων, multis inter stultos, pr. πολλοῖς ἄφροσι. Sed primum πολλοῖς ἀφρόνων s. μετ' ἀφρόνων non est plane idem quod πολλοῖς ἄφροσι, deinde permirum est, quod multis inter stultos sapiens videtur, ac non omnibus stultis. Melius igitur sane Boeckhius σοφὸς πεδ' ἀφρόνων construit cum Schol. Idem tamen vertit: prudens apud eos, qui stultos sunt; ego vero explico: Multis sapiens videtur inter stultos (ein Weiser unter Thoren), h. e. eximie sapiens, sapiens prae aliis plurimis, qui stulti comparati cum eo. Similis loquutio: ἀνὴρ ἐν ἀνδράσιν ἀπολωλόσι καὶ τρυφῶσιν, Philostr. Sen. Imag. II, 31. ibique Iacobs. p. 557. — Ceterum de πεδά vid. ad Pyth. V, 44. — κορυσσέμεν, armare, instruere, videtur esse, ut visum etiam Gurlitto et Boeckhio, firmare adversus mala et pericula, aptissimo sensu his Aeginae temporibus. — ἐπ' ἀνδράσι, in hominum potestate, vulgatissimum εἶναι ἐπί τινι, cf. Matth. Gr. p. 1164., et ἔν τινι, de quo Matth. p. 1141. — κεῖται, velut Polyb. VI, 15. dicit: ἐν τῇ συγκλήτῳ κεῖται, penes senatum est, et Pindarus Pyth. X fin. ἐν ἀγαθοῖσι κεῖται. — παρίσχει, scil. αὐτά, praebet haec. — V. 77. Sensus: Alias alium tollens, alius vero fortunam deprimit. Varias loquutiones, quibus haec sententia exprimitur, vide ap. Mitscherl. ad Horat. I, 34, 12. Hoc loco quaeritur, quid sit ὕπερθε βάλλων, quid χειρῶν μέτρον. Videtur explicatio partim peti posse e carmine Pallad. Alexandr. in Brunck. Analect. T. II. p. 431. Iacobs. Anthol. Gr. T. III. p. 138. Παίγνιόν ἐστι Τύχης μερόπων βίος. — καὶ τοὺς μὲν κατάγουσα πάλιν σφαιρηδὸν ἀείρει, τοὺς δ' ἀπὸ τῶν νεφελῶν εἰς Ἀΐδην κατάγει, nisi quod Pindarus non tam lusum quam vim divinam designare voluit. Verto igitur: Alias alium valida manu sua in altum iaciens ut pilam; in quo ὕπερθε, in altum supra se, dixit pro ὑψόσε, propter oppositam in sequentibus notionem: infra se. Iam enim sic declarata manus divinae vi, clarior fiet etiam altera loquutio: alium vero infra manuum suarum mensuram descendere facit deus. Quum manus infra medium corpus descendant, si

quem infra manus meas deprimo, eum humi comprimo minimumque facio, ut ne eam quidem mensuram attingat, quae manuum mearum altitudine definitur. Unde iam non abundare vides μέτρον, uti perperam visum quibusdam, sed optime positum. In nostra sententia etiam Boeckhius esse videtur, quanquam hoc loco iusto brevior. Quod igitur Hesiodus dixit Ἐργ. 6. ῥεῖα δ᾽ ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει, et Xenoph. Anabas. III, 2, 10. οἵπερ (οἱ θεοί) ἱκανοί εἰσι καὶ τοὺς μεγάλους ταχὺ μικροὺς ποιεῖν, καὶ τοὺς μικρούς, κἂν ἐν δεινοῖς ὦσι, σώζειν εὐπετῶς, aliique aliter, hoc more suo magnifice eloquutus est Pindarus. Ceterum καταβαίνειν est vi activa ut passim. Ceterum cave participium postules pro καταβαίνει. Nunc enim non explicatur παρίσχει (quod fit verbis ἄλλοτ᾽ — βάλλων), sed contraria sententia subiicitur. Non uti debebat hoc exemplo Matth. Gr. p. 1300. Denique ὑπὸ μέτρῳ, h. e. ita ut sit sub, ne postules accusativum. — Μεγάροις δ᾽ ἔχεις γέρας sqq. Habes autem, ait, multas victorias. Ceterum de ludis Megarensibus vid. ad Ol. VII, 86. Valde frequentabantur a pueris et iuvenibus Aeginetis. γέρας autem est praemium victoriae. — De Marathoniis cf. ad Ol. IX, 89. — Ἥρας ἀγῶνα ἐπιχώριον intellige Heraea s. Hecatombaea, quae Aeginetae Argis traduxerant. cf. Schol. h. l. et Müller. Aeginet. p. 149. In his igitur domesticis ludis vicerat ter, s. ut Pindarus loquitur, tribus victoriis eos subegerat forti certamine, δαμάσσας, magnifice dictum. Male Tafelius ἀγῶνα per κατ᾽ ἀγῶνα explicat et ad δαμάσσας supplet τοὺς ἐναντίους, haec enim Graeca non sunt. — ἔργῳ, Schol. μετ᾽ ἔργου καὶ ἐνεργείας πολλῆς, recte. Pyth. IX, 92. — V. 81 sqq. Redit ad Pythiam victoriam. Tamen non legitur in initio Pythium nomen; quo igitur modo opposuit hunc locum antecedentibus? Nempe comma ponendum, ut feci post φρονέων, non colon. Iam sensus: Quattuor autem cum adversariis certasti in Pythiis a te victis. Pro hoc dixit: Quattuor autem desuper irruisti adversariis, quibus nec reditus pariter iucundus in Pythiis est decretus, neque vero quum venissent ad matrem, circumstantium risus dulcis iis excitavit laetitiam. — τέτρασι, scilicet alterum post alterum, quum ἔφεδρος esset et cum quattuor parium victoribus certare deberet; de qua re multis hic exponit Boeckhius. Ceterum tot non deiecerat, opinor, in

antecedentibus certaminibus, quare bene in fronte posita haec vox orditur oppositionem. — ἔμπετες ὑψόθεν, apte de luctatore, qui adversarium medium prehensum flectit superincumbens et deiicit. Tafel. comparat καθύπερθεν ἐπεσσύμενος de Aiace, Quint. Smyrn. IV, 253. — σώματα, notante etiam Gurlitto, pro personis dicunt, ubi corporis nomen aptum, cf. Soph. Oed. R. 643. Eurip. Alcest. 639, ibique not. Barnes. Nunc propter luctam, ut γυῖα memorantur Ol. VIII, 68. — κακὰ φρονέων, veluti Hom. Il. XVI, 783. Πάτροκλος δὲ Τρωσὶ κακὰ φρονέων ἐπόρουσε. — Mox οὔτε — οὐδέ, neque — neque vero, Isthm. II, 44, 5. cf. Boeckh. Nott. critt. ad Pyth. V, 54. Matth. Gr. p. 1225. Similiter τέ — δέ, de quibus monitum ad Ol. VIII, 58. — ὁμῶς pariter ut tibi. — κρίθη, iudicio Amphictyonum. Quidni enim ita intelligamus? Boeckhius contra: Non ab iudicibus, sed opinor certamine, κρίσει ἀέθλων. — V. 85. μολόντων πὰρ ματέρα, casu absoluto, ut supr. v. 43. Sed nunc, quum verba opposita sint antecedentibus ἐν Πυθιάσι, ad augendam vim oppositionis. Confer dicta de nominativo ad Pyth. IV, 154. Ceterum ex hoc quoque loco vides, quod ad v. 33. monitum, puerum fuisse Aristomenem; nam non aliter hic apta videtur matris commemoratio, quam si pueri fuerunt redeuntes hi adversarii. Tafelius ait: Redeunt ad matrem, non ad patrem, ut imbelles. Verum sententia plana haec est: Nunc reduces ad matrem non excipiuntur laete, quod factum esset, si victores venissent ad eam. Quare de pueris agitur. — ἀμφί, risus dulcis circum, h. e. circumstantium. — V. 86. κατὰ λαύρας, per vias angustas curvasque (enge Nebengassen), angiportus, ut bene Boeckhius. Vox explicatur p. στενὴ ὁδός in Schol. ad Od. XXII, 128, 130. et ab Hesych., quod nollem neglectum esset in Schneideri et Passovii lexico. Nam hic quidem si vox simpliciter viam urbis qualemcunque significaret, male in fronte posita esset sententiae, quum plane certum sit in oppositis sententiis statim principium tale esse debere, quo niti possit oppositio. Recte dices: Victores laete excepti essent, nunc per angiportus trepidant; male vero sic: nunc per vias trepidant, quae sic potius collocanda: nunc trepidant per vias. Nam per vias incedunt etiam laeti; hac igitur voce per se non potest niti oppositio. Monui hoc pluribus verbis, quum non

semper attendere viderim ad talia viros doctos. Ceterum cf. *ἐπίκρυφον οἶμον* Ol. VIII, 69. — *ἐχθρῶν ἀπάοροι*, inimicorum occursum suspenso animo devitantes, ne rideantur, ut bene Heynius et Boeckhius. *ἀπήορος* suspensus, nunc timore (cf. *φόβος μ' ἀναπτεροῖ* Eurip. Suppl. 89 et al.), sic iungitur cum genitivo, ut anxius, pavidus, formidulosus, alia, de quibus vid. Wunderlich. Observatt. critt. in Aeschyl. p. 122. Aliis placet interpretari: semoti, quum vox etiam p. *διεστώς*, *ἀφωρισμένος* *κεχωρισμένος* explicetur a veteribus; minus commode. Cur enim trepidant tecte per angiportus? Ne conspiciantur ab inimicis, devitantes, metuentes eos eorumque irrisionem. Demitur igitur ista ieiuniore explicatione sententiae id, quo absolvetur. — *δεδαιγμένοι*, h. e. *δεδαϊγμένοι*. Vox primum designat saucium, perfossum, ut Hom. Il. XVII, 535, deinde est tropice dicta Od. XIII, 320. pr. contristatus, quemadmodum etiam est *δαίεται ἦτορ* Od. I, 48. Quare Hermannus et Boeckhius noluerunt mutare lectionem, licet Scholiastes explicet *δακνόμενοι*, ut *δεδαγμένοι* legisse videatur. — V. 88 sqq. Sensus: Qui autem decus novum consequutus est tenera aetate, magna spe incitatus fertur animosus alatis consiliis (Schwebt auf den Flügeln muthiger Gedanken), habens maiorem divitiis curam. — *νέον*, novum post alias iam partas, ut Pyth. VII, 18. *νέα εὐπραγία*. Sententia licet generalis sit, tamen simul accommodata est Aristomeni, more Pindarico. — *ἁβρότατος ἔπι*, optime vertes, teneris annis, ut *ἁβρόν* est tenerum. Similiter Latini teneros annos dicunt pueriles. De *ἔπι* cf. Matth. Gr. p. 1162. — *ἐξ ἐλπίδος*, Matth. Gr. p. 1134. — *πέταται*. Metaphora, usurpata etiam de iis, qui metu suspensi sunt aut gaudio exsultant et omnino de quovis animi motu, nunc, ut saepe, de iis est, qui spe excitantur et ardore incalescunt ad maiora tentanda. Vid. Blomfld. ad Aesch. Choephor. 223. add. Crinagor. Epigr. Anthol. Gr. Iacobs. T. II. p. 136. cum not. T. VIII. p. 406. et vid. Aristoph. Av. 1445 sqq. Inverp. totum locum. Usurpantur *πτεροῦσθαι*, *ἀναπτεροῦσθαι*, *πεποτῆσθαι*, aliae formae. Compara etiam verba *αἰωρεῖσθαι*, Iacobs. Anthol. T. IX., et *μετεωρίζεσθαι*, *ἐπαίρεσθαι*. — *ἀνορέα* est virtus, fortitudo, *ἀνορέαι* plurali sunt animosa consilia, molimina fortia, cf. ad Pyth. III, 13. De alia denique significatione monitum ad Nem.

III, 20. — ὑποπτέροις, veluti Theogn. dicit 707: φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερά. Vid. plura ap. Tafel. ad h. l. — Sic igitur nunc etiam Aristomenes maiorum rerum cogitatione ardebat et audaciora consilia conceperat, Olympicam, ut pulcre suspicatur Boeckhius, meditans victoriam. — μέριμναν de ludicrarum victoriarum studio vidimus Ol. I, 108. — κρέσσονα πλούτου, maiorem divitiis, h. e. non parcentem iis, post habentem eas gloriae et erogantem in laudes ludicras, ut bene Boeckhius, qui addit: In itinera, in diuturnam apud peregrinos commorationem, in corporis exercitationem, in victum curatissimum et praeceptores, postremo in sacrificia, poetas, musicos, choreutas pompaeque apparatum, haud raro etiam in donaria dedicanda sumptus faciunt. Idem est Nem. IX, 32. κτεάνων ψυχὰς ἔχοντες κρέσσονας ἄνδρες. Tafel explicat: Maiora appetens quam per opum modum appetere licet. Sed meo iudicio tale reprehendendi consilium ab hoc loco abest; non vituperat gloriae studium per se, modo quis simul fragilitatem rerum humanarum recordetur, nec sibi soli nimium confidat. Redit enim nunc poeta, ut de consilio loci dicam, ad eandem sententiam, quae supra iam posita erat v. 73 sqq. Quorsum vero hoc facit? Num tam levis et immodestus erat Aristomenes, ut his gravissimis verbis monendus esset? Non credo. Obscurum enim non est dici haec propter Aeginae periculosa tempora. Dilata quidem erat expugnatio insulae, sed non plane propulsata, nec confidere licebat brevi favori fortunae: ut modesti, cauti et ad omnia parati esse deberent cives. Quod igitur nunc Aristomeni dicit, dictum est propter omnes; idque maxime liquet ex fine carminis. Iterum enim rediens, ut dixi ad eandem sententiam, nunc surgente oratione verbis longe gravissimis utitur, et postremo universam gentem heroicam insulae invocat, ut populum tueri velint. In quo quis non admiratur artem poetae, qui quum tectius dicere deberet, ita tamen dixerit ut non potuisse videatur gravius? Restant singula. — ἐν δ᾽ ὀλίγῳ sqq. Similes sententias vid. Soph. Ai. 131. Antigon. 1156. aliaque hic laudantem Tafelium. — ἀποτρόπῳ, infenso, tristi consilio, decreto dei concussum. Contrarium est ἐπίτροπος Ol. I, 106. — V. 95. ἐπάμεροι, ἐφήμεροι, ἐφημέριοι, unum diem viventes, brevis et caducae vitae homines. Pind. Fragment. incert. nr. 25, 72. Aeschyl. Prometh. 253,

347, 945. Eurip. Orest. 964. Matth. et Aristoph. Nub. 223. Vide plura apud Tafelium h. l. Idem ἁμέριοι. Primi Pindarus et Aeschylus ita hac voce usi eorum quidem poetarum, quos nos habemus. Ceterum ἐπάμεροι haud dubie vocativus est. Fac esse nominativum, ἐπάμεροί εἱμεν, et ieiuna fient quae sequuntur, τί δέ τις, τί δ᾽ οὔτις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. Haec autem verte: Quid est magnus, quid est parvus? Umbrae somnium homo, h. e. magnus et parvus pariter nihil sunt nisi umbra, et ne umbra quidem, sed somnium umbrae. Est igitur τίς hic homo fortunatus, opibus, honore gloriave ornatus, omnino qui in aliquo numero est. Theocrit. XI, 79. δηλονότ᾽ ἐν τᾷ γᾷ κἠγών τις φαίνομαι ἦμες. Similiter τί dicitur. Cf. Matth. Gr. p. 912., ibique laudata. Idem Latinis aliquis et aliquid, notantibus Lexicis. Contra οὔτις est, cui haec negata sunt, εὐτελής, ἐν σμικροῖς ὤν, tenui sorte, humilis, ut saepe οὐδείς et μηδείς, οὐδέν et μηδέν de homine nullius momenti, quemadmodum etiam de homine nullius pretii. Cf. multa ap. Matth. Gr. p. 816 sqq. Veluti Aristoph. Equitt. 157. ὦ μακάρι᾽, ὦ πλούσιε, ὢν νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον δ᾽ ὑπερμέγας. Pindari locum recte etiam Scholiastes explicuit. — σκιᾶς ὄναρ sic dictum, ut nihil dici possit gravius. Ceterum similia sunt multa, ut Soph. Ai. 126. ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἴδωλ᾽, ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν. Atque ita ὄνειρον, πνεῦμα, σκιᾶς εἴδωλον, καπνός, καπνοῦ σκιά de homine et de rebus humanis dicuntur, cf. ad Soph. Antig. 1155. et vid. Wyttenb. ad Plutarch. Consol. ad Apollon. p. 713. et Tafel h. l. — V. 97. ἔπεστιν, adest. — ἐλευθέρῳ στόλῳ, libero populo hanc urbem fove et serva. στόλος, exercitus, dicitur ut στρατός de populo, et nunc quidem de nautico Aeginetarum populo, quum στόλος inprimis etiam navales copiae sint. Boeckhius: Libero cursu deduc Aeginetas. Sed dubito urbi recte tribui cursum. Ceterum vides iam alludi ad pericula libertati Aeginae imminentia. Invocat autem universam Aeacidarum gentem cum parentibus Aegina et Iove.

Carmen Pythium nonum.

INTRODUCTIO.

Telesicrates Cyrenaeus, Carneadae filius, Pythia vicerat armato cursu Pyth. 28., Ol. 75, 3. Idem postea stadio vicit Pyth. 30, Ol. 77, 3. Vide Scholia. Pindarus tamen de priore tantum victoria agit, ut scriptum sit carmen Ol. 75, 3. Victor nondum redierat Cyrenas, quum carmen caneretur; cf. ad v. 73. et adde quae v. 91. ad *πόλιν τάνδε* et v. 93. ad *ἀστῶν* monita sunt. Sed quemadmodum Cyrenis non cantatum est primum, ita etiam Delphicae comissationis ne minimum quidem vestigium reperitur, quum Olympiorum quae Olympiae cantata sunt et Pythium sextum Delphis cantatum non diu dubitare te sinant de loco. Disputavi haec omnia de sententia Boeckhii, qui pulcram coniecturam addit, Thebis cantatum videri. Videtur enim Telesicrates ex Aegidis fuisse (cf. ad v. 84 sqq.), Aegidae autem et Spartani et Cyrenaici Thebis oriundi erant, ubi etiam Pindari tempore Aegidarum pars vivebat eratque ipse Pindarus Aegida, uti vidimus ad Pyth. V. Probabile igitur Telesicratem post victoriam Pythiam Thebas cognatosque Aegidas visurum huc cum popularibus comitantibus venisse, ibique a Pindaro expetitum carmen etiam cantatum esse primum in victoriali comissatione, ceterum post reditum victoris in patriam haud dubie repetitum etiam illic in convivio inter alia carmina, observante Boeckhio. Atque huic coniecturae nihil repugnat, favet autem maximopere locus v. 84 sqq., de quo infra videbimus. — Argumentum hoc est: Post introitum poeta statim transit ad fabulam de nympha Cyrena, filia Hypsei, Lapitharum in Thessalia regis, quae non ut aliae puellae textorio opere delectabatur conviviisque domesticis, sed venationis studiosissima armenta patris defendebat a feris. Sic eam quondam luctantem cum leone vidit Apollo, subitoque amore correptus quaerit ex Chirone in illis regionibus habitante, quaenam sit haec puella, et num liceat statim ei manum inferre, an in lecto praestet decerpere florem virginita-

tis. Centaurus dulce ridens leniter monet cohibendum impetum cupiditatis, tectam praeferendam persuasionis viam, neque apud deos neque inter homines licitum haberi palam tentare concubitum. Pergit deinde Apollini narrare fatorum ordinem: futurum esse coniugem virginis deum, eamque ducturum in Libyam, ubi ei postea imperium daturus sit populi e Thera illuc transferendi; interim nunc Libyam recepturam apud se heroinam in aurea domo et ei donaturam terrae partem. Ibi Cyrenam filium enixuram Aristaeum, educandum apud Horas et Tellurem, praesentissimum numen qui futurus sit hominibus ovibusque, multis nominibus divinis cultum. Atque ita res evenit. Factae nuptiae eodem die in Libya, ubi iam nympha pulcherrimam Cyrenarum urbem regit. Hanc nunc Pythia victoria ornavit Telesicrates. Exin pergit poeta, magnae virtutes, quales tuae, largam quidem canendi materiam praebent, sed tamen, si paucis res magnas comprehenderis, suavissimum est oblectamentum. Opportunitas observari debet. Cuius rei etiam Iolaus olim specimen edidit, qui senex vires breves precatus ad hoc tantum, ut Eurystheum occideret, re peracta mortuus est et conditus sepulcro avi Amphitryonis, ex quo et Iove Alcmena peperit Iphiclem, patrem Iolai, et Herculem. Hos vero stultus est qui non canat et Dircaeas undas eorum nutrices; laudabo eos, quoties mihi bonum ex voto contigerit. In Aegina enim hunc vicisse dico et Megaris iam ter, persaepe etiam in domesticis ludis eum admiratae sunt virgines. Post haec in fine carminis poeta ad gentis antiquitates accedit. Nam quum olim Antaeus Irasorum rex filiam nuptui collocare vellet, Danai exemplum imitatus, praemium certantium eam ad metam statuit, ut qui primus eo pervenisset cursu puellam duceret. Contigit hoc Alexidamo, maiorum Telesicratis uni, saepe etiam alias qui vicerat in certaminibus. Ita Pindarus. Restat, ut interiorem horum omnium rationem explicem. Sunt autem tres omnino partes carminis, quarum in prima fabula Cyrenae heroinae exponitur, in altera ludicra laus Telesicratis, tertia priores coniungit. Fuit igitur Telesicrates cursor eximius, *σταδιοδρόμος* et *ὁπλιτοδρόμος*, qui praeter domesticos ludos omnes adierat Aegineticos et Megarenses et nunc etiam in Pythiis vicerat armato cursu, nobili certaminis genere, quod non parvum corporis robur requirebat, atque etiam antiquis

heroibus ferebatur usurpatum, cf. Ol. IV. et Isthm. I. Vidimus laudem gymnicam viri; accedimus ad primam carminis partem. Quanquam varia sunt argumenta horum carminum atque aliae proponuntur in aliis sententiae, tamen ubi omnia cognita habeas, etiam similitudines multas reperies, quibus ductus quae primo adspectu obscuriosa sint revocare possis ad veram rationem suam. Vidimus autem in antecedentibus saepe pulcras coniunctiones virtutum pro fundamentis carminum positas, et singula omnia ad duas virtutes relata, quae vel essent vel deberent esse in victore sociatae. Idem dico nunc tenendum. Quippe gymnicae virtutis, *ἀνδρίας*, laudi addit poeta *σωφροσύνης* commendationem, quum illud demum egregium decus sit, si virium florens robur etiam animi moderatione et modestia ornetur. Ac Telesicrates quidem iuvenis erat florente aetate, quem admirabantur virgines in ludis et maritum filiumve optabant: idem vero, dum Thebis versabatur, aliquando affectu abreptus virgini civi forte extra domum conspectae vim inferre voluisse videtur; unde poeta pro generali *σωφροσύνης* commendatione nunc amoris potissimum pudicitiam et verecundiam praedicat pulcherrima fabula ex ipsis Cyrenarum antiquitatibus ducta. Ut igitur Apollinis impetum sedat monitu sapiens Chiro, deusque sequutus hoc consilium decorum coniugium init cum Cyrena, et filius oritur e fausto coniugio praeclarus, sic Pindarus divino exemplo proposito Telesicratis errorem iuvenilem castigat eumque admonitione miti hortatur, ut a pudore ne recedat in posterum, sed honesti coniugii gaudia praeferat castosque hymenaeos, victori ludorum admirabili non defuturos in *καλλιγύναικι πάτρᾳ*. Non negamus interim fabula Cyrenae proposita simul urbem illustrari, sed poterat patria illustrari etiam aliis narrationibus: quaeritur igitur, cur hanc maxime antiquitatum partem sibi tractandam sumpserit et cur sic tractaverit, ut fecit; cuius rei vix aliam simpliciorem explicationem invenias nostra. Inter Pindarica est Nemeum quintum huic simile quodammodo, quod et ipsum cum gymnicae virtutis laude pudicitiae commendationem coniunctam habet. Ac quis non magis etiam admirabitur post hac singularem pulcritudinem exitus, de quo restat ut dicam. Etenim ut in aliis carminibus vidimus praesentem victorum virtutem mythica maiorum virtute illustrari, sic hic Pindarus declaratis victo-

riis Telesicratis in fine ad Alexidami gloriam venit, significans ita Telesicratem non defecisse a laude gymnica patrum et antiquitus tradita virtute valere. Sed nisi fallor etiam ceteris poetae consiliis convenit praeclara haec narratio, universum carminis argumentum eximie complectens. Non possum, quin in fine etiam nobilis illius Alexidami memoriam excitem, ait Pindarus, qui fuit unus maiorum tuorum. Cursor eximius petiit coniugium pulcherrimum et consequutus est: sponsam partam manu tenens abibat per Nomadum circumstantem turbam, folia et coronas undique in victorem iacientium. Sic tu, virtutis gymnicae avitae heres, etiam coniugem quondam ducas honesta petitione partam pulcherrimam faustasque gratulantium in suavissima victoria acclamationes.

EXPLICATIO.

V. 1 — 4. Prooemium simplicissimum. Canam Pythium victorem Telesicratem decus, Cyrenes. — *χαλκάσπιδα.* Cursor armatus, *ὁπλιτοδρόμος*, ut liquet e Pausania VI, 10, 2., ferebat clypeum, galeam et ocreas, quae sunt *ἔντεα χάλκεα* Ol. IV, 22. Horum armorum clypeus fuit potior pars, unde huius nomine passim designatur totum, ut Pausan. V, 8, 3. *οἱ δραμόντες ἀσπίσιν ὁμοῦ* dicuntur et hic *χάλκασπις.* Ac mansit clypeus aereus etiam postea, quum decrescente robore virorum galea et ocreae sublatae essent, vid. Pausan. VI, 10. l. cit., quod quando coeptum sit non constat, factum tamen haud dubie post perditam demum libertatem Graeciae. — V. 2. *ἀγγέλλων*, cf. Ol. VII, 21. — *σὺν Χαρίτεσσι*, carmina epinicia docentibus, ut saepe monitum, cf. ad Ol. IV, 9. IX, 29. Pyth. VI, 2. Accedit nunc, quod Gratiae Cyrenis colebantur, cf. Thrige p. 290. in libro saepe laudato supra. — V. 4. *ὄλβιον*, opulentum virum, quippe nobili genere ortum. — *διωξίππου*, propter curulia studia Cyrenaeorum, de quibus vid. ad Pyth. IV, 18. Epitheton ornans, ut Thebae sunt *πλάξιπποι*, *εὐάρματοι*, cf. Ol. VI, 85. Qualis autem urbs, talis etiam dea urbis. — *στεφάνωμα*, quum victor ei coronas ferat, eam coronet. cf. ad Pyth. II, 6.

V. 5 — 70. Mythica narratio de Cyrena. Cyrena,

Hypsei Lapitharum in Thessalia regis filia, venatrix, dum luctatur cum leone ab Apolline conspecta ita dei amores movet, ut hic statim eam amplecti cupiat, monitu Chironis autem, fervorem Phoebi cohibentis, traducitur in Libyam ibique iustis nuptiis castoque lecto deo iuncta Aristaeum parit et urbi Cyrenarum praeest. — Fabulam de Cyrena persequitur Müllerus Histor. Orchom. p. 346 sqq. ostendens, quum reges Cyrenaeorum originem a Minyis traherent (cf. Pyth. IV.), supra Iolci in Thessalia maxime regnantibus, deductio autem coloniae Cyrenaicae monitu Delphici oraculi facta esset (cf. ad Pyth. IV init.), inde ortum pulcherrimum mythum: heroinam Cyrenam Hypsei filiam e Lapitharum gente seu Phlegyarum, qui Minyarum pars, ab Apolline raptam et in Libyam traductam esse. De eadem re vid. Thrige in libro de Rebus Cyrenensium p. 55 sqq. — V. 5 sq. *ἐκ Παλίου κόλπων*, cf. de sede Lapitharum Müller. Orchom. p. 198. — Verbis: *χρυσέῳ δίφρῳ*, ut mox *θεοδμάτων ὀχέων*, Apollinis currum designari liquet, non Veneris, ut male censebat Gedickius, reprehensus iam ab aliis. Quod Pherecydes cycnis Veneris avibus currum tractum tradiderat, cf. Fragment. Sturz. p. 149. ed. alt., de eo hic nihil. — *ἀγροτέραν*, venatricem. Porro constructio loci haec est: Transtulit virginem eo, ubi eam praeclarae constituit dominam terrae, tertiam continentis partem ut habitaret. — *πολυμήλου καὶ πολυκαρποτάτας*. Frugum fertilitatem vidimus iam Pyth. IV, 6. Et *μῆλα* quod attinet, cf. Hom. Od. IV, 85. et plura apud Thrige p. 302., qui hodieque regionem ovibus nobilitatam addit. Dicendum vero nunc semel est explicatius de adiectivis iunctis et non iunctis copula apud Pindarum. Recte igitur nunc haec duo significatione diversa coordinata epitheta copula iunguntur, ut idem explicatius dicitur Ol. VII, 63. *πολύβοσκον γαῖαν ἀνθρώποισι καὶ εὔφρονα μήλοις*. Similiter Ol. VI, 55. dictum *ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι*, et infr. v. 69. *καλλίσταν πόλιν κλεινάν τ' ἀέθλοις*. Copula interposita facit, ut unumquodque adiectivum separatim cogitetur, quod ut saepe necessarium, ita aptum etiam est in amplificatione laudis. Plurima tamen exempla sunt non positae copulae. Ac primum quidem copula carent quae, ut eandem adiectivi notionem bis referant, cumulantur ad maiorem vim. Veluti sunt: *ἀπάλαμον*

βίον ἐμπεδόμοχθον Ol. I, 59. ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα Ol. II, 82. βαθεῖαν μέριμναν ἀγροτέραν ibid. 82. ἑκατογκεφάλα Τυφῶνος ὀμβρίμου Ol. IV, 7. τερπνᾶς χρυσοστεφάνοιο Ἥβας Ol. VI, 57. εὐθυμάχαν πελώριον ἄνδρα Ol. VII, 15. ὀξυρεπεῖ δόλῳ ἀπτῶτι Ol. IX, 91. ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον Ol. XI, 89. αἰθέρος ψυχρᾶς ἐρήμου Ol. XIII, 88. ἀλαθὴς ἔξορκος βοά ibid. 98. φθινοπωρὶς ἀνέμων χειμερία καταπνοά Pyth. V, 112. ῥίζαν ἀπείρου τρίταν εὐήρατον θάλλοισαν Pyth. IX, 8. et καλλίκομον ἀγακλέα κούραν v. 106. λιπαρᾶν εὐωνύμων ἀπ᾽ Ἀθανᾶν Nem. IV, 19. γνώμαν κενεὰν χαμαιπετοῖσαν ibid. 40. ἀσκίοις ὠγυγίοις ὄρεσιν Nem. VI, 45. ἀσπιδοδούποισιν ὁπλίταις δρόμοις Isthm. I, 23. γλυκεῖαι μαλθακόφωνοι ἀοιδαί Isthm. II, 7. χάλκεον στονόεντ᾽ ὅμαδον Isthm. VII, 25. Huius loci ea dico, quae vel similem significationem habeant, vel etiamsi per se non habeant, tamen nunc ita ponantur, ut coeant in unam notionem, veluti ψυχρᾶς ἐρήμου αἰθέρος, χάλκεον στονόεντ᾽ ὅμαδον. Male v. c. dixisset ψυχρᾶς καὶ ἐρήμου αἰθέρος, quasi ibi diversis pluribus et separatim proponendis epithetis illustrandus fuisset aether. Ceterum ubique in his exemplis fortius est secundum adiectivum. — Porro etiam talia in unam notionem arcte coniunguntur: εὐθύτομον πεδιάδα σκυρώταν ὁδόν, sed alio modo. Nam aut adiectivi notio una expressa habetur pluribus vocibus cumulate, ut in superioribus exemplis, aut substantivae notionis alicuius singulae partes diversae at nunc inseparabiles indicantur, ut totius una integra notio proponatur. Tale est ultimum exemplum. — D e i n d e non iunguntur copula nec iungi possunt quae dignitatis diversae sunt, diverso modo cum substantivo suo nexa. Talia haec: θαλπνότερον φαεννὸν ἄστρον Ol. I, 6. διχόμηνις χρυσάρματος Μήνα Ol. III, 19. οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων (ὄμβρων) Ol. X, 1. ἀλαθὴς ἔξορκος — ἀδύγλωσσος βοά Ol. XIII, 100. ποικίλαν ἴϋγγα τετράκναμον Pyth. IV, 214. κοινὸν γάμον γλυκὺν ibid. 223. ἐπικωμίαν κλυτὰν ὄπα Pyth. X, 6. ἡρωΐαις πομπαῖς πολυθύτοις Nem. VII, 46. παιδείους μελιγάρυας ὕμνους Isthm. II, 3. Vertes hoc genus ita: lucidum sidus quod calidius; aurea luna quae tum plena erat; dulcis vox praeconis quae verax et iurata est; versicolorem torquillam quae quattuor radiis illigata esset; dulces nuptiae quibus iungerentur; comissationis praeclaram vocem; magnis sacrificiis quae heroibus offerentur; dulces hymnos quos pueris canebant. Ubi

autem ita non verti potest commode, hoc genus locum non habet. Veluti Isthm. I, 23. ἀσπιδοδούποισιν ὁπλίταις δρόμοις inepte vertas, armatis cursibus ubi clypei strepunt, quasi ibi maior quaedam vis in ἀσπιδοδούποισιν. Immo est: scutistrepis armatis cursibus, fortiore epitheto secundo, quare ad antecedens genus hunc locum retuli. Omnino haereas interdum utrius generis aliquem locum dicas, quum discrimen possit tenue esse, et quum reperiantur quae per se utriusque generis esse queant. Quod uno exemplo illustrabo. Pyth. IV, 184. Verba: τὸν παμπειθῆ γλυκὺν πόθον, si scripta essent, τὸν γλυκὺν παμπειθῆ πόθον, ad antecedens genus retulissem, nunc haud dubie huius secundi generis sunt et vertenda ut ibi feci: dulce desiderium quod omnes trahebat, quod solum illi loco aptum. Attendendum igitur ad peculiares rationes locorum, ut discas num in uno solo adiectivo nitatur vis sententiae an duobus coniunctis; haec enim est res. Denique ab utroque genere distinguam enumerationes graviores, vividiores, in laude aut reprehensione, veluti Ol. IX fin. εὔχειρα, δεξιόγυιον, ὁρῶντ᾽ ἀλκάν. Add. Nem. IV fin. et Nem. VIII, 33. Hoc genus pausas habet pronuntiationis, commodum etiam ubi componuntur quae propter notionum rationem copula iungere nolis, ut Ol. XIII, 5. Ἰσθμίου πρόθυρον Ποτειδᾶνος, ἀγλαόκουρον. Vera structura huius loci, non recte explicata supra, haec est: Opulentam Corinthum, quae Isthmi magnificum vestibulum est aedificiorum praestantia, et cives eximios alit. Atque haec hactenus; de aliis scriptoribus dicere hic nolui. Redeo unde digressus sum. — V. 8. ῥίζα ἀπείρου τρίτα, tertia pars continentis, Libya; quum tres partes continentis distingueret poeta: Europam, Asiam, Libyam, cf. Herod. IV, 42 sqq., monente etiam Boeckhio. — εὐήρατον θάλλοισαν, amoenam, vides ad ῥίζαν referenda. — V. 9. ὑπέδεκτο — θεοδμάτων ὀχέων, excepit eos curru dea manu sublevante, χερὶ κούφᾳ, i. e. κουφιζούσῃ (constat enim adiectivis neutrius significationis passim etiam activam vim nasci e ratione sententiarum, prout cum his illisve substantivis iuncta sint, veluti: aqua pura lavari est: pura eademque purgante: quanquam saepe abusi sunt interpretes veterum hac observatione); cf. Valcken. ad Eurip. Phoeniss. 854. Sequor igitur Doederlinum doctissimum in Actis philolog. Mo-

nacens, T. I. fasc. I. p. 50. Sic Eurip. Iphig. Aul. 600, τὴν βασίλειαν δεξώμεθ' ὀχῶν ἄπο. Boeckhius meus Nott. critt. p. 370. construit cum Gedickio: ὀχέων ἐφαπτομένα χερὶ κούφᾳ, manu tenens currum. Sed hoc ieiunum videtur, quum suavius deus descendens sublevetur quam currus tangatur, nec convenit κούφᾳ, ut monet Gurlittus. Quae vox non aptior, si cum Gedickio et Tafelio, eandem constructionem probantibus, inhibentem cogitas currum deam, rem ceterum hic alienam. Ubi subsistendum esset, Apollo ipse sciebat. Verum dicendum de ceteris est. Quum Venus coleretur Cyrenis, cf. ad Pyth. V, 22., Pindarus deam fingit iam ante Cyrenas conditas in illa regione habitantem, ut transferunt talia scriptores in antiquiora tempora. Atque ita nunc commode excipit advenas. Sed quam pulcre hic omnia excogitata sint, tum demum perspicias, ubi memineris quae ego in Introductione de consilio universae fabulae narratae exposui. Agit Pindarus hoc, ut coniunctionem Apollinis et Cyrenae non impudicum concubitum fuisse doceat, sed iustas nuptias factas, verum coniugium, casti tori foedus iunctum; unde etiam γάμον dicit hic v. 13. et infr. v. 66. et Apollinem πόσιν v. 51. Quae quum ita tradere vellet, erat tertia persona opus, quae iungeret eos connubio sollemniter, atque in hanc rem pulcherrima inventione poeta Venerem elegit. Hinc igitur nunc Venus excipit venientes et nuptiale foedus sancit. Sic clara sunt sequentia: καί σφιν ἐπὶ γλυκεραῖς εὐναῖς ἐρατὰν βάλεν αἰδῶ cet., et pudorem ac verecundiam amabilem posuit ipsis in toro, h. e. et amplexus eorum fecit ut pudici castique essent, iungens eos iusti coniugii vinculo inspiransque coniugalem verecundiam. — Restat, ut de verbis ξυνὸν ἁρμόζοισα θεῷ τε γάμον μιχθέντα κούρᾳ θ' Ὑψέος dicatur. Hermannus et Boeckhius reposito μιχθέντα e Scholiis pro μιχθέντι vertunt: Iunxit Venus connubium, de quo inter deum et Hypsei filiam convenerat. Verum quod comparant Pyth. IV, 223. καταίνησάν τε κοινὸν γάμον γλυκὺν ἐν ἀλλάλοισι μίξαι, ibi μίξαι γάμον non est convenire de nuptiis, quod potius in verbo καταίνησαν inest, sed iungere nuptias et perficere coniugali amplexu, uti etiam Tafelius recte hic monet. Idem vero quod μιχθέντι restitui vult, et aoristum pro praesenti positum dicit, non capio. Ne multa; teneo μιχθέντα, verto autem: faciens con-

iugium, quo olim deus et heroina se iunxerunt (schliessend die Ehe, welche einst der Gott und die Nymphe mit einander vollzogen haben.) Ceterum ad ἁρμόζειν γάμον cf. Wyttenb. Plutarch. Praecept. coniugal. p. 879. — V. 14. ὑπερόπλων, validorum, bellicosorum. Vox media, cf. Buttm. Lexil. II. p. 216. Add. Tafel. h. l. — Ceterum Hypseus dicitur filius Penei fluvii, qui filius Oceani. Creusa fuit filia Telluris. Pindarus hic Pherecydem sequitur, cf. Scholia et Pherecyd. Fragmenta Sturz. p. 149. ed. alt. — Πίνδου ἐν πτυχαῖς, ibi enim Penei fontes; cf. Müller. Hist. Dor. I, 24. — V. 17. ὁ δὲ θρέψατο, ille vero educavit filiam, h. e. ille vero pater Cyrenae. Sic redit ad hanc, a qua oratio per tres versus deflexerat. — ἱστῶν παλιμβάμους ὁδούς. Heynius: „de ἱστουργίᾳ, quum radius itque reditque per tramam, ut interserat fila." Melius Boeckhius cum Scholiis, comparato Etymol. Magn. p. 367, 47. et Eustathio ad Il. α, p. 31. de mulieribus loquutionem accipit ἱστόν ambientibus. Atque ita Leonid. Tar. Ep. LXXVIII. (Anth. Pal. VII, 726.) textrix quaedam dicitur καί τι παριστίδιος δινευμένη ἄχρις ἐπ᾽ ἠοῦς κεῖνον Ἀθηναίης σὺν Χάρισιν δόλιχον, comparato motu mulieris cum cursu δολίχου, ubi repetitis vicibus stadium percurritur. Vide ib. Iacobs. T. VII. p. 133. et Delect. Epigrammatt. p. 305. — V. 19. οἰκόριαι s. οἰκούριαι ἑταῖραι sunt aequales, puellae innuptae, quae domi manent, non ut Cyrena venatum eunt. Ac nota vox οἰκουρία et οἰκουρεῖν. Sed quaenam sunt δεῖπνα μεθ᾽ ἑταιρᾶν? Non versabatur, ait Pindarus, inter aequales neque cum his intererat conviviis nuptialibus (Pyth. III, 16.) aliisque festis epulis domesticis. Convenit vox τέρψιες. Sic non opus videtur alia coniectura; quanquam fuit quum de syssitiis puellarum cogitarem, si etiam puellae olim apud Dorienses communiter coenatae fuerint in ἀγέλας sociatae ad puerorum similitudinem, et Pindarus Cyrenaicos mores in Thessalicam gentem transtulerit, unde orta Cyrena. Sed persequi nolo quae probari non possunt Cyrenis fuisse, quum neque in Peloponneso huius moris vestigia reperiantur neque in Creta. — V. 21. φασγάνῳ, non venabulo, sed gladio, qui fuit inter veterum arma venatica, cf. Oppian. Cyneget. I, 154. laudante Tafelio. — πολλάν τε καὶ ἁσύχιον, uti etiam alias τε

καὶ post *πολύς*, cf. Matth. Gr. p. 830. Notabis tamen hoc fortius et significantius esse quam simplex *πολὺς καί*, vid. ad Ol. XIV, 5. — V. 23. *τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκὺν* sqq. verto: Concubitorem autem suavem, modicum palpebris somnum consumens incumbentem versus auroram, h. e. Somno vero, qui concubitor suavis solet esse quique aliis largus et longus incumbit, puella modico in palpebras fruebatur delapso versus auroram (Sie genoss den Schlaf nur als einen spärlichen, spärlich auf die Augenlieder ihr sinkenden gegen Morgen), quum ferae rediissent in lustra sua. Quod enim Tafelius ex Oppiano IV, 77 sqq. demonstrat, venationes leonum interdiu institutas esse, non noctu, id plane alienum est ab hoc loco, quum hic non de venationibus ferarum sponte institutis agatur, sed de defensione armentorum ab irruentibus bestiis. Constat autem feras noctu ad praedam quaerendam exire et redire in lustra ante solis ortum. Quare puella tum demum, ubi tutas credebat pecudes, somno vacabat paullisper. Sic etiam Boeckhii mei explicationem non probaverim, qui construit: *τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκὺν ὕπνον πρὸς ἀῶ ῥέποντα ἀναλίσκοισα παῦρον ἐπὶ γλεφάροις*, et vertit: „Somnum vero ad matutinum tempus vergentem, qui solet dulcis concubitor esse, rarum nec multum impendens palpebris, id est, somnum non in auroram extrahens. Sed meo iudicio somnus Cyrenae erat *παῦρος ἐπὶ γλεφάροις ῥέπων πρὸς ἀῶ*. Ceterum quod Pindarus *ἀναλίσκοισα* interposuit, id fecit optime, nec poterant verba melius ordinari, hoc loco, ubi vis sententiae in *παῦρον* est et in *πρὸς ἀῶ*. Ipsum *πρὸς ἀῶ*, pro quo Euripides in Rheso v. 557. *πρὸς ἀοῦς* dixit, notavit Hermannus ad Viger. p. 863. Add. Matth. Gr. p. 1183. Denique ad loquutionem *ῥέπων ἐπὶ γλεφάροις* confer Homerica: *ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτεν* Od. II, 398. XIII, 79. et *ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισι χυθείη* XIX, 590. — V. 26. *εὐρυφαρέτρας*, ut dicitur Apollo etiam Fragment. incert. 12. — *λέοντι*. Leones in Europa inter Acheloum et Nestum reperiri memorat Aristoteles in Historia Animal. et inde Plinius, cf. Spanhem. ad Callim. in Cer. 52. Leaenas in Pelio memorat Callimach. in Del. 120. et Xenophon. de Venat. XI. de leonibus in Pindo loquitur. Celeberrima autem Cyrena *λεοντοφόνος*, ut saepe dicitur Nonno; ad Thessaliam refertur

pugna etiam a Callimach. in Dian. 208., ut videtur, at in Libya collocatur ab eodem in Apoll. 91., ubi vid. Spanh. Cum Callimacho facit Apollon. Rhod. II, 509. et Acestor ib. in Schol. Ceterum non obscurus est sensus praeclarae fabulae. Quum enim Libya leonibus abundaret maximis, cf. ad Pind. Pyth. V, 54., quibus Cyrenaica regio purganda erat, pulcherrime iam Cyrenae nymphae tributa est haec virtus, ut quasi praeiret futura huius generis certamina et victorias Cyrenaeorum. Hinc igitur venatrix virgo, hinc masculi eius mores. — V. 29. ἐκ μεγάρων προσέννεπε. Boeckhius meus, quem sequitur Tafelius, intelligit e Delphica aede sua Chironi quae sequuntur dicentem. Sed deum tum non Delphis, sed in Thessalia fuisse et vox κίχε indicat et clarius etiam v. 51. ἵκεο βᾶσσαν τάνδε. Quare ego vertam: alloquutus est vocans e tectis; ut verbum motum a loco significans inclusum sit, constructione non dura visa veteribus, cf. Matth. Gr. p. 1194. Sic supr. Ol. I, 10. ὅθεν ἀμφιβάλλεται ὕμνος σοφῶν μητίεσσι, vertimus: unde susceptum hymnum amplectuntur mentes doctorum. Et Ol. IX, 19. ὅθεν στεφάνων ἄωτοι Λοκρῶν ἐπαείροντι ματέρα est: unde susceptae, partae coronae Opuntem illustrant. — Χείρωνα, qui degebat in Pelio monte. Res autem agebatur in valle ad radices montis. — δύνασιν, Pyth. IV, 238. — V. 31. οἷον ἀταρβεῖ νεῖκος ἄγει κεφαλᾷ, h. e. quale certamen interrito capite agat, sustineat. Sic πόλεμον ἄγειν. Porro ἀταρβεῖ κεφαλᾷ, magnifica circumscriptione pr. ἀταρβής, ut bene notat Gurlittus. Intelligitur intrepida firmitas erecti capitis. Ceterum vide de variis circumscriptionibus poetarum Matth. Gr. p. 798. Aliter explicat Scholiastes: ἐπάγει κεφαλῇ νεῖκος, quod sequutus est Heynius, Boeckhius et nuper Tafelius. — μόχθου καθύπερθε ἦτορ ἔχοισα, labore maiorem animum habens, contemnens periculum laboremque certaminis. — V. 32. κεχείμανται. cf. Buttm. Gr. ampl. Tom. II. p. VI., qui κέκρανται συμφοραί comparat Eurip. Hippol. 1255. utrumque pro plurali habens. Ceterum vulgo usitatius verbum χειμάζεσθαι tropico sensu, quod nosti e tragicis. — V. 33. ποίας δ' ἀποσπασθεῖσα φύτλας, a quanam stirpe avulsa; quod dicit, quia procul a suis puella solitaria versabatur in montibus, notante etiam Boeckhio in Nott.

eritt. — V. 35. γεύεται, fruitur, utitur robore immenso. — V. 36. ὁσία, fas, Hom. Od. XVI, 423. XXII, 412. Vid. Passov. lex. Dicit vero: Num fas manum divinam ei admovere et statim hic eam amplecti, an melius est e lecto sub tectis carpere dulcem florem virginitatis? χέρα προσενεγκεῖν breviter dictum et decore. Volebat statim hic sub divo virginem opprimere et amplecti, ἀμφανδὸν τυχεῖν εὐνᾶς, ut Chiron mox dicit huc respiciens. Docet idem oppositum ἐκ λεχέων, ea de causa in principio coli positum, quia vim secundae sententiae habet. Atque ita factum suasu Chironis, in domo aurea Libyae. — κεῖραι μελιηδέα ποίαν, pubertatem, ut infr. Ἥβας καρπὸν ἀνθήσαντ᾽ ἀποδρέψαι. Decerpere pubertatem est ea frui. Porro notabis ἦ ῥα in altero membro, quod Hermannus ad Aiacem v. 177. negat apud epicos, nedum apud Atticos inveniri. His nunc additum καί, ut toties apud Homerum ἦ καί in altero membro, veluti Il. VII, 196. Porro suppleo χρή, ut sit ὁσία s. ἔξεστι — ἢ χρή, quum haec vera ratio logica esse videatur. Nosti vero hanc figuram, ubi post ἔξεστι intelligitur χρή, ut alias post χρή intelligitur ἔξεστι, cf. Hermann. ad Soph. Oed. R. 817. Et nunc quidem membra per particulam ἦ opposita sunt. Ad sententiae rationem quod attinet, Apollo licet statim amplecti malit, addit tamen etiam alterum, si minus probetur illud. Plane aliam interpretationem loci Gurlittus et Boeckhius sequuntur, non diversa esse statuentes haec duo membra, sed fere eandem sententiam referre; quod mihi etiam cum sequentibus pugnare videtur, ubi Chiro alterum dissuadet, alterum commendat. — V. 38. ζαμενής, animosus. — ἀγανᾷ χλαρὸν γελάσσαις ὀφρύϊ, placido dulce ridens supercilio. Constat superciliis contractis ostendi iram, deductis tristitiam, remissis hilaritatem. Unde in ficta laetitia Hom. Il, XV, 102. ἡ δ᾽ ἐγέλασσεν χείλεσιν, οὐδὲ μέτωπον ἐπ᾽ ὀφρύσι κυανέῃσιν ἰάνθη. Iam χλαρόν cum Schneidero in lex. et Boeckhio Nott. critt. pr. λαρόν accipio ut est λιαρός, χλιαρός, λιαίνω, χλιαίνω. Ac ni fallor, tota haec phrasis pulcherrima nunc est de habitu leniter reprehendentis et absque severitate. Sic mus avaro respondens ἡδὺ γελάσας Anthol. Palat. XI, 391. et ἁπαλὸν γελᾶν, notata hoc sensu Iacobsio Delect. Epigr. p. 19. Inprimis

vero comparaverim apud Platonem Socratem leniter amicos castigantem in Phaedon. p. 84. D. ἐγέλασέ τε ἠρέμα καί φησι, et p. 115. C. γελάσας δὲ ἅμα ἡσυχῇ. — V. 39. Πειθοῦς. Suadam Veneris ministram vidimus iam Pyth. IV, 219. Et hoc loco Boeckhius data opera de ea exponit, quem vide. Porro de clavibus deorum dictum ad Pyth. VIII, 4. Verto locum: Occultis clavibus sapiens Suada aperit aditum ad sacros amores, h. e. non aperte et per vim puellae opprimendae sunt, sed verecunde in lecto occulto persuasione impetrandus amplexus. Iungo igitur κλαΐδες Πειθοῦς, et κλαΐδες φιλοτάτων. Boeckhius iungit Πειθοῦς φιλοτάτων, Suada amorum conciliatrix. Porro vide pulcre additum σοφᾶς, h. e. verecundae, pudicae, a qua caeca affectus vehementia abest, et ἱερᾶν, h. e. quae profanari non debent sub divo. Denique alios locos, ubi βιά et πειθώ in talibus opponuntur, vid. ap. Iacobs. ad Antholog. T. VIII. p. 16. ad Philostr. p. 245. — V. 41. τοπρῶτον. Primos amplexus dicit amantium, qui nondum consueverint. In his maximus solet esse pudor puellae et iuvenis et minime omnium toleranda indecora. Quum autem primi nunc futuri essent Apollinis et Cyrenae amplexus, de his tantum loquitur, non de sequentibus, quasi hos liceat turpes esse. — V. 42 sq. Sensus: Te enim, quem non fas est mentiri, comitas ingenii impulit, ut simulate haec diceres; h. e. ac iocari te credo, non ex sententia dicere. Nosti enim ipse quid fas sit, mentiri autem non potes, ergo iocaris. — θιγεῖν c. dativo vid. Pyth. IV, 296. Ceterum bene confertur Platon. Apol. c. 6. Et de voce ὀργά Pyth. I, 89. μείλιχος ὀργά, come, dulce, facetum ingenium dei, uti monuit iam Boeckhius et vidit Tafel. Denique παρφάμεν, vid. Ol. VII, 66. — — Post haec in fine loci paucis monendum est de consilio poetae. Dixi in Introductione me propter Telesicratem haec dicta credere, et sensisti ipse, spero, post explicationem nostram non sine causa praeclaras has sententias proferri. Quid igitur fecerat Telesicrates? Opprimere voluerat virginem civem Thebanam, aio, hoc ipso tempore, quum Thebis versaretur. Cur Thebanam? De hoc dicetur infra ad v. 93. Virgini autem honestae eum insidiatum iuvenili fervore abreptum, quam forte vidisset alicubi sub divo, hoc ut coniiciam, ipsa haec Pindari verba suadent; similis enim

necesse est fuerit res. Ac presse sequor Pindarum, nec plus tribuam Telesicrati culpae quam opus est ad explicandum carmen. Igitur non dico illatum revera stuprum, sed dico eum voluisse hoc facere, non perfecisse, forte impeditum. Qua quidem re palam facta quum iuvenis sibi iusta vituperia multorum civium conflasset, Pindaro dicendum fuit de ea re, et vides quam decenter dicat et digne simulque quam leniter. Paullo gravius Arcesilaum notat ob illicitos amores Pyth. IV, 90. Et haud dubie etiam Telesicratem castigasset gravius quam fecit, si is perfecisset stuprum. Ceterum non agitur de usu meretricum, quasi has adierit Telesicrates; talia enim nec tractasset data opera Pindarus in carmine epinicio, nec similis foret omnino res exemplo mythico. Quod ea de causa dico, ne quis alius in hanc suspicionem incidat. — V. 44. *κύριον πάντων τέλος*, iustos fatoque constitutos omnium rerum exitus, atque etiam huius rei quis debeat esse finis, nosti, *καὶ πάσας κελεύθους*, omnesque vias, quomodo res perficiantur. — V. 46. *ἠρινὰ φύλλα* de innumera multitudine iam Homerus dixit aliquoties, Il. II, 468. Od. IX, 51. Idem etiam *φύλλοισιν ἐοικότες ἢ ψαμάθοισιν* habet Il. II, 800. Heynius contulit bene Herod. I, 47. verba oraculi Delphici. — *ἀναπέμπει*, submittit, ut Latini dicunt, cf. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 528. et ad Petron. c. 127. Ceterum etiam genus Cyrenae se ignorare simulaverat tantum deus, non ignorabat revera. Quare nunc splendida haec laus ponitur, ne minuatur honos dei, qui ipse omnia sciens suaviter nunc a Chirone edocetur. Docetur autem a Chirone, quia commodum est Chironem etiam cetera exponere. Nempe maior vis loci est, ubi in fatis fuisse apparet has nuptias et fundationem ac potentiam Cyrenarum. Quod Heynius monet amare poetas vaticinia narrare, de eo ita statues: classicos nusquam temere hac dicendi forma uti, ut hic vides, et Ol. VIII, 41 sqq. vidisti videbisque Nem. I fin. — V. 50. *πὰρ σοφὸν ἀντιφερίξαι*, si autem debeo etiam sapienti parem me gerere. cf. Il. XXI, 357, 482. et *ἰσοφαρίζειν* Il. VI, 101. IX, 390. XXI, 411. De *παρά* vid. Matth. Gr. p. 1173. — *πόσις*, maritus. Iam supra dixi consulto hac voce uti poetam, ut verum connubium significetur. — *Διὸς ποτὶ κᾶπον*, Libyam, amoenam Iovis

sedem. κᾶπον de amoena regione vidimus Ol. III, 24. Zeus autem nunc Ammon esse videtur, cf. Pyth. IV, 16. et Scholia ad hunc nostrum locum. Idem notat Thrige p. 294. et Boeckh. h. l. Licet enim etiam Olympius Iuppiter coleretur Cyrenis, cf. v. 101., sacra fuit regio domestico Ammonis nomini. De amoenitate denique Cyrenarum cf. Pyth. V, 22. — V. 54 sq. ἀρχέπολιν, civitatis dominam ibi eam facies, adducto populo insulari, h. e. ex insula Thera (cf. Pyth. IV et V.) in collem campo cinctum, quum Cyrenae in colle sitae essent, cf. Pyth. IV, 8. — V. 56. δώμασιν ἐν χρυσέοις. Consulto hoc ita dici videbis comparato vers. 68. θαλάμῳ δὲ μίγεν ἐν πολυχρύσῳ Λιβύας. Sub tectis nuptiae factae sollemnes et in thalamo deus amplexus est novam nuptam, non sub divo indecoro concubitu. Hinc pulcre Libyae deae domus aurea excogitata. — ἵνα οἱ χθονὸς αἶσαν sqq., ubi ei terrae partem statim donabit, ut ei una sit iure legitimo. Nempe Libyae manet domina terrae Cyrenaicae, quam tamen Cyrene una tenet. Construo igitur cum Heynio: ὥστε συντελέθειν αὐτῇ ἔννομον, ut Cyrene eam habeat una legitimam, pleno iure. Scholiastes συντελέθειν explicat συντελεῖν quod significaret: ei tributa pendere, subiectam esse; verum aliud est τελέθω, συντελέθω. — V. 58. παγκάρπων φυτῶν, cf. Thrige pag. 304 sqq. — θηρῶν, de feris Libyae cf. Herod. IV, 180, 191. Scholiastes v. 100: ἔνθηρος γὰρ ἡ Λιβύη. Et νήποινον, ἄμοιρον. — V. 159 sqq. Ibi filium Aristaeum pariet. Fuit Aristaeus deus rei pecuariae, avium, venationis ferarum, porro cultum olivarum, vitium, arvorum tuens, numen perantiquum; apud alios Ζεὺς Ἄριστος s. Ἀρισταῖος dictus; apud alios Ἀπόλλων Νόμιος et Ἀγρεύς. Cultus eius in Arcadia, Thessalia (ad Pelium et Iolcum), Boeotia vigens, a Parrhasiis in insulam Ceum, a Minyis Iolciacis Cyrenas translatus est. Genealogia dei varia, accommodata locis ubi colebatur, atque in Cyrenaicas fabulas post conditam urbem illatus Cyrenae filius factus est, quanquam revera Cyrena longe esset antiquius numen. Praeter Interpretes ad Virg. Georg. IV. vide de eo Creuzer. Mythol. ed. s. T. III. p. 353. T. IV. p. 371. Müller. Histor. Orchom. p. 348. et Hist. Dor. T. I. p. 281. denique Boeckh. ad hunc Pindari locum. — V. 59. Ἑρμᾶς. Cultus est Mercurius, quanquam hic locus non

necessario id postulat, haud dubie etiam Cyrenis, ut hic monet Boeckh. et nos coniecimus ad Pyth. IV, 178. Hic igitur ibi tollens infantem a matre feret Horis et Telluri, ut Bacchum parvulum portat ad Iunonem (Pausan. III, 4 extr. V, 17, 1. Apollod. III, 4) notante Boeckhio. Vid. etiam Creuzer. Mythol. T. III. p. 96, 98, 245. Telluri traditur utpote matri Creusae, ait Schol., et quia arvorum, credo, plantarumque et animalium fertilis mater est. De Horis Boeckhius: His Aristaeum apportari ob inventa plurima, lactis coagulationem, mellificationem, olei confectionem, lanae tractandae opus, medicinam, vaticinium, scite notat Gedickius, comparans Ol. XIII, 17. Neque omittendum Etesios eum advocasse tempestatis temperamentum et ceteras quoque eius artes ad dona naturae et tempestatum et iustam rerum temperationem pertinent, quae omnia Horis debentur. — V. 62 sqq. verte: Hae ambrosiam et nectar ei instillabunt (ut deus fiat heroinae filius), et facient eum Iovem sanctumque Apollinem, ut, quum hominibus sibi caris salus praesentissima sit et pastor custosque ovibus, Agreus et Nomius aliis, aliis vero Aristaeus vocetur. Nempe ob ovium custodiam Agreus et Nomius est (strictissimo sensu nomen Νόμιος ad pastionem pertinere vides, Ἀγρεύς ad venationem cf. Dorville ad Charit. p. 246. Lips.), ob hominum curam Aristaeus. — ἐπιγουνίδιον κατθηκάμεναι, h. e. ἐπὶ γούνασι. Sic αἰθερία ἀνέπτατο Eurip. Med. 441. θαλάσσιον ἐκρίψατε Soph. Oed. R. 1411, ἐπιδέμνιος ὡς πέσοιμι Eurip. Hecub. 927, et μητέρα βωμίαν ἐφημένην Suppl. 105. Cf. Nitzsch. ad Odyss. p. 104. Et vid. Buttm. Lexil. I. p. 118. — αὐταῖς pr. αὐταῖς scripsit Boeckh., cf. Ol. XIII, 53. — ad στάξοισι cf. Hom. Il. I, 38. — ἁγνός, proprium Apollinis epitheton, cf. Müller. Dor. I. p. 302. — χάρμα ἄγχιστον, salus, felicitas praesentissima. Porro opposita sunt ἀνδράσι et μήλων, sed poterat recte etiam ὀπάονα praeponi propter notionem suam. Tum ad Ἀγρέα καὶ Νόμιον supple τοῖς μέν, omissum ante τοῖς δέ, cf. Matth. Gr. p. 579. — V. 66. γάμον τελευτάν, cf. ad Ol. II, 17. — V. 67. ἐπειγομένων ἤδη, ubi iam festinant, ubi iam eo perventum est, ut festinare incipiant, monente Boeckhio. — V. 68. διαίτασεν, illud ille dies

perfecit. Est διαιτᾶν proprie dirimere rem arbitrio suo, hinc omnino ad exitum perducere, διανύειν, Hesych. Ceterum noto usu dies facit quod fit aliquo die, ut Soph. Ai. v. 131. Tum attende ad pronomen κεῖνο bis positum cum vi in oppositione, veluti Soph. Ai. 1018. Herm. κεῖνος τὰ κείνου στεργέτω, κἀγὼ τάδε. Add. Tibull. I, 1. „Divitias alius fulvo sibi congerat auro — me mea paupertas vitae traducat inerti.“ Perperam quidam talia nonnisi pro inani lusu sonorum habent; dicuntur serio et per ironiam aut sarcasmum, prout est ratio locorum; ubique vero vis inest. — V. 69. ἵνα, confusa, ut solent, deae et terrae Libyae notione. — καλλίσταν, cf. Pyth. V, 76. — ἀέθλοις, ob domestica certamina et apud peregrinos reportatas victorias, qualis nunc Telesicratis. — Absoluta universa narratione addenda restant nonnulla de ultima eius parte. Agit vero Pindarus in hac altera parte manifesto illud, ut iustas nuptias initas ostendat Apollini cum Cyrena, quemadmodum in antecedentibus indecorum concubitum Chiro dissuaserat. Celebrantur igitur nuptiae in aurea domo Libyae, in thalamo sub auspiciis Veneris, et oritur e fausto connubio etiam filius praeclarus. Nam etiam quod de Aristaeo dixit, licet, ut cetera omnia, simul in urbis laudem dictum sit, nunc ad universum loci consilium referri debet, ut alias progenies praeclara laudatur, ubi nuptiae faustae significantur. Sic Ol. I, 88. de Pelope: ἕλεν δ᾽ Οἰνομάου βίαν παρθένον τε σύνευνον, τέκε τε λαγέτας ἓξ ἀρεταῖσι μεμαλότας υἱούς. Add. Nem. VIII, 6 sqq. Contra infausto connubio infausta oritur progenies, cf. Pyth. II, 42 sqq. Quae quum ita sint, vides clare quid velit. Ut supra castigatum peccatum Telesicratis, de quo dixi ad v. 43., sic nunc contra connubii iusti ostenditur decentia et felicitas propter Telesicratem. Debent cives Cyrenaei sequi quod praeivit praeclarum exemplum Cyrena; hoc igitur etiam tu tene, Telesicrates, rediturus in patriam καλλιγύναικα. Non potuerunt haec meo iudicio excogitari felicius. Ceterum aberraveris a mente Pindari, si ita premas mythicam narrationem, ut credas, quemadmodum Apollo in Libyam abduxit Cyrenam, ita etiam Thebanam virginem, cui Telesicrates dixi insidiatum, ab hoc Cyrenas abducendam significari. Ita si interpretareris, non distingueres sententiam universam, quae narrationi subest, a forma eius; quas duas res maxime

opus est ut distinguat interpres. Moneo hoc etiam propter eos, qui Aristophanis comoedias explicant et explicabunt.

V. 71 — 103. De virtute gymnica Telesicratis. — V. 72. τύχᾳ, victoriae. — συνέμιξε, Ol. I, 22. — V. 73. ἀνέφανε, Nem. IX, 12. — V. 74. καλλιγύναικι. De origine pulcritudinis mulierum illarum disputat Boeckhius, Spartam καλλιγύναικα memorans et Libycas puellas. Maxime vero illud attende, quam laeta spes nunc ostendatur Telesicrati, quem Cyrena benevola recipiet in καλλιγύναικι patria, victoriae gloriam afferentem. Frustra enim Tafelius contendit iam affuisse in urbe Telesicratem, sed nondum sollemniter receptum, privata epinicia commentus habita, in quibus hoc carmen caneretur ante publicum viri introitum, quem verbo δέξεται significari. — V. 76 sqq. Multa dici possent de virtute tua gymnica; sed brevis ero, quum brevitas placeat intelligentibus. — ἐν μακροῖσι, in larga materia, cf. ad Ol. XIII, 41. — βαιὰ ποικίλλειν, pauca dicere ornate, cum arte. Verbum etiam rhetoribus usurpatum de orationis ornatu, vide Schaef. Dionys. d. Compos. p. 258. — V. 78. „Opportunitatis brevitas (καιρός) omnium rerum pariter caput est. (Ad παντὸς ἔχει κορυφάν cf. Solon. Carm. VIII. γνωμοσύνης μέτρον, ὃ δὴ πάντων πείρατα μοῦνον ἔχει). Novit quondam etiam Iolaum non contemnentem eam Thebarum urbs, quem, quum Eurystheum interfecisset, condidit sepulcro Amphitryonis avi.“ Duae quum habeantur narrationes, una Iolaum mortuum breviter rediisse ad vivos venia Iovis impetrata, ut interficeret Eurystheum qui Heraclidas persequebatur, altera senem heroem necdum mortuum brevem vigorem virium rogasse a Iove et impetrasse, tum mortuum (cf. Schol. et Boeckh. h. l.) Müllerus Dor. I. p. 55. hanc a Pindaro spectari contendit, quum de morte priore Iolai nihil significetur. Idem recte monet a Pindaro pugnam contra Eurystheum ad Thebas poni, non in Attica. — Ἀμφιτρύωνος σάματι, ante portas Proetides; ibi enim Iolai gymnasium erat teste Pausan. IX, 23., cui iunctum fuisse Amphitryonis sepulcrum docent Scholia ad Nem. IV, 20. Ibi igitur Iolaus conditus, unde etiam Ἰολάου τύμβος dicitur Ol. IX, 99, ubi vid. — Denique attende ad διφρηλάτα et λευκίπποισι: migravit curruum agitator Amphitruo ad Cadmeos, et ipsos claros rei equestris studio;

quod additum censeo, ut significetur, cur recepti Heraclidae Thebis ibi vixerint atque adeo bellum Eurysthei propulsare potuerint. — Post haec ut ad initium loci redeam, quemadmodum, ait Pindarus, Iolaus opportuno tempore breviter resumptis viribus magna perfecit, sic ego abstinens importuna prolixitate, quae fastidium creat, opportunum tempus observans et ipse breviter dicam simulque apte et nervose. Et, nisi magnopere fallor, facit hoc optime statim hoc ipso loco. Probabile est enim etiam Telesicratem *καιρόν* observasse feliciter in cursu Delphico, viribus opportuno tempore collectis, ut ceteras anteverteret victoriaque celeriter potiretur. Sic pulcherrima cum laude Telesicratem ita tractat, quemadmodum hic in certamine se gessit. — V. 84. *τέκε*, Thebis, cf. Nem. I. — V. 87. *κωφὸς ἀνήρ τις*, hebes est qui Herculis non recordatur Dircaeique fontis, qui eum aluit cum fratre. Quod ita dicit, quum primo adspectu in carmine Cyrenaeo civi scripto aliena possit videri Herculis et Thebanorum heroum mentio. Ad *τίς* cf. Matth. Gr. p. 911. — *παραβάλλειν*, admovere, veluti *κεφαλήν*, *οὖς*, nunc os admovere pr. canere, ut *γλῶσσαν φέρειν τινί*, Ol. IX, 42. — *ἀέ* Pindaricum esse pr. *ἀεί* docet Boeckh. Nott. critt. — *θρέψαντο*, cf. Ol. VI, 85. — V. 89. „Eos perfectum ex voto canam nactus bonum.“ Perperam quidam de collocatione verborum queruntur, quae optima est. Nec iungendum *τέλειον κωμάσομαι*, sed cum plerisque omnibus, etiam Boeckhio: *τέλειον ἐπ᾿ εὐχᾷ ἐσλόν τι*, in quo *ἐπ᾿ εὐχᾷ* dictum ut *ἐπὶ ἐλπίδεσσι* Pyth. II, 49. Sententiam Boeckhius statuit hanc esse: Eos nunc canam ob beneficium modo ex voto concessum. Sed obstare videntur sequentia: *Χαρίτων μή με λίποι φέγγος*. Cur enim Gratiae, quae per totum carmen benigne affuerunt, nunc maxime destituant poetam in hoc loco, ut hoc voto opus sit? Quae res facit, ut cum Heynio, Gurlitto, aliis ita potius explicem: eos laudabo, perfectum ex voto ubi quid boni mihi contigerit, Gratiae modo ne destituant. Sic enim quum non solum de praesente tempore dicat, sed etiam de futuro, aptissimum est hoc votum et accommodatum pietati. Ceterum Gratias *κώμου* cantibus praeesse iterum vidimus ad init. carminis, nec repeterem, nisi opus esse viderem. — *καθαρὸν φέγγος*, praeclarum lumen, vis poesios, ut digne eos praedicare possim. Ad *καθαρόν* cf. Pyth.

VI, 14. Quod autem, ut ad maiora redeam, Boeckhius meus praesentem aliquam rem laetissimam postulat, id vidit optime, neque haec excluditur nostra interpretatione, nisi quod mea sententia poeta simul etiam futurum tempus spectat. Quaenam igitur haec res est? Gloria, aio, in Thebas redundans et redundatura ex victoriis Telesicratis in Graecia. Licet enim poeta generaliter loquatur, respicit tamen haud dubie Telesicratis maxime victorias et propter has dicit. Pergendum nobis iam est, ut hoc declaremus, ad sequentia. „In Aegina enim dico et Megaris ter urbem hunc virum illustrasse. Quare sive amicus sive inimicus quis sit civium, ne taceat res publicâ cum gloriâ bene gestas.“ Hic quae est πόλις? Non assentior Boeckhio meo ceterisque interpretibus omnibus Cyrenas intelligentibus. Minus bene cohaerent talia: Domesticos heroes Thebanos canam — in Aegina enim et Megaris Telesicrates Cyrenas illustravit. Immo Thebanis heroibus gratiae aguntur ob rem ad Thebas pertinentem, opinor. Quemadmodum alias victores ludicri heroibus domesticis gratias agunt reduces et coronas suas offerunt, sic credo Pindarus, ubi Thebarum gloria illustrata erit, Herculi et Iphicli laudes dicet, idque facere vult quavis data occasione, etiamsi civis non sit victor, sed tantum cognationis vinculo urbi coniunctus. Nam hebes est qui Herculem non laudet, non omni occasione utatur ad eum praedicandum. Utamur igitur nunc pulcra Mülleri coniectura Orchom. p. 346., etiam Boeckhio probata, Telesicratem Aegidam fuisse, quum etiam nomen patris Καρνειάδας a Carneis ductum, propriis Aegidarum sacris (vid. Pyth. V.), conveniat. Aegida autem si erat Telesicrates, aio equidem, etiam gloria ludicra eius ad Thebas pertinebat (propter Thebanam Aegidarum originem, cf. ad Pyth. V. et Isthm. VI.); idque commode significatur hic, si Telesicrates nunc ipsum aderat Thebis visens cognatos, ibique carmen canebatur, quae Boeckhii est felicissim aconiectura. His adde, quod etiam Tafelio in mentem venisse video, Telesicratem, qui eximius esset cursor, fortasse etiam Olympicam victoriam meditatum, ut poeta ex antecedentibus viri factis novum futurum decus augurari posset, idque revera facere mihi videtur, sed tectius. Iam his omnibus collectis, nexus universi loci difficillimi, prout ego censeo, erit hic pulcherrimus: „Hebes est qui Herculis et Iphi-

clis non semper meminerit quavis data commoda occasione: iis comissabor nunc et olim, ubi perfectum ex voto mihi contigerit bonum: Gratiae modo ne destituant. (Nam a Telesicrate praeter praesentia etiam futura decora praeclara urbi sperare licet propter ea, quae fecit; quam sententiam aliter et tectius significat sic:) In Aegina enim dico et Megaris ter iam praeter Pythiam victoriam urbem ab hoc viro illustratam. Quare, o cives, agite laudemus eum; mittite privatam querelam, si quis vestrum causas reprehensionis habet, in rebus ad publicum urbis honorem bene gestis.“ Vides nunc in hoc nexu etiam *ἀστούς* esse Thebanos, et si carmen Thebis cantatum est, non possunt Cyrenaei esse. Porro si memineris, quae ego supra conieci de virgine Thebana a Telesicrate, dum Thebis versabatur, forte tentata, pulcherrima lux affunditur etiam ceteris. Vides qui sint adversarii; et cur tam graviter poeta hortetur, ut ne taceantur et obscurentur viri laudes gymnicae, *τό γ᾽ ἐν ξυνῷ πεπονaμενον εὖ* non sine vi efferens. Nec poterant melius sedari irae, quas excitaverat Telesicrates, quam sic tractis victoriis viri in publicam Thebarum laudem. Denique, ut etiam illud addam, vides causam cur hanc cohortationem post laudatas victorias in Aegina et Megaris ponat, hoc est post victorias in Graecia partas; hic enim commode dici poterant Thebae illustratae esse, longius aberant Cyrenaicae. Quare hae postea demum subiiciuntur ad absolvendum victoriarum recensum laudemque viri. — Sic explicato universo loco restant nonnulla dicenda de singulis verbis. — V. 90. particula *γάρ* sic explicatur ab Heynio et Gurlitto, ut ante haec verba omissam statuant sententiam hanc: Qualis est haec victoria Telesicratis. Tafelius durius etiam parenthesin ponit a v. 79 — 89. Verum sic nemo dicere potuit recte. Ex nostra ratione *γάρ* simpliciter rationem reddit antecedentium: „Canet heroes, ubi quid boni ei contigerit, et invocat in hanc rem Gratias; nam hic victor iam multa decora urbi attulit, ut probabile sit etiam nova futura.“ Deest igitur nihil; nam ultima haec ex praeteritis ducta conclusio de futuris, quae consulto non pronuntiatur apertius, inclusa tamen est antecedentibus. — De ludis Aegineticis et Megarensibus vid. Ol. VII, 86. — *τρὶς δή*, h. e. non solum Delphis illustravit hanc urbem, sed in Aegina et Megaris etiam ter. Sic bene etiam

Pythiam complectitur. Ceterum aut Megaris bis vicerat et in Aegina semel, aut hic bis et illic semel. Scholiastes enim non recte interpretatur. — πόλιν τάνδε. Dixi supra in nota critica sub textu mihi τόνδε scribendum videri et φυγόνθ'. Nam primum intolerabilem esse omissionem subiecti, quod nunc toto loco explicato etiam clarius senties. Nec opus τάνδε, quum πόλιν in carmine Thebis cantato ne possit quidem aliter quam de hac ipsa urbe intelligi. Similiter simplex πόλιν de Agrigento Ol. II, 93. Porro post τόνδε non dubitabis etiam φυγόνθ' scribendum, quum nunc φυγών plane intolerabile sit. Fuit vero nominativus etiam antea hic durissimus et a Pindari arte dicendi abhorrens; quia causam non habebat idoneam. Exempla, ubi alius participii casus, vid. ap. Matth. Gr. p. 1095. Verum habet etiam hoc genus regulas suas et cautiones, et male credas id ubique posse admitti; de qua re alio tempore dicam explicatius. Displicuisse videtur nominativus nunc etiam Boeckhio meo in Explicationibus. — σιγαλὸν ἀμαχανίαν, taciturnitatem, cf. ad Ol. VIII, 68. — ἔργῳ, Pyth. VIII, 80. — V. 93. ἀστῶν. In hoc nexu: πόλιν εὐκλεΐξαι, οὕνεκεν εἴ τις ἀστῶν, sunt cives huius ipsius urbis, ergo Thebarum. Boeckhius, quum πόλιν Cyrenas intelligeret, ἀστούς statuit esse populares Telesicratis, qui eum in Graeciam comitati essent, ut fiebat. — ἐν ξυνῷ (Ol. XIII, 49., ἐν κοινῷ), in publica, communi causa; haec enim agitur in certaminibus ludicris. — κρυπτέτω; Ol. II, 97. — Nerei dictum haud dubie ex prisco poemate petitum; cf. etiam Nem. III, 29. IX, 6. — V. 97. πλεῖστα νικάσαντά σε. Asyndeton ita explico, ut verba καλὰ ῥέζοντα uberius declarata censeam ceteris quoque viri victoriis indicatis. Igitur nexus logicus hic: Laudet Telesicratem Thebas ornantem vel inimicus, est vir καλὰ ῥέζων. Persaepe etiam in domesticis ludis admirationem excitavit. — καὶ τελεταῖς. Quum non dicatur καὶ — τέ non potest verti: et in Palladiis et in Olympiis, sed καί est: etiam, ut monitum ante nos. Porro Palladis armatae sacra statis temporibus redeuntia (ὥρια) sanctissime celebrata esse Cyrenis pluribus docet Boeckhius ad h. l. repetiitque inde Thrige p. 286. Porro ut vox τελεταῖς recte primo loco posita sit, neve Παλλάδος ἐν τελεταῖς postulet logicus, statuendum est Aeginetica et Megarensia, in quibus vicerit Telesi-

crates, non fuisse τελετάς. Atqui τελεταί sunt deorum, Ol. III, 41. XI, 51. Nem. X, 34., non heroum, opinor; quare suspicor eum illic in Aeaceis et Alcathoiis vicisse. — V. 101. Ὀλύμπια. Fuit igitur Cyrenis cultus Iovis Olympii, traductus, ut videtur, ex Elide, ubi Minyarum pars habitaverat, cf. Müller. Orchom. p. 360 sqq. Nam Iuppiter Ammon ab hoc loco alienus est, qui licet confusus cum Iove Graeco, diversum tamen cultum et templum habebat, ut ceteri dii pro diversis nominibus suis diversis in templis coluntur diversis diebus. — Denique Telluria habita, quum Cyrenae avia Creusa Telluris esset filia. — ἔν τε καὶ πᾶσιν ἐπιχωρίοις, et in omnibus omnino domesticis. Vides recte nunc post Heynium etiam propterea ludos modo memoratos pro Cyrenaicis haberi, veteribus Attica Panathenaea, Olympicia, Telluria perperam intelligentibus, quia alioquin dicendum fuisset: ἔν τε καὶ ἐπιχωρίοις πᾶσιν. Nunc ad veram collocationem verborum non attendens Tafelius in alium errorem incidit, ab antecedentibus sacris, illatis e Graecia, distingui putans indigenarum Libyum domesticos ludos. Nam etiam sic necessario ἐπιχωρίοις ante πᾶσιν ponendum fuisset, ut taceam omnino hanc distinctionem nullam esse, nullo cum fructu illatam, nec tam clare expressam a poeta, ut debuisset exprimi. — In his igitur omnibus, ait Pindarus, videbant te victorem et tacitae sibi quaeque virgines coniugem te optabant aut ut filium aliquando talem habere contingeret. — ἄφωνοι, prae pudore non eloquentes votum. — ὡς ἑκάστα, cf. Herm. ad Vig. p. 853. (Nos: iede für sich). Vides virgines Cyrenaicas ludos spectasse, uti apud ceteras Doricas gentes virgines faciebant, cf. Müller. Hist. Dor. I. p. 262. Ac docet Boeckhius h. l. etiam Cyrenis gymnicas puellarum exercitationes fuisse ob Doricos mores e Peloponneso translatos, et quum etiam apud indigenas certamina feminarum haberentur. Idem quod etiam uxores ad ludos spectandos admissas statuit, certe ab hoc Pindari loco alienum videtur. Explicat: εὔχοντο παρθενικαὶ πόσιν ἢ γυναῖκες υἱόν, uxores inferens, de quo non assentior. Boeckhium sequutus est Thrige p. 348.

V. 103 — fin. De Alexidamo cursore eximio, connubium faustissimum cursu consequuto. — V. 103. ἐμὲ δ᾽ ὦν sqq. Verte: „Me vero quaedam, dum canendi

sitim restinguere studeo, etiam antiqua fama tuorum maiorum poscit debitum, ut eam iterum excitem. Ad δίψαν ἀκειόμενον cf. Hom. Il. XXII, 2. Et Epigr. Platon. VIII. Anthol. Pal. VI, 43. Felicissimos habet transitus Pindarus. Sic hic post tam multos versus qui etiamnum pergere vellet, commode siti canendi se significat ardere, quam restinguere studeat. Porro in verbis τὶς — καὶ παλαιὰ δόξα est τὶς obscurata quaedam fama, ac quod vulgo pronomen tot vocibus separatum a substantivo suo queruntur, id verissime Boeckhius eleganter factum dicit. Defessis propemodum animis longitudine carminis, non poterat melius novae rei canendae excitari et suspendi exspectatio quam hoc modo; haec autem vera causa est, meo iudicio, huius collocationis. — Tum πράσσει χρέος, plane ut Ol. III, 7. — Et αὖτις ἐγεῖραι scil. αὐτάν, ut Isthm. III, 41. φάμα παλαιὰ ἀνεγειρομένα et Ol. VIII, 74. μναμοσύναν ἀνεγείροντα. Adde εὕδει χάρις Isthm. VI, 17. — Denique τεῶν προγόνων et οἷοι magnificentius; est enim de uno Alexidamo maxime dicendum. Vixerat hic revera post Battum, conditorem urbis; sed fabulae gentiliciae eum in antiquiora tempora removerant, cf. Boeckh. h. l. et Müller. Orchom. p. 346. Sic nunc Antaeo aequalis est, regi Irasorum fabuloso, quem occidit Hercules, Isthm. III, 70. Telesicratis tamen gens haud dubie honesta de Antaeo tradebat. Puellae nomen est Bacca vel Alceis, cf. Schol. — Ad praepositiones πρὸς πόλιν — μετὰ κούραν cf. Hom. Od. I, 184. — V. 108. σύγγονοι non populares sunt, recte observante Boeckhio, sed συγγενεῖς, quibus olim proximum connubii ius. — Ἥβας καρπός, pubertas, cf. ad Ol. VI, 58. — V. 111. φυτεύων, meditans, parans, de conatu, ut Nem. IV, 59. et al. Ceterum cf. ad Ol. XIII, 59. — ἄκουσεν Δαναὸν οἷον εὗρεν, Matth. Gr. p. 592. Sunt autem duodequinquaginta filiae exclusa Hypermnestra Lynceo nupta et Amymone Neptuno amata, cf. Heyn. ad Apollod. p. 107. Et vide Boeckhium de huiusmodi certaminibus. — Mox ἅπαντα — αὐτίκα, omnes statim simul. — σὺν ἀέθλοις ποδῶν, Nem. X, 48. — γαμβροί, proci, sponsi futuri. — V. 117. ἐδίδου, imperfectum est de universo certamine proposito, singulae vero actiones στᾶσε, εἶπε, aoristis exprimendae erant. — ἁρμόζων, connubio iungens, quod cur addat in cumulum,

ex superioribus explicationibus clarum. — γραμμᾷ, qualis in principio est et in fine, etiam σταθμή dicta. cf. Nem. VI, 7. Eurip. Electr. 95 sqq. Ion. 1514. Add. Scholia h. l. v. 208. — τέλος ἄκρον, praemium summum, Ol. XI, 67. — ψαύσειε πέπλοις, ut θιγεῖν supr. v. 42., tangeret peplum circum, manibus puta ambabus amplectens. — V. 121. φύγε δρόμον, celerrime superaverat, ut fugere, v. c. Valer. Flacc. V, 103. — Νομάδων, apud hos enim res acta. De Libyum Nomadum locis vid. Herod. IV, 186 sqq.; hic ii sunt, observante Boeckhio, qui circa Baccam habitant, ubi Irasa urbs. — πολλὰ μὲν sqq. Multas illi tum iniecerunt frondes et coronas; multas etiam antea tulerat aliis in certaminibus. Verbis φύλλα ἐπίδικον καὶ στεφάνους significatur φυλλοβολία, pulcherrimus honos victorum, de qua cf. Boeckh. h. l. et Iacobs. Anthol. Gr. T. VII. p. 339. Tum ad πτερὰ νικᾶν, coronas, cf. Ol. XIV fin. — Denique de consilio totius loci supra in Introductione monui, ubi quod universum argumentum carminis dixi Alexidami persona proposita comprehendi, id et per se patet quam poeticum sit, et convenit usui Pindari; vide modo quae de Cinyra dixi ad Pyth. II, 15. Hic vero simul illud nolim te fugiat, quod etiam ex Introductione intelligere potuisti, non praeceptivam esse hanc ultimam carminis partem; sed monita supra dedit luculentissime per fabulam Cyrenae, nunc laudes loquitur et spes ostendit atque auguria futurorum iucundissima.

Carmen Pythium decimum.

INTRODUCTIO.

Carmen scriptum ab adolescente Pindaro Hippocleae s. Hippocli inter pueros diaulo victori Pythiad. 22. Ol. 69, 3. Eundem eodem die stadio vicisse Scholiastes perhibet, cuius decoris quum Pindarus non meminerit, Boeckhius Scholiasta duce statuit plures poe-

tas ad Hippocleam celebrandum invitatos, et Pindaro solius diaulo victoriae canendae negotium datum esse. Pater Phricias bis Olympia armato cursu vicerat et Pythia semel simplici. Patria Hippocleae Pelinna sive Pelinnaeum dicitur, Thessaliae oppidum, ubi etiam carmen cantatum videtur; neque tamen poeta ab Hippocleae familia ad carmen faciendum invitatus erat, sed ab Aleuadis Larissaeis. Quum enim ab Herculis filiis Antipho et Phidippo multae Thessalorum nobiles gentes originem repetiisse videantur, ex Heraclidis probabile est etiam Phriciae domum fuisse, quemadmodum Aleuadae et Scopadae Heraclidae fuerunt. Atque Aleuadae Larissae regnantes quum dilecto sibi puero Hippocleae propinquo suo *κῶμον* adducere vellent, adierunt Pindarum, chorus tamen conductus est ex urbe Cranone. Narravimus haec ex Boeckhii introductione, nisi quod hic Larissae carmen cantatum statuit, ego Pelinnae, de qua re dixi ad prooemium; idem data opera de Aleuadis et coniunctis cum his gentibus egit. Adde de Aleuadis disputantem etiam Meinekium in Commentationum Miscellanearum Fasciculo primo p. 50 sqq. et Buttmannum in Actis Academiae Berolinensis ann. 1822, 3. p. 171 sqq. — Argumentum carminis hoc est: Post prooemium poeta primum Hippocleae victoriam Pythiam laudat, tum ad patrem pergit, qui Olympia et Pythia vicerit, cuius vestigia praeclare sequatur filius. Esse vero hanc familiam fortunatissimam: florere divitiis, nunc patrem, ipsum victoriis clarum, etiam filium videre tenera adhuc aetate corona ornatum. Coelum adscendi non posse; at quae homines assequi possint, ea parta uberrime. Modo invidia deorum absit. Exin transit ad Hyperboreorum fabulam, quos neque navibus neque terrestri itinere adiri posse, a Perseo vero Minerva duce visos. Vidisse vero eum singularem huius populi felicitatem, quorum dapibus festis et cantibus Apollo maxime delectetur. Haberi ibi choros puellarum lyraeque et tibiae cantus et convivia laeta; morbos et senectutem abesse a sacra gente, vivique sine laboribus et bellis, nec attingente illas regiones Nemesi. Post haec poeta revocata oratione iterum ad rem praesentem venit; speratque Hippocleam hoc carmine etiam illustriorem se facturum inter populares. In fine denique a Thorace Aleuada significat se invitatum ad hoc carmen faciendum, laudatque hunc cum fratribus. —

Singulis enarratis restat, ut pauca addamus de subiecta summa sententia carminis. Igitur primum quidem consideratis iis, quae de Hippoclea et patre dicuntur, liquet fortunam eximiam praedicari familiae nobilis, quae divitiis et gloria ludicra ornata assequuta sit omnia, quae homines assequi possint. Verum cur de Hyperboreis dicit? Post ὄλβον illustris familiae praedicatum, Pindari et Graecorum morem si consideraveris, iure exspectes ethicas etiam admonitiones moderationis et modestiae, sine quibus non absoluta est talis carminis sententia: at cum modestia coniunctum habere ὄλβον, id demum summum est, eaque sententia vere Graeca et Pindarica. Ac voluisse hoc poetam ipsa eius verba indicare videntur. Assequuti sunt, ait, quae possunt assequi homines; ad Hyperboreos tamen perveniri non potest; Perseus eo venit Minerva duce, quum etiam alia mirabilia ederet. Quid igitur monet nisi hoc: Hyperborei sunt felicissimi omnium hominum in terra; inter convivia et cantus vivunt expertes morborum et senectutis, laborum et bellorum, procul a Nemesi. Ab hac summa felicitate abestis licet fortunatissimi; memineritis igitur finium fortunae vestrae, neu credite vos non attingi posse a Nemesi. Atque haec est mea de carmine sententia. Iis adde, quod Boeckhius pulcre coniecit, Perseum, qui inter maiores Herculis esset, ut gentilicium heroem maximopere ab Aleuadis cultum fuisse, et quidni etiam ab hac familia victrici, ad quam proxime carminis dicta pertinent? Qua coniectura consequimur illud, ut cur Persei nomen immisceatur appareat, et quum plus una fabula ad modestiam hortari potuisset Pindarus, nunc illud eum elegisse videamus, quod propius eos tangeret, veluti in antecedenti carmine Telesicratem de pudicitia admoneri vidimus ex Cyrenaicis antiquitatibus petita fabula. Sic omnia bene convenire videntur, erratque Scholiastes ἄλογον παρέκβασιν reprehendens; quanquam carmen ab adolescente poeta scriptum est, nihil tamen inesse videas imperfectius, ut monuit etiam Boeckhius.

EXPLICATIO.

V. 1 — 6. **Prooemium. De illustri genere domus victricis.** Dicit: „Felix est Lacedaemon, beata Thessalia; ex uno enim ambabus patre bellicosi genus Herculis imperat. Quid iacto praeter opportunitatem? At Pytho et Pelinnaeum me poscit et Aleuadae, Hippocleae cupientes adducere comissationis inclitam vocem.“ Quum et Aleuadae, qui carmen postulaverant, ex Heraclidis essent, et Phriciae domus, ut equidem non dubito, poeta splendidum quaerens introitum orditur ab ipsa magnificentia Heraclidarum in Peloponneso et Thessalia imperantium. Tamen plura de amplo hoc argumento hic dicere nolebat, satis habens nunc verbo indicasse quam illustres essent quos caneret, deinceps alia persequuturus. Quare statim abrumpit orationem inceptam, fingens ad aliena se delapsum, ut alias saepe, quum fabulas intextas abrumpit, temere digressum se simulat. Quemadmodum autem istae fabulae revera non alienae sunt, ita nec haec laus, immo illustre est vestibulum carminis; modo illuc statuamus, etiam Phriciae domum ex Heraclidis fuisse, cuius laus argumentum est carminis, ad quam etiam haec res pertinere debet, non ad Aleuadas solos. Fac enim non descendisse hanc domum ab Hercule; tum demum vere aberravit, et, ut mihi quidem videtur, non eleganter. Erit enim sensus: Verum victores quos cano non sunt Heraclidae, temere ad aliena aberravi: quod ipse vides quantopere displiceat. — V. 1 sq. Prima haec pro nominativis habeo cum Boeckhio et probo *Λακεδαίμων*. Gravior sic et dignior est introitus quam exclamationibus illatis. Felices autem praedicat has terras, quod tam illustri generi subiectae sint. De Antipho et Phidippo, Herculis nepotibus, unde plurimae nobiles Thessalorum familiae oriundas se ferebant, vide praeter Boeckhium etiam Müllerum Hist. Dor. I. p. 421. — *πατρὸς ἐξ ἑνός*, cum vi praemissum, licet sensus idem in verbis *γένος Ἡρακλεῦς* lateat. — V. 3. *Τί κομπέω*, praefero quod res ipsa offert, ut sensus sit: Verum quid hic iacto praeter rem? Sic se revocat ab incepto, ut revera non pergit hac via; atque ita etiam Boeckhius. Aliter Hermannus: „Quid est quod temere dicam? Nihil. Sed

enim Pytho me poscit. Nisi forte insolentiore verborum collatione, sed non minus recta, τὶ κομπέω παρὰ καιρόν scribendum: Quidquamne temere iacto? Haec mihi aliena videntur omnia. Ceterum κομπεῖν est magnifica loqui. — ἀλλά με — Ἀλεύα τε παῖδες, „At Pytho et Pelinnaeum sqq. haec me poscunt; non iste latus campus ingrediendus, ut de potentia Heraclidarum dicam universa, sed certae quaedam urbes et personae sunt quae me vocant, huc oratio revocanda.“ Ita haec intelligam. Aliter Boeckhius: „Sed enim Pytho me postulant, sed Pelinnaeum, sed Aleuadae. Nihil igitur praeter rem aggredior.“ — Πελινναῖον sive Πέλιννα et Πέλινα, oppidum haud procul a Peneo, cf. Boeckh. Nunc patria Phriciae et Hippocleae. — Ἀλεύα τε παῖδες, Thorax infra nominatus eiusque fratres Eurypylus ac Thrasydaeus, cf. ad finem. Ab his poeta invitatus erat ad carmen faciendum. — ἀγαγεῖν, adducere. Veluti Pyth. III, 73. IV, 211. IX, 75. Pyth. XII, 12. Volebant igitur comissationem adducere in domum Hippocleae, sibi dilecti pueri, ut videtur; hoc enim cum Boeckhio suspicor, quum sic optime explicetur, cur hi carmen expetierint. Vides ex proposita loci interpretatione carmen Pelinnae cantatum. Boeckhius vero Larissae cantatum statuens apud Aleuadas, intelligit pompam ibi ductam per urbem in honorem Hippocleae, quod mihi non inesse videtur in loquutione ὄπα ἀνδρῶν ἄγειν τινί. Ceterum ἀνδρῶν ὄπα, quum chorus e viris esset. Omnino addendus erat genitivus, ne suam ipsorum vocem adduxisse dicantur. Denique de iunctis sine copula adiectivis ἐπικωμίαν κλυτὰν ὄπα diximus ad Pyth. IX, 7.

V. 7 — 29. Laudatur felicitas eximia Phriciae, qui opibus fortunatus sit, et quum ipse victorias praecipuas ludicras reportaverit, nunc etiam filium videat tenera aetate coronatum. — V. 7. γεύεται ἀέθλων, certator est. Significat γεύεσθαι proprie gustare, sentire iucunditatem aut molestiam alicuius rei, ut γεύεσθαι στεφάνων Isthm. I, 21. (unde Pyth. IX, 35. ἀλκᾶς pr. frui, gaudere) aut κακῶν, χειρῶν, δουρὸς ἀκωκῆς, ὀϊστοῦ, qualia ex Homero nota, qui etiam γεύεσθαι ἀλλήλων dixit de pugnantibus. Sic est etiam tentare, adire; ut nunc et Nem. VI, 25. πόνων γεύεσθαι, et Isthm. IV, 20, ὕμνων. — V. 8 sq. στρατῷ τ' ἀμφικτιό-

νων sqq. Et conventui circumcolentium Parnasius recessus eum diauli cursorum summum nuntiavit; cf. Pyth. IV, 66. — *Παρνάσιος μυχός* est vallis a Parnasso Delphisque ad Cirrham descendens, ubi stadium et hippodromus, vid. ad Pyth. VIII, 19. Sic Strophius Crisae habitans dicitur *Παρνασοῦ πόδα ναίων*, Pyth. XI, 36. — Porro *ἀνέειπεν*, de quo vid. Pyth. I, 32., nunc de valle dictum, ubi praeco proclamavit nomen, valde placebit, ubi simul echo vallis cogitaveris vocem praeconis undique resonans. Quod sensit Gedickius, *Παρνάσιον* tamen *μυχόν* non recte explicans de antris et recessibus montis. Denique ad totum locum cf. Ol. IX, 95. — V. 10 sqq. Verte: „Apollo, laetus enim exitus et initium humanarum rerum deo movente fit, ille tuis quidem consiliis hoc perfecit, virtutem innatam autem quod attinet incedit vestigiis patris bis Olympionicae." — *γλυκὺ αὔξεται*, dictum ut *μέγας αὐξάνεται*, alia similia, de quibus conf. Heind. ad Platon. Protag. p. 527, Stallbaum. ad eund. p. 76. et vide de hac prolepsi adiectivorum ad Ol. I, 68. Add. Acta philol. Monac. T. I. fasc. II. p. 266. Bene conferas Anthol. Pal. VI, 154. Iacobs Del. Epigr. p. 28. *ἀνθ᾽ ὧν εὔυδρον, Νύμφαι, τόδε δῶμα γέροντος αὔξετε, Πὰν γλαγερόν, Βάκχε πολυστάφυλον*, h. e. augete, ita ut sit, facite, ut sit. Est igitur pr. in maius et laetius augetur, amplificatur, ut omnia auctiora et ornatiora fiunt cum deo. Et *τέλος ἀρχά τε* est tota res ab initio ad finem. Cursus igitur totus sine casu adverso peractus erat. Denique colon hoc ita positum est, ut alias *γάρ* post vocativum, cf. Ol. IV init. Add. Matth. Gr. p. 1245. — *τεοῖς γε μήδεσι.* Deus igitur consilium ei hoc dederat, et excitaverat addideratque animum, ut suscipere rem auderet puer. Unde antea *δαίμονος ὄρνυντος.* — *τὸ δὲ συγγενές.* De significatione cf. Pyth. V, 16. Casus autem, ut mihi quidem videtur, accusativus absolutus est, usurpari solitus in oppositionibus ad augendam vim eius vocis, in qua oppositio inest. Vid. Soph. Oed. R. 717. Alia exempla attulit Wunderlichius ad Demosthen. d. Coron. Pag. 312., bene hunc usum notans. Praeterea confer quae de nominativo absoluto monui ad Pyth. IV, 152. et de genitivo ad Pyth. VIII, 85. Scholiastes, quem sequuntur Heynius, Boeckhius, Tafelius, *ἐμβέβακεν* per *ἐπιβῆναι πεποίηκε* explicat, insita natura

effecit, ut ingrederetur; sed haec significatio perfecti non poterit demonstrari. Ceterum ad sententiam cf. Pyth. VIII. 35. Nem. VI, 15. — V. 13. πολεμαδόκοις, bellum sustinentia sunt bellica arma, ut Ἀθηναία πολεμαδόκος Antholog. Palat. IX, 59. bellicosa, monente Gurlitto. Ceterum armatus cursor quae arma gestaverit, notavimus ad Pyth. IX, 1. Adscitus hic cursus Olympiae est Ol. 65, et vicerat Phricias inter Ol. 66 — 69. — V. 15. ἀγὼν βαθυλείμωνι ὑπὸ Κίῤῥας πέτραν, certamen Pythium in valle sub rupe Cirrhaea, qui, notante etiam Boeckhio, Κρισαῖος λόφος esse videtur, de quo dictum ad Pyth. V, 35. A Crisa s. Cirrha per hunc collem descendebatur in vallem, ubi ludi. βαθυλείμων Boeckhio est saxum, in quo pratum erat, nec demonstrari potest rem non fuisse ita, nisi quod nunc hoc otiosum videtur. Quidni βαθυλείμων πέτρα dici possit quae est in profundo prato, quae surgit e prato, valle ambiente eam a pluribus partibus? Ita cepit Dammius, Heynius, Tafelius, nisi quod Heynius perperam de Parnasso cogitat. — V. 17 sq. Adsit fortuna, ut etiam in posterum praeclarae opes floreant, cum quibus talia perficiunt. — ἀνθεῖν, ὥςτε ἀνθεῖν. Herod. I, 32. εἰ μή οἱ τύχη ἐπίσποιτο, πάντα καλὰ ἔχοντα τελευτῆσαι εὖ τὸν βίον. Ceterum quos sumptus certamina postulent, dictum ad Pyth. VIII, 92. — V. 19. τῶν ἐν Ἑλλάδι τερπνῶν, qualia sunt tyrannis, victoriae ludicrae et carmina epinicia. — θεὸς εἴη ἀπήμων κέαρ, cum vi repetita antecedente sententia, optime in magna felicitate, et ne a modestia recedant, quam mox commendabit pluribus per fabulam de Hyperboreis. — σοφοῖς, poetis. — V. 26. νέον ἴδῃ, confer cum Boeckhio dictum Laconis ap. Cic. Tuscul. I, 46. — V. 28. βρότεον ἔθνος, Nem. III, 74. — περαίνει, scil. ταύτας, has felicitates emetitur, decurrit διέρχεται, usque ad extremum finem. Nobis igitur περαίνει dicetur durchmachen, zurücklegen. — ἔσχατον πλόον, nota loquutio de columnis Herculis, cf. Ol. III fin.

V. 29 — 50. Describitur felicitas Hyperboreorum, ad quos Perseus duce Minerva venit, vulgo autem ab hominibus perveniri non potest. — De Hyperboreis vid. ad Ol. III, 16. De eorum felicitate et omnium rerum abundantia cf. locos indicatos a Iacobs. ad Anthol. T. VII. p. 6. —

ναυσί, h. e. *οὔτε ναυσὶν οὔτε πεζὸς ἰών*, cf. Pyth. VI, 48. Ac Perseus per aërem ferebatur alatis soleis, quum ad Medusam proficisceretur, cf. Apollod. II, 4, 2. At Hercules tamen pedibus eo venit, dices, ut vidimus Ol. III.; sane, sed haec ignorasse aut non meminisse videtur Pindarus, quum propositum carmen scriberet adolescens. Ceterum vides Perseum in itinere ad Gorgones primum versus septentrionem, inde ad occasum profectum; cf. Müller. Prolegom. ad Mythol. p. 420. — *ἀγῶνα*, conventum festum, quum sacra celebrant, conf. praeter Heynium et Gurlittum Boeckhii notam. Observantur poetae animo dies festi Hyperboreorum creberrimi, ubi et in publicis locis feriabatur populus et per domos epulae habebantur laetissimae. — V. 32. *δώματ᾽ ἐςελθών*. Quum apud alios (Pherenicum in Scholiis ad Olymp. III, 28., Diodor. II, 47., Antonin. Liberal. c. 20.) templum Apollinis commemoretur, ad quod habitaverint Hyperborei et in quo asinos immolaverint, Boeckhius etiam hic istud templum intelligit, de quo non assentior, quum alio nullo genitivo adiecto ex antecedentibus genitivus repetendus sit. Cogitavit igitur Pindarus domos cum amplis conclavibus et aulis, in quibus epulantes invenerit Perseus, templum tacet, ac mox ostendam etiam ob aliam causam hoc sic positum a Pindaro. Quare hoc loco etiam Apollo cogitandus est subire haec tecta et epulari ibi, ut cum Phaeacibus dii Hom. Od. VII, 201. — V. 33. *ὄνων ἑκατόμβας* apud Hyperboreos post Pindarum memorant Callim. Fragm. 187, 188. et Antoninus l. cit. vid. Heynium, Boeckhium et Müllerum in Hist. Dor. I. p. 279. Maxime vero memorabile etiam Delphis talia sacrificia Apollini oblata, quod nunc discimus ex Inscriptione Delphica Corp. Inscriptt. V. I. fasc. III. p. 807. lin. 14. ibiq. Boeckh. — De *ἐπιτόσσαις* cf. ad Pyth. III, 27. — V. 34 sq. *ὧν θαλίαις* sqq., quorum epulis semper et cantibus quam maxime delectatur Apollo. — *εὐφαμίαι*, laudes, cantus in honorem dei, veluti Eurip. Troad. 1072. *χορῶν εὔφημοι κέλαδοι*. — V. 36. *ὕβριν ὀρθίαν* cum Boeckhio accipe de salacibus gestibus asinorum, qui bene pasti ad sacrificia ducuntur. Propria quidem vox *ὑβρίζειν* de asinis etiam generaliori sensu pr. exsultare, lascivire, cf. Xenoph. Anab. V, 8, 3.; nunc autem libidinem intelligi indicat adiectum

ὀρθία, conf. d. ὀρθός Lacon. ὀρσός Aristoph. Lysistr. 995, Invern., collat. Müller. Dor. I, 386. Ac constat etiam de hoc sensu verbi ὑβρίζειν, cf. laudatum interpretibus Koen. ad Gregor. p. 542. Lips. et add. Aristoph. Nub. 1058. ibique interprett. Huc pertinet proverbium ἀσελγέστερος τῶν ὄνων Lucian. Piscat. cap. 34. Dicendum vero nunc de poeta, talia qui admisit. Ac primum quidem mihi hinc quoque constat privatas domos et vestibula cogitari; nam etiam adolescens Pindarus non videtur mihi talia ausurus fuisse, si in templo Apollinis res ageretur. Porro addendum consilium universi loci. Pindarus Thessalis hominibus describens Hyperboreorum felicitatem, ea proponit, quae ipsis placerent. Quodsi memineris Thessalicas εὐωχίας, de quibus dictum ad Pyth. IV, 130., uti etiam in his epiniciis haud dubie lautissimae epulae habebantur, vides primum, cur poeta ante omnia de epulis festis Hyperboreorum dicat et identidem dicat, ἐδαίσατο Περσεύς, ὧν θαλίαις μάλιστα χαίρει Ἀπόλλων, εἰλαπινάζουσιν εὐφρόνως, ubi quod addit δάφνᾳ κόμας ἀναδήσαντες, manifesto dictum propter victorem chorumque nunc ipsum similiter lauru redimitum, monente etiam Boeckhio, qui praeterea addit etiam Daphnephorica apud Thessalos celebrata, ut apud alios quosdam. Pertinet eodem musicae laus, quum etiam in his epiniciis musici cantus essent. Est igitur omnino consilium Pindari, ut doceat qualia nunc essent oblectamenta in his epiniciis et aliis diebus in divitum Thessalorum domibus, similia etiam apud Hyperboreos haberi, at longe iucundiora et per totum populum, praeterea abesse mala plurima, quibus nos premimur. Intelligo hinc simul, cur δώματα Hyperboreorum memoraverit nunc, non templum. Ista autem epularum iucunditas ostenditur potissimum ex eo, quod Apollo continuo iis gaudeat quam maxime. Iam credo dicere voluit Apollinem tam hilarem esse ibi, ut etiam liberius frontem relaxet, idque indicavit sic, ut legimus. In quo iterum crediderim Thessalorum mores spectatos, qui paullo laetiora convivia amasse videntur atque etiam liberiores iocos. His omnibus etsi non plane excusatur Pindari iuvenilis audacia, illud tamen clarius factum videtur, cur hoc ausus sit. — V. 37 sq. Musa non abest ab his terris, τρόποις ἐπὶ σφετέροισι, in moribus eorum, h. e. ut sunt mores et ingenium horum hominum. Ad ἐπί conf. Pyth. I, 36. — παντᾶ

δὲ χοροὶ sqq. Iuvabit conferre quae Müllerus Hist. Dor. II, 327. monet de musica et choris olim apud Spartanos pervulgatis. Puellarum choros Pindarus prae ceteris memorat, quum suavior sit puellarum saltantium adspectus. παντᾶ vero est ubique, per totum populum, in publicis locis et credo etiam in domibus inter epulas, a quibus non probabile est musica oblectamenta abfuisse; atque intelligitur sic, cur in versu sequenti ad epulas redeat. Has enim festas epulas per totum locum inprimis describere voluit, ut dixi. — δονέονται, rotantur, agitantur, ut agitare choros est Virg. Georg. IV, 533. Vox bene nunc hilaritatem exprimit. — δάφνᾳ χρυσέᾳ, cf. Ol. X, 13. — ἀναδήσαντες, Pyth. I, 40. — V. 41 sqq. Post oblectamenta loquitur de malis, quae ab iis absint. — πόνων ἄτερ, non quaerentes victum labore. — ὑπέρδικον Νέμεσιν, severam Nemesin, in quo ὑπέρ est maxime, ut in ὑπερμήκης, ὑπέρβιος, ὑπερμένης, ὑπέρθυμος, aliis, et ipsum ὑπέρδικος Soph. Ai. 1108, et Aesch. Agam. 1367. Blomfld., quem confer. Hanc igitur severissimam deam, cui nemo ceterorum mortalium satisfacit, haec sacra gens fugit. Contra Boeckhius meus sic dicit: ὑπέρδικος non est maxime iusta, sed ὑπερδικαιοῦσα, ius exercens quod supra homines est. — V. 44. θρασείᾳ πνέων καρδίᾳ, audaci pectore spirans, pr. θράσος, μένος πνέων, de quibus formulis cf. Blomfld. ad Aesch. Agamemn. v. 1206. — V. 45. ἁγεῖτο δ᾽ Ἀθάνα, interposita inter μόλεν ἐς ὅμιλον, de quo genere cf. Lobeck. ad Sophocl. Aiac. p. 294. — Mox ποικίλον κάρα sqq. h. e. caput Medusae variegatum serpentium crinibus attulit Seriphiis (Pyth. XII, 12.) exitium, quum eos lapides faceret. Ait Pindarus: Perseus venit ad Hyperboreos tum, quum etiam alia mirabilia duce Minerva ederet, quod addidit, ut fidem maiorem faceret itineri ad Hyperboreos. Hinc subiicit cum diis nihil videri impossibile. Sed haec verba, ἐμοὶ δὲ θαυμάσαι sqq., vario modo explicant. Hermannus iungens θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων, vertit: Mihi, etiamsi dii faciunt ut mirari necesse sit, nihil tamen videtur esse quod effectum dare nequeant. Sed hoc modo certe καὶ θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων dicendum erat; absque tali particula ista constructio hic admodum dura est. Nec verti potest: ubi dii miracula edunt, nihil incredibile, quod θεῶν θαυμάσαι τελεσάντων dicendum

fuisset, non θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων. Quare relicta ista constructione iungo cum Boeckhio: ἐμοὶ δέ, θεῶν τελεσάντων, οὐδέν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον θαυμάσαι, mihi vero ad mirandum, ubi dii agunt, nihil unquam videtur incredibile, h. e. ne miror quidem, quum diis nihil non facillimum.

V. 51 — fin. Redit ad victorem carmenque absolvit subiecta in fine Aleuadarum laude. — κώπαν σχάσον, remum inhibe. Esse σχάζειν hoc sensu proprium de remigantibus ait Schol. ad Nem. IV, 64. et ad Eurip. Phoeniss. 455. Add. praeterea Boeckhium h. l. Ceterum asyndeto bene utitur ut repente celeriterque se revocans; cf. Nem. III, 26. — ταχὺ δ᾽ ἄγκυραν cet., h. e. celeriter ancoram infige terrae, in quo χθόνα dicit fundum aquarum proxime terram, quasi ὅρμον videns commodum, quo uti vult statim, ne navis ulterius procurrens in scopulum forte inpingat. Ergo non dicit in antecedentibus temere se digressum et aberrasse a recto cursu; at nunc si ulterius progrediatur, scopulos timet, quoniam, quum dictum sit de Hyperboreis et Perseo quantum satis, plura addita aliena essent. — πρώραθε, quum e prora pendeant ancorae, cf. Pyth. IV, 191. — Postremo metaphoram navigationis ipsam quod attinet, ea hic usus est ut alias passim, quum dixisset de longinquis regionibus, cf. v. c. Nem. III, 27. IV, 70. — V. 52 sq. Laudatorii enim praeclara vis hymni alias ad aliam properat rem, h. e. pergendum enim nunc ad alia est, ut amat hymnus huc illuc vagari. — ἄωτος, ut Buttmannus docuit in Lexilogo, est praeclara vis et praestantia, optimum et pulcherrimum in suo genere. — ἐπ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλον, legitima collocatio. — ὥτε μέλισσα, sic hymnus hinc illinc mel laudis petit, nec diu in uno versatur loco. — V. 55. Ἐφυραίων, quum, sagaciter explicante Boeckhio, chorus ab Aleuadis conductus esset ex Ephyraeis sive Cranoniis. Vide de hac urbe Ephyra postea Cranone dicta praeter Boeckhium etiam Heyn. ad Hom. Il. XIII, 301. Cranone Scopadae imperabant, gens opulentissima et artium amantissima, de quibus idem Boeckhius dixit. Ibi igitur videntur χορευταί boni fuisse. — ἀμφὶ Πηνεϊόν, h. e. Pelinnae, haud procul a Peneo sitae; at Cranon longo intervallo distat a fluvio. — προχεόντων, Isthm. VII, 58. Hom. Od. XIX, 521. — ἔτι καὶ μᾶλλον, quam

nunc est ante has laudes meas. — V. 60 sqq.: Alius alio studio tenetur, suntque varii hominum conatus; quae vero quisque appetit si consequutus sit, iucundam teneat curam, rem praesentem s. iucunditate fruatur praesenti, quum futura incerta sint. — *ὑπέκνισε*, urit, pungit. Eurip. Iphig. Aul. v. 330. *τὸ βούλεσθαί μ' ἔκνιζε.* Et *ὑπό* est intus sub pectore, veluti in *ὑπορνύναι* Hom. Il. XXIII, 108, 153, al. Ceterum adde Boeckhium h. l. et Lexica. — *τυχών κεν.* Est *κέ* et *ἄν* cum participio iunctum aut in apodosi, quod frequentissimum, aut in protasi et p. si forte explicandum, ut nunc aut Aristoph. Ran. v. 97, *ζητῶν ἄν*, et hoc quidem genus comparo cum positis post *εἰ* particulis hisce, de quo vid. Hermann. ad Vig. p. 830. — *ἁρπαλέαν*, cf. ad Pyth. VIII, 65. — *φροντίδα*, rem, quam concupivit et nunc habet. — *παρά* c. gen. cf. Pyth. I, 79. — V. 64 sqq. Exitus carminis, in quo laus Aleuadarum amicorum suorum. Orditur: Fidelis hospes et amicus mihi est Thorax, cui obsequutus hoc carmen cecini, quod ita exprimit: Confido hospitio benevolo Thoracis, qui meum officium expetens hunc iunxit currum Pieridum quadriiugum. — *πέποιθα* non retulerim ad sententiam v. 55 sqq. enuntiatam, quasi dicat Thoracem carmini illam auctoritatem conciliaturum; nam hoc est durum propter sententiam aliam et diversam plane v. 60 — 63. interiectam. Immo *πέποιθα* est simpliciter fidam habeo eius amicitiam, est mihi amicus sincerus, ut etiam Heynius accepit. Ceterum Thessalorum gentes nobiles *φιλοξενίᾳ* insignes erant, unde Xenoph. Hist. Gr. VI, 1, 3. de Polydama Pharsalio ait: *ἦν δὲ καὶ ἄλλως φιλόξενός τε καὶ μεγαλοπρεπὴς τὸν Θετταλικὸν τρόπον.* — *ποιπνύων*, de verbo cf. Buttm. Lexil. I. p. 176. Nunc videtur esse pr. studiose ambiens, ut cum Scholiasta ceperunt vulgo interpretes. Tafelius tamen vertit: Gratiam meam spirans, mihi favens, comparato Aesch. Agam. v. 1208. *ἀλλ' ἦν παλαιστής, κάρτ' ἐμοὶ πνέων χάριν.* Non recte, quum notio spirandi, quae fuisse videtur in hoc verbo, iam apud Homerum obliterata sit, ne opponam sic etiam ridicule dictum *ποιπνύειν χάριν.* — *ἅρμα Πιερίδων* honoris causa dixisse videtur propter Aleuadas, illustres Larissae tyrannos, quum etiam hi in hoc carmine laudentur. Vide quae explicui ad Ol. VI, 22. — *τετράορον* Boeckhio simul alludere videtur ad quaterna strophae

antistrophaeque et epodi systemata; quod mihi dubium. — ἄγων ἄγοντα, suavis descriptio amicitiae, amicis iunctim incedentibus alteroque alterum sublevante. Qua imagine significantur mutua officia, ut monuit Boeckhius aliique. Iuvenilem lusum hic esse, ut Bothio visum, non reperio. — V. 67. „Exploranti et aurum in probatione splendet et recta mens" h. e. probatione cognoscitur quid sincerum sit; sic etiam Thoracis amicitia usu mihi spectata. Eandem sententiam minus breviter expressit ab aliis iam comparatus Bacchylides, cf. Brunck. Analect. T. I. p. 149. et Bacchylid. Fragm. Neue p. 31: Λυδία μὲν γὰρ λίθος μανύει χρυσόν· ἀνδρῶν δ' ἀρετὰν σοφίαν τε παγκρατὴς ἐλέγχει ἀλάθεια. Similia vide apud Menandrum ed. Meinek. p. 289 et 323., quem attulit Tafel. Adde Blomfld. ad Aesch. Agam. p. 195. — βάσανος vero saepissime translate dicitur, cf. Iacobs. Delect. Epigr. pag. 259. — V. 69. ἀδελφεούς. Erant fratres Thoracis Eurypylus et Thrasydaeus, cf. Herod. IX, 58. Boeckhius nunc omnes tres intelligit, incluso igitur Thorace. — νόμον Θεσσαλῶν, rempublicam Thessalorum, quatenus ad certam quandam formam et legem constituta erat. Erat vero Thessalorum respublica divisa quattuor regionibus, quae suas quaeque res interiores separatim habebant, simul tamen vinculo iunctae, quae ad universum populum pertinebant, communiter tractabant; cf. Buttm. d. Aleuadis l. cit. p. 199. — ὑψοῦ φέροντι, prosperam et illustrem reddunt, αὔξοντες, provehendo. Bene dixit cumulate, neque est tautologia. — ἐν δ' ἀγαθοῖσι sqq., penes probos enim et bonos viros sunt paterna praeclara urbium imperia. Videntur pleraeque urbes Pelasgiotidis Aleuadis paruisse inde ab Aleua, auctore gentis. Ad loquutionem cf. Pyth. VIII, 76. Et de schemate Pindarico ad Ol. X, 6.

Carmen Pythium undecimum.

INTRODUCTIO.

Thrasydaeus Thebanus puer, ex antiqua Cadmeorum gente ut videtur oriundus, Pythia stadio vicit Pythiad. 28. Ol. 75, 3; idem post hoc carmen Pyth. 33. inter viros victor renuntiatus est. Ante eum pater quoque vicerat Pythia, et prius alius ex hac domo curulem victoriam Olympicam tulerat, ut nunc tres essent victoriae. Carmen cantatum in pompa ducta ad templum Apollinis Ismenii, cui victor gratias acturus erat ob concessum decus: de quibus omnibus dixit Boeckhius. Argumentum hoc est: In prooemio Cadmi filiae cum Alcmena convocantur, ut in templum Apollinis Ismenii eant ibique Themin et umbilicum terrae victoriae partae causa vespere celebrent. Inde statim ad narrationes mythicas pergit, transitu facto a Cirrhae mentione ad Orestem, canitque, ut hic matris Clytaemnestrae dolis subtractus sit per Arsinoem nutricem, quum Cassandra et Agamemno a regina interficerentur. Quaenam vero, ait, causa fuit huius caedis? Num ob Iphigeniam immolatam, an adulterio cum Aegistho facto inducta Clytaemnestra talia commisit? Nam illud quidem maximum flagitium est uxorum iuvenilium, nec tegi potest, divulgantibus vulgi sermonibus. Occisus igitur est Agamemno cum Cassandra, redux a deleta propter Helenam Troia, Orestes vero ad Strophium delatus, unde postea reversus trucidavit matrem et Aegisthum. His sic expositis poeta revocat se a fabulis, quasi a recta via aberraverit, reditque ad rem praesentem. Memorat nunc primum victorias domus supra indicatas, deinde sententiis pluribus mediocritatem vitae laudat, et tyrannidem contemnit; communes laudes sectandas, modica tutiora et stabiliora esse. Talium decorum qui fastigium consequutus superbiam fugerit, hunc etiam mori pulcrius, et optimum bonorum generi suo relinquere famam, quemadmodum Iolaus et Tyndaridae canantur a posteris. — Quaeritur nunc de vera ratione horum dictorum. Quodsi Pindaricorum carminum analo-

giam sequimur ducem, simplicissima carminis explicatio fuerit haec: Laudatur virtus et gloria gymnica domus victricis, dissuadetur affectatio tyrannidis; quemadmodum in aliis carminibus cum laude ludicra coniungitur sapientiae, modestiae et moderationis commendatio pro ratione temporum et hominum, qui canuntur. Et nunc quidem quod poeta pro generali σοφίας commendatione et dissuasione ὕβρεως speciatim a tyrannide dehortatur, ex historia illius temporis explicari debere videtur. Constat enim Persici belli tempore tyrannidem quandam Thebis fuisse, Attagino et Temegenida, Persarum amicis, tyrannorum modo Thebas regentibus, quorum dominatio eversa est post pugnam Plataeensem exercitu Graecorum victore ad Thebas accedente et τοὺς μηδίζοντας expostulante, proximo ante hoc carmen anno. Quare poeta feliciter restituto aequo iure civitatis, prima oblata occasione utitur, credo, de tyrannidis infausta ratione dicendi, idque facit optime, ut mihi videtur, ostendens per caedes Cassandrae, Agamemnonis, Clytaemnestrae, Aegisthi, et adulteria ante commissa minime optabilem esse potentium sortem, scelera ex sceleribus oriri in domibus dominatricibus, extra vero invidiam et maledicentiam grassari civium calumniantium. Etsi vero etiam ceteris civibus haec scripta sunt, si qui tyrannidem ament, primum tamen ad victricem domum verba pertinent et ad puerum victorem, natum ex opulenta et nobili familia, quam probabile est paucorum dominationi magis quam aequo iuri favisse. — Proposita explicatio carminis, ex parte iam Gedickio inventa, non plane eadem est, quam Boeckhius dedit. Cogitat quidem etiam hic, ut facile exspectes, de historia istius temporis, quam explicat docte; idem tamen cetera sic sibi fingit: Perierit unus ex Thrasydaei necessariis, non tamen pater, sed alius quidam, isque iustus vir, collat. v. 56 sqq. Fuerit is homo potens, interemptus sit in turbis, quae ante pugnam Plataeensem Thebis fuerunt, per propinquum vel affinem haud minus potentem, ut Agamemno per Clytaemnestram et Aegisthum, excesserit illius familia ex urbe, fortasse in Phocidem; mox ubi Graeci Pausania duce Thebas in deditionem acceperant, Thrasydaei familia aliqua ratione ulta eos sit, qui propinquo necem attulerint, opitulante forsitan Lacone Pausania. Ita quidem Agamemnone significaretur is, qui ex Thra-

sydaei familia scelere circumventus esset, Oreste illi, qui facinus ulti essent, Aegistho, in cuius nece episodium desinit, iste, qui Thrasydaei necessario exsilium molitus esset; tyrannidis autem reprehensio eo commodissime referretur, ut poeta nimiam potentiam, quae utrique parti perniciosa fuerit, non appetendam esse doceat, et sibi aequum ius, quod post paucorum deditionem abolita paucorum dominatione institutum est, maxime probari declaret. Ita Boeckhius. Ego, quanquam non nego in turbis, quae ante pugnam Plataeensem Thebis fuerunt, fortasse etiam caedes factas, quibus commotus poeta ad tyrannidis sortem depingendam caedes in Agamemnonis domo narrare constitueret, non tamen singula ita premenda iudico, ut similia quaedam Thebis evenisse censeam; sufficit hic, me iudice, sententia, quae fabulae subest, forma rerum ut similis sit, non opus. Dubito igitur unum ex Thrasydaei necessariis interemptum, propositasque caedes cum adulteriis eo tantum refero, ut dissuadeatur superbia et tyrannis; in quo quum propiorem fabulam satis gravem non nosset, ut solet ubique quantum fieri potest eligere quod propius tangat, pulcre victoria in Crissaeo campo parta utitur, ut sic ad Orestis iisdem in locis olim viventis ceteraeque familiae Agamemnoniae tristem fortunam veniat, veluti Ol. I. locus Olympici certaminis Pelopis fabulam offert. Quare etiam sic delectus fabulae convenit cum aliorum carminum usu. Adde quae in Commentario suis locis annotavimus.

EXPLICATIO.

V. 1 — 16. **Principium.** Convocantur heroinae Thebanae in templum Apollinis Ismenii, ut celebrent umbilicum terrae, qui victoriam Thrasydaeo concessit. — De templo Apollinis Ismenii Thebano ante portas Electrides dixit Boeckhius h. l. et Müllerus Dor. I. p. 235. In eo tripodes plurimi aurei fuerunt, quos eo mittebant *οἱ Θηβαγενεῖς*, h. e. gentes Cadmeae Thebis superstites; immigrantibus enim Boeotis prisci *Καδμειῶνες* partim excesserant in alias terras, partim remanserant, cf. Müller. Orchom. p. 397. Consecrabantur hi tripodes oraculorum deo; fuit enim in templo clarum oracu-

lum, ubi deus δι' ἐμπύρων consulebatur, unde hic Pindarus ἀλαθέα μαντίων θῶκον dixit. Μάντεις sunt prophetae templi. Ac nunc quidem Thrasidaeus pompam eo ducebat, gratias acturus deo ob victoriam; quum enim etiam alia templa Apollinis Thebis essent, nominatim Polii et Boëdromii, Ismenium tamen erat celeberrimum, et in Pythia victoria prae reliquis adeundum. Fortasse vero etiam Θηβαγενής erat Thrasydaeus, quod Boeckhio quoque in mentem venit, quanquam nihil decernit. Probabile tamen videtur etiam ob Cadmi filias convocatas. Videntur Cadmi filiae cum Alcmena Boeckhio statis diebus vocatae esse ad lectisternium in illud templum, quum eas etiam alias huc vocari e poetae verbis appareat; quod autem nunc quoque ad hanc gratiarum actionem vocantur, optime sic expedias, quod gentis Cadmeae priscae heroinae maxime laetari debent victoria, quam Θηβαγενής reportavit. — V. 1. Ὀλυμπιάδων ἀγυιᾶτις, Olympiarum dearum socia. Neque enim huc advocabis, quod Sophocles θεοὶ Ὀλυμπιάδες dixit Ai. 882., de quo genere ibi vide Hermannum. — μέν sequente τέ, noto usu. — ἀγυιᾶτις, vicina, in eodem vico, eadem urbe habitans. Ceterum de Semela inter deos versante cf. ad Ol. II, 25. — V. 2. ὁμοθάλαμε, cum dicatur θάλαμος Ἀμφιτρύτας, ut Soph. Oed. R. 195. — V. 4. Μελία, quae Ismenium et Tenerum Apollini peperit (Pausan. IX, 10, 5.), una culta est in hoc templo; ad hanc convenire debent ceterae heroinae, ut cum ea canant Delphos. — ἄδυτον adiectivum est. — Mox Ἰσμήνιον non dubito Pindarum hic ab ἴσημι derivasse, quo posito clarior haec sententia exsistit: Et scientiae locum appellavit, ubi esse vellet veracem vatum sedem. Vides iam etiam Loxiae cognomen non temere electum, et quum in tali loco par sit tripodes consecrari, nunc etiam huius rei ratio redditur, omnibus sic suaviter ex uno Ismenii nomine nexis. Agnosces vel in minimis elegans iudicium poetae, in descriptione loci non temere cumulantis varia, nullo interiore vinculo iuncta, sed etiam haec ad unitatem vere poeticam revocantis. Quare non rideo etymologiam, sed laudo poesin. Ceterum fortasse Thrasydaeus ante certamen tripodem miserat in Ismenium et felix oraculum tulerat consulto deo, quo posito etiam suavior locus. — V. 7. ἐπίνομον Heynius non recte explicat σύννομον,

una habitantem, neque enim σύνναοι fuerunt heroinae quae vocantur in templum, non degunt ibi. Ego vicinum interpretor et prope habitantem, h. e. eiusdem urbis et loci. Gurlittus dixerat ἐπιχώριον. Contra Boeckhius ad Meliam retrahit vocem, Meliae ceteras heroinas ἐπινόμους, συννόμους, paris iuris dicens. — καί νυν, h. e. quum honoret et diligat hunc locum Apollo eximie, etiam nunc, ut aliis diebus, vicinam heroinarum cohortem vocat, ut praesentia sua ornare velint templum et sollemnitatem templi hodiernam. Vides ad καλεῖ me supplere Ἀπόλλων, propter sententiae rationem et verborum ordinem; Boeckhius Meliam supplet, quod mihi longius petitum videtur. Notabis vero pulcre circumductae orationis formam, cuius haec lex est, ut posita in principio sententia redeat amplior in fine, interposita alia illustrationi inserviente; quemadmodum nunc post vocatas in Ismenium heroinas dicitur de Apolline Ismenium maximopere colente, ut post hanc explicationem denuo repetatur vocatio et absolvatur. Grandiora exempla habentur Pind. Ol. IV. et VIII init. Est vero etiam apud alios hoc dicendi genus frequens, ut apud Platonem. Vide v. c. Theaetet. p. 144., a. — V. 9. ὄφρα κελαδήσετε. Post pompam praesentemque cantum aliud carmen in templo canendum erat, ut monet Boeckhius, atque huic sollemnitati interesse vult heroinas. Ceterum κελαδήσετε futurum est, non coniunctivus correptus. Cf. de hac construct. Herm. ad Vig. p. 927. — ἄκρᾳ σὺν ἑσπέρᾳ, vesperae tenebris obortis. Sic ἄκρας νυκτός Soph. Ai. 285. est post vesperam orta nocte, περὶ πρῶτον ὕπνον. — Denique Θέμιν ἱεράν et ὀρθοδίκαν γᾶς ὀμφαλόν memorat, ut nonnisi iustas et meritas victorias ibi dari significet, quemadmodum nunc etiam Thrasydaeo. Ceterum de Themide Delphis culta nota omnia, cf. Aesch. Eumen. init. Müller. Dor. I. p. 338. — V. 12. χάριν, appositio ad κελαδήσετε, cf. exempla Matth. Gr. p. 803. — ἀγῶνι Κίῤῥας, Pythiis ad Cirrham actis s. in campo Crissaeo, ubi et hippodromus et stadium fuit, cf. ad Pyth. VIII, 19. Nunc ita designat certamen, ut transitus fiat ad sequentem fabulam. — ἔμνασεν, nove dictum pr. in memoriam hominum revocavit, illustravit. Neque enim alius sensus et alia constructio hic apta. — πατρῴαν ἑστίαν, quum puer Thrasydaeus adhuc in patris domo esset. — τρίτον

ἐπὶ στέφανον βαλών, tertia corona iniecta, metaphorice pr. ornans tertia victoria, ut Ἱέρων Ὀρτυγίαν ἀνέδησεν στεφάνοις Pyth. II, 6., nunc autem colore ducto, ut notat Tafelius, a φυλλοβολίᾳ, de qua vide ad Pyth. IX fin. — νικῶν, victor, νικητήρ, ut tot locis. Qui νικᾶν scribunt, ut iungatur ἔμνασεν ἑστίαν νικᾶν, h. e. admonuit focum victoriarum in campis Pyladis, non reputarunt unam tantummodo victoriam ante Thrasydaeum in his campis partam familiae, alteram fuisse Olympicam, ut notat Boeckhius. — ἀρούραισι Πυλάδα, qui filius Strophii, nepos Crissi. Fuit autem prisco tempore Crissa caput regionis, unde apud Hom. Hymn. in Apoll. v. 269. Herm. Pythium templum conditur ἐν Κρίσσῃ ὑπὸ πτυχὶ Παρνησσοῖο, h. e. in ditione Crissaea sub Parnasso. Recte igitur Pindarus Crissaeorum tum regum dicit vallem, ubi ludi. — Λάκωνος, h. e. Amyclaei, cf. v. 32.

V. 17 — 37. De flagitiis et sceleribus in Agamemnonis domo. — Ἀρσινόα. Nutricem Pherecydes in Scholiis Λαοδάμειαν vocaverat. Porro Mingarellus et Tafelius iungunt φονευομένου πατρὸς Κλυταιμνήστρας χειρῶν ὑπὸ κρατερᾶν, incommode interposito nomine Arsinoes, nec postulante participio haec nunc ornamenta. Boeckhius iungit: ἐκ δόλου ὑπὸ χειρῶν, e dolo a manibus parato, durius. Ego una constructione utrumque nervosius cum ἄνελε iungens vertam: Quem quum trucidaretur pater, Arsinoe Clytaemnestrae a manibus violentis e dolo eripuit luctuoso (unter Klytämnestra's gewaltthätigen Händen hinweg aus mörderischer Hinterlist zog), quae optime dicta sunt pro: ne Clytaemnestra manibus violentis clam, dolose eum interficeret. Quare non explicamus: ὑπό χειρῶν καὶ ἐκ δόλου, ut fecit male Gurlittus. Ceterum ὑπό est ὑπ᾽ ἐκ, et contulit Heynius Ol. VI, 43. — Δαρδανίδα, accusativus est. — εὔσκιον, ubi ἄλσεα Περσεφονείας. — V. 23. σφαχθεῖσα, neque enim aliter sciebat Clytaemnestra. Immo ipsa Iphigenia ap. Eurip. Iphig. Taur. v. 8, 27, ita de se loquitur; passa enim erat immolationis ritus et si non plane occisa, certe in ipsa immolatione ablata, ut praesentibus omnibus periisse videretur. Confer praeter Boeckhium etiam Welckerum in libro de Aesch. Trilog. p. 410. Porro Ἰφιγένεια σφαχθεῖσα ἔκνισεν pr. σφαγὴ Ἰφιγενείας ἔκνισεν dictum frequenti poetarum usu, cf. Horat. Od. I, 1, 5. 13, 19. II, 4, 10. — ὄρ-

σαι χόλον, ut Eurip. Med. 99. κινεῖ χόλον de Medea irascente — βαρυπάλαμον, gravi manu saevientem. — V. 24 sqq. An alieno toro domitam (Aegisthi) nocturni seduxerunt amplexus. — τὸ δὲ νέαις ἀλόχοις sqq. Hoc autem iuvenilibus uxoribus maximum flagitium est, in quod incidant, neque occultari potest alienis linguis. — V. 29. οὐ μείονα, non minorem quam ipse est. — V. 30. Hermannus sic intelligit: ex plebe homines si feroces sint et improbi, scelera eorum facilius latere atque ignorari quam nobilium. βρέμειν, ferocem esse, occurrere in Εἰρεσιώνῃ Homerica (v. 2). At enim talis hic sententia plane inutilis, immo inepta est, quasi hoc modo auream mediocritatem poeta commendare debeat Thrasydaeo; quod etsi noluit Hermannus, tamen sequitur. Quare explicabis potius ita: Habet enim per se opulentia non minorem invidiam, humilis autem in occulto calumniatur, ut etiam propterea occurrere maledicentiae nequeas; quemadmodum Heynius et Boeckhius ceperunt. — χαμηλὰ πνέων, humilia spirans s. humili loco vivens, ut bene monet Gurlittus, simul cum contemtu dictum est de sordidis moribus istorum hominum. Quare etiam sic his verbis nullo modo inesse potest commendatio mediocris vitae. — ἄφαντον βρέμει, occulta fremit, maledicit; cave enim Tafelio credas βρέμειν esse simpliciter loqui, fortiori voce temere posita pro leniori. — De particulis τέ — δέ cf. laudata ad Ol. VIII, 58. Duplex igitur proponitur incommodum, primum quod per se opulentia invidiae magnae obnoxia; alterum quod quum vel aperte vel tecte calumniari quis possit, vulgus pro humili ingenio suo occulte fremit. Neque offendet te quod κακολόγοι δὲ πολῖται praecessit; consulto enim redit ad hanc sententiam, potentes invisos esse multitudini, nec defendere se posse ab eius maledicentia. — V. 31 sqq. Sic mortuus est Agamemno et una traxit in perniciem Cassandram. — μὲν — δέ, ut supra in principio. — χρόνῳ, post longam absentiam. — ἐν Ἀμύκλαις, quae urbs fuit priscum caput regni Pelopidarum in istis regionibus, servabatque etiam postea monumenta Cassandrae et Agamemnonis, qui ex domestica traditione loci, etiam a Stesichoro et Simonide suscepta, ibi regnaverat. Cf. Boeckh. Nott. critt. et Müller. Orchom. p. 319. et Hist. Dor. I. p. 92. — V. 33. ἐπεὶ ἀμφ' Ἑλένᾳ sqq.

Postquam propter Helenam exustorum Troianorum everterat domos opulentas. Etiam hoc, propter Helenam vastatam Troiam, non sine reprehensione Agamemnonis dicitur. — *πυρωθέντων*, communi incendio urbis crematorum cum tectis. — *δόμους ἁβρότατος*, h. e. *πολυχρύσους δόμους Φρυγῶν*, ut dicit Eurip. Hel. 934. Sic est *στολὰς τρυφᾶς* pr. *τρυφερά* Eurip. Phoeniss. 1498. et *ὁ τᾶς ἡσυχίας βίοτος* Bacch. 388. *λευκῆς χιόνος πτέρυξ* Soph. Antig. 114. Al. Constat vero divitias luxumque Asiae minoris ex posteriore tempore etiam in hanc aetatem transferri. Strabo XIV. p. 680. Priamum ditissimis antiquitatis regibus annumerat. — *ἔλυσε*, evertit, usu Homerico, cf. Il. II, 117. XVI, 100. Non iunxi autem *ἔλυσεν ἁβρότατος*, quum *λύειν τινά τινος* sit liberare ab aliqua molestia. — V. 35. *νέα κεφαλά*, tenera aetate. Optime vero nunc legitur nominativus pro *νέᾳ κεφαλᾷ*, auctore Heynio. — *χρονίῳ σὺν Ἄρει*, sera caede. Ad *Ἄρει*, confert Boeckhius Soph. Electr. 1419. — *θῆκεν ἐν φοναῖς*, stravit cruenta occisione. Soph. Antig. 696. *ἐν φοναῖς πεπτῶτα*. Boeckhius, quum grammatici *φονάς* de loco caedis explicent (cf. Scholia hic et Hom. Il. 10, 521.), intelligit locum, ubi Agamemno occisus erat, ut apud Sophocl. Electr. 1411 sqq. Aegisthus eodem loco occiditur, ubi Agamemno perierat. Verum sic Pindarus iusto brevius dixerit, ut mihi quidem videtur. Ceterum suaviter oratio in fine ad Orestem revertitur, a quo orsa erat, quasi de hoc potissimum dicendum fuerit, ceteris per rerum nexum allatis. Cave vero hac narrationis forma abduci te patiaris a vera eius sententia. Iam enim explicitis singulis addenda nonnulla de universo loco. Diximus in Introductione depingi hac mythica narratione pericula et infaustam fortunam potentium, ut dissuadeatur tyrannidis affectatio et commendetur secura privatorum hominum vita, quum paullo ante hoc carmen ipsae Thebae cum damno suo expertae essent *ὅπερ ἐγγυτάτω τυράννου, δυναστείαν ὀλίγων ἀνδρῶν*, quam appellat Thucydides III, 62. Vide plura de his temporibus apud Boeckhium Explicatt. p. 340. Igitur de universo consilio fabulae nihil addo; at de forma et tractatione rei monendum. Quum enim non uno modo dissuaderi possit potentiae affectatio, nunc poeta de adulterio Clytaemnestrae dicit, quo mota mulier interfecerit maritum Agamemnonem; hic vero

antea ob Helenam adulteram vastaverat Troiam et secum adducebat bello partam nobilissimam vatem Cassandram concubinam, quam sic una in perniciem traxit. Vides ex his id maxime agere poetam, ut coniugia potentium infausta caedesque inde ortas proponat; atque etiam quod de invidia multitudinis intexit principum facta maledicis sermonibus ferentis, commode cum illis rebus nexum est. Quorsum igitur haec omnia sic posuit? Nempe politica consilia si pueris proponenda sunt, quum ampliora aliena sint ab hac aetate, ita tractari debent, ut ipsorum ingenio conveniant, quod optime sensit Pindarus. Quomodo autem aptius deterreas a tyrannide pueri animos aetate florentis, constituti in ipso limine amoris, quam amoribus principum pravis et adulteriis narratis, quae in ipsis penetralibus potentium domorum exsistunt et universas familias, immo populos perdunt? Ac dicit Pindarus etiam alias passim in carminibus, quae pueris scripsit, de amoribus, ut Pyth. X, 59. Nem. VIII init., faustos amores optans et augurans, aut Nem. X. pudicitiae iuvenilis praemia ostendens, quare etiam cum usu Pindari explicatio nostra convenit. Intelligimus vero nunc, cur bis de Cassandra praeclara virgine dicat cum Agamemnone occisa, cur ab adulterio reginae non ab Iphigeniae immolatione caedem Agamemnonis repetierit, cur denique etiam Troiae excidium hic quidem improbare debeat, licet fecerit tectius. Reprehendit enim Agamemnonem, quod ob feminam adulteram opulentam urbem vastaverit et ipse adduxerit concubinam vi partam praeclaram Cassandram. Quare non assentior Boeckhio meo cum Agamemnone comparari statuenti unum ex Thrasidaei necessariis. Illud restat quaerendum, cur Amyclis et in Laconica, non Mycenis, Agamemnonis domum significet regnasse; neque enim profecto temere deseruit vulgatiorem fabulam, non ille ut deteriores poetae rariora sectans sine idonea causa. Hoc igitur cur fecerit, probabiliter expeditum vide infra in fine carminis.

V. 38 — fin. *Revocat se a fabulis, laudat victorias domus victricis, et commendat mediocrem fortunam spreta potentium sorte.* — V. 38 — 40. „Aut, amici, in trivio circumactus, vagatus sum, recta via ante incedens, aut me ventus aliquis cursu eiecit, ut navigium marinum.“ Post res tam tristes et iniucundas in ἐπινικίῳ narratas suaviter fingit

invitum se aberrasse, quae formula non fallebat istis temporibus quemquam, placebat vero excusatio. — *ἀμευσίπορον* est trivium vias mutans, s. ubi viae se secant et mutantur, *ἀμείβονται*, ut facile aberres. Ceterum vide annotat. criticam. — *ὀρθὰν κέλευθον* ibat a v. 1 — 16. — Ad *ἔξω πλόον* confertur *ἔξω δρόμου*, vid. Blomfld. ad Aesch. Choeph. 507. — *ὡς ὅτε*, cf. Ol. VI, 2. — V. 41 sqq. „Musa, tuum est, si pretio pacta es praebituram te vocem argento conductam, alias ad alia eam transferre vel patri Pythiis victori nunc quidem vel Thrasydaeo.“ Non turpe visum lyricis eo tempore pretium sumere constat; cf. Isthm. II, 6 sqq. cum Schol. Hinc etiam Pindarus bis terve eius rei mentionem fecit, idque eo modo, quo solo recte licebat, pacto teneri se dicens, qua re utitur poetice. Atque Isthm. II. dilationem carminis excusat eo, quod alia antea facienda fuerint; hoc autem loco se revocat in viam iucunde dicens: age, Musa, ne obliviscare quod debes; mercede pacta Thrasydaeum et patrem laudare promisisti, mitte digressiones. Similiter Nem. IV, 75. mythica abrumpit, quum Theandridarum certamina ex compacto canenda sint. — *ὑπάργυρον*, cui argentum subest causa, quare canat, *ἔμμισθον*. Soph. Antig. 1091, *εἰ κατηργυρωμένος λέγω*. Aliter Pindarus dixit idem Isthm. II. Ceterum accusativos iunge cum *παρέχειν* et supple ad *ταράσσειν*, ut vertit etiam Boeckhius, licet interpunxerit aliter post *παρέχειν*. Hoc autem verbum ne temere pro leniori *κινεῖν* positum credas, qualem doctrinam in classicos inferre noli, est: naviter, fortiter movere alias aliter, s. nunc huc nunc illuc, nec diutius consistere in una re. Ceterum cf. *ὄρσαι θοὰν γλῶσσαν* Nem. VII, 71. — *τό γέ νυν* ad *ταρασσέμεν* refer. — *ἐπιφλέγει*, ardet, splendet. — V. 46. *τὰ μέν* respondent particulae *τέ* v. 49. — *ἐν ἅρμασι καλλίνικοι*, ut Pyth. II, 5., *ἐν ᾇ* (*τετραορίᾳ*) *κρατέων*. — *Ὀλυμπίαν θοὰν ἀκτῖνα*, partim in curribus victores olim Olympicam rapidam (rapide per Graeciam se divulgantem) gloriam certaminum illustrium consequuti sunt. Boeckhius: gloriam currus velocitate celeriter paratam. Ceterum ad *ἀκτῖνα* cf. Isthm. III, 60. — *σὺν ἵπποις* post *ἐν ἅρμασι* additur in fine consulto propter vim oppositionis, quum statim pedum certamen memorandum sit. — *γυμνὸν στάδιον* vulgo opponitur *ὁπλίτῃ δρόμῳ*, ut Isthm. I, 23. Res nota. Nunc etiam curuli certamini

oppositum est, ubi non certabatur nude. — *καταβάντες*, ut in vallem. — *Ἑλλανίδα στρατιάν*, cursores certantes; consulto magnificentius dictum. Similiter Nem. X, 25. *Ἕλλανα στρατόν*. Add. Nem. III, 17. *παγκρατίου στόλῳ*. Exin quae poeta de se dicit generatim accipe; continent explicationem fabulae superioris et victori dicta sunt. — *θεόθεν ἐραίμαν καλῶν*, divinitus data amem decora, non quae improbantibus diis appetuntur, ut tyrannis. — *δυνατά*, possibilia, non immodica affectans, *ἐν ἁλικίᾳ*, dum vires florent, ut cepit etiam Boeckhius. Alii *ἐν ἁλικίᾳ* vertunt: pro aetate, puerili, iuvenili, virili, senili. — V. 52. Quum enim eorum commodorum, quae in civitate sunt, mediocria diuturniore flore vigere videam, improbo et aspernor sortem tyrannidis. — *τὰ μέσα*, mediocrem conditionem, *μεσότητα*. Cf. Horat. Od. II, 10., carmen notissimum, ibique laudata a Mitscherl. — V. 55. Communibus vero laudibus operam do. — *τέταμαι*, intentus sum, contendo, cf. Isthm. I, 49. — Et *ἀμφ᾽ ἀρεταῖς*, ut Ol. V, 15., *ἀμφ᾽ ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται*. Sunt enim *ξυναὶ ἀρεταί* communes laudes unicuique patentes. — Mox Boeckhius verba: *φθονεροὶ δ᾽ ἀμύνονται ἄτᾳ*, explicat: Invidi suo damno arcentur, propulsantur, nonnisi sibi nocent; addit tamen sibi haec non satisfacere. Contra Hermanni emendatio significat: Quo invidi avertuntur, s. invidi autem avertuntur sic, hoc modo, quam etiam Boeckhius dicit se probaturum fuisse, si modo illud Quo, hoc modo, in Graecis inesset. Sed haec omissio in hoc nexu obscura non videtur et lyricae orationi conveniens. Denique inventum ab Hermanno *τᾶν* etiam Boeckhio valde placet. — Vertit autem haec: *τᾶν εἴ τις ἄκρον ἑλὼν* sqq. Hermannus ita: „Quarum (laudum, *ἀρετᾶν*) si quis fastigium adeptus modesteque eo usus, gravem insolentiam effugit, is vero pulcriorum denique atram consequitur mortem, dulci generi laudis gratiam, praestantissimum bonorum relinquens.“ — Ad *τᾶν ἄκρον* cf. Nem. VI, 24. Intellige enim prae ceteris rebus victorias ludicras. — *ἀσυχᾷ νεμόμενος*, tranquille, modeste vivens. — *μέλανα δέ*, cum vi posito *δέ* in apodosi. Varia exempla vid. in Matth. Gr. p. 1246. Thiersch. Gr. ed. tert p. 599 sqq. Hermann. Vig. p. 785, 845. Buttmann. ad Demosthen. Orat. in Mid. Excurs. XII. — *εὐώνυμον χάριν*,

honestam laudem, non κλέος τὸ δύςφαμον παισὶ προςάπτων, ut dicit Nem. VIII, 37. — Denique ad constructionem: κρατίσταν κτεάνων, cf. Matth. Gr. p. 856. Totam autem loci sententiam quod attinet, ea facile se offerebat infaustos exitus multorum tyrannorum insolentium cogitanti, ut nuperrime Thebanorum Attagini et Temegenidae a Pausania rege necatorum (Herod. IX, 86 sqq.), ne afferam supra narratas caedes Agamemnoniae domus. Quare non opus videtur, ut statuamus unum ex Thrasydaei necessariis, honestum virum, in turbis civilibus periisse, qui Pindaro in causa fuerit horum dictorum. Thrasydaeum monet quid modestia ferat, quid exspectare debeat contrario modo. — V. 60. διαφέρει, divulgat, celebrem reddit. — V. 62. quum vocativo variare vellet orationem, ut amant poetae, recte Polynicem nobiliorem ex ambobus vocativo distinxit, cf. dicta ad Pyth. IV, 89. Fabulam Dioscurorum vid. Nem. X. Ibidem v. 56. de Therapna, sede et sepulcro eorum. — παρ᾽ ἆμαρ, alternis diebus, cf. Lobeck. ad Sophocl. Ai. 294. Postremo de universo loco dicendum. Post ὕβριος scelera supra narrata nunc, ut par erat et more suo (cf. Pyth. II, 15, 73.) contraria παραδείγματα Thrasydaeo proponit, heroes ludicra laude claros et a superbia et violentia intactos dum vivebant, Iolaum domesticum et huic amicos nobiles Castores. Exsistit autem hoc modo perpulcra oppositio infaustae Agamemnoniae domus, ubi uxor maritum, filius matrem trucidat, et vicinis in locis degentium Castorum, qui amoris mutui exemplum summum, inseparabiles alternis diebus nunc Therapnae nunc habitant in Olympo; atque huius ipsius oppositionis causa Amyclas supra non Mycenas praetulit poeta fuisse Agamemnonis sedem. Sic etiam haec quaestio nunc probabiliter expedita videtur.

Carmen Pythium duodecimum.

INTRODUCTIO.

Midas Agrigentinus tibicen victor fuit in Pythiis Pythiad. 24 et 25, itemque in Panathenaeis secundum Scholia; hoc carmen igitur Ol. 71, 3. vel 72, 3. scriptum, nec constat prima an secunda victoria canatur. Certabant autem ea aetate tibiis assis, *ψιλῇ αὐλήσει*, quum *αὐλῳδία* secunda Pythiade iterum abolita esset. Ac Midae in certamine acciderat, ut *γλωσσίς* tibiae rumperetur, quo tamen inopinato casu ille non territus cantum continuavit sine ea, magna cum voluptate audientium, et vicit. Nunc sollemniter Agrigentum redit, atque in hoc introitu canitur carmen. In principio igitur poeta deam urbis alloquitur, ut benevole recipiat coronam civemque, qui vicerit Graeciae conventum arte a Minerva inventa, quum Gorgonum planctum imitaretur, auditum Perseo Medusam occidente. Occaecavit enim, pergit, hic heros sorores et abscidit Medusae caput, attulitque perniciem Seripho insulae cum civibus ipsique regi Polydectae, qui negotium dederat, et liberavit matrem in servitute detentam. Post haec igitur Minerva invenit hunc cantum tibiarum, imitata Gorgonum planctum, deditque hominibus, denominans eum capitum multorum nomum, qui nunc auditur in certaminibus, cantatus Cephisio calamo. In fine denique subiiciuntur sententiae de vi divina fatique et humanarum rerum imbecillitate. Haec ratio carminis simplicissima, praeclare explicante Boeckhio, inde pendet, quod Midas celeberrimo nomo Polycephalo, qui dicebatur, certaverat: quare huius nomi divina origo canitur atque ita ornatur victoria viri et urbs victoris patria. Exitus autem Midam post victoriam in casu incommodo nihilominus partam hortatur ad modestiam.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Principium. — Invocatur Agrigentum commixtis, ut fit, heroinae urbisque attributis. — φιλάγλαε, splendoris elegantiaeque amica, et urbium pulcherrima dicitur, quum iam tum splendide instructa esset vel ante Theronis regnum; sub hoc enim inde ab Ol. 75, 1. ex Punica praeda ornata est. Vide de his Boeckhium. — V. 2. Φερσεφόνας ἕδος, sacra enim erat Proserpinae, cui a Iove donata erat εἰς τὰ ἀνακαλυπτήρια, cf. Boeckh. ad Ol. II. p. 123. Cultus Thebis traductus videtur per Emmenidas, cf. Müller. Orchom. p. 217. Hist. Dor. I. p. 401. — ἅ τ' ὄχθαις sqq. Quaeque ad ripas pecorosi Acragantis habitas bene aedificatum collem. Erat enim in colle ad fluvium sita, unde ὑψηλά Fragm. Encom. nr. 2. Vid. praeter Boeckhium etiam Iacobs. ad Anthol. Lips. T. VI. p. 317. Sturz. ad Empedocl. p. 646. — εὔδματον, nunc pr. tectum aedificiis pulcris. — ναίεις de heroina, licet praecesserit καλλίστα πολίων. Miscentur enim, etiam Boeckhio monente, per totum locum urbis et heroinae notiones, more Pindarico, velut Pyth. IX, 55 εὐρυλείμων Λιβύα δέξεται νύμφαν δώμασιν ἐν χρυσέοις πρόφρων. Quare aberrat Hermannus cum Eichstaedtio primos tres versus de urbe, reliquos de nympha accipiens, haec autem ἅ τε κολώναν ad Proserpinam referens. — ὦ ἄνα pr. ἄνασσα, cf. Hermann. ap. Heynium et Boeckh. Nott. critt. — V. 4. ἀθανάτων ἀνδρῶν τε σὺν εὐμενίᾳ, h. e. prosequente deorum hominumque favore hanc coronam virumque. Favoris divini documentum omnis quidem victoria, Midas autem vel inprimis benevolos expertus erat deos, qui, rupta licet γλωσσίδι tibiae, nihilominus vicisset. Pertinet eodem hominum favor. Narrat Scholiastes Midam, quum fracta esset γλωσσίς, μόνοις τοῖς καλάμοις τρόπῳ σύριγγος αὐλῆσαι, τοὺς δὲ ἀκροατὰς ἡσθέντας καὶ ξενισθέντας τῷ ἤχῳ τερφθῆναι, καὶ οὕτω νικῆσαι αὐτόν. Placuerat igitur nova res auditoribus et excitaverant applausu suo certantem, qui sic vicerat. — V. 5. δέξαι Μίδᾳ, cf. ad Pyth. IV. 23. — Ἑλλάδα, aemulos certantes. Graeciam vel Graeciae conventum, ait Boeckhius, vicisse dicitur qui principes

Graeciae artifices in certamen prodeuntes vicit. cf. Pyth. XI, 50. — θρασειᾶν, ut erant intrepidae, audaces, perniciosae omnibus accedentibus. — οὔλιον θρῆνον διαπλέξαισα, lamentabilem planctum pertexens, imitando reddens. Verbum non uno modo dicitur; vulgo ῥήματα, λόγους πλέκειν est omnino callide aut artificiose nectere, aliud tamen ῥήματα πλέκων Nem. IV., quod a lucta petitum. Aliud etiam est ὕμνον πλέκων Ol. VI, 86. Nunc διαπλέκειν est omnino componere arte, quod frustra negaveris. Sic de arte poetica ὑφαίνειν μέλος Anthol. Palat. II, 70. ἐξυφαίνειν Pind. Nem. IV, 45. Ac Boeckhius ipsos artificiosos flexus huius nomi respici putat. Ceterum tibia imitatur hunc planctum, quum flebilis sit tibia, ut constat. — V. 9 sq. „Quem audivit fusum propter necem Medusae ex ore sororum superstitum duarum et serpentium in earum capite.“ — ὑπὸ κεφαλαῖς, quum quasi sub capitibus hisce numerosis volveretur densus multiplicis lamentationis clamor indeque feriret aures. In quo praeparat explicationem nominis nomi, qui Polycephalus dicebatur. — λειβόμενον, ut ἔχεαν θρῆνον Isthm. VII, 58., sed fortius. — δυςπενθέϊ σὺν καμάτῳ, luctuosa in aerumna, in luctu ob tertiam partem sororum ablatam, ut bene dicit. — V. 11. ἄνυσσεν, occidit, Homerus ἐξανύω Il. XI, 365; XX, 452. — De Perseo et Gorgonibus, de Polydecta Seriphi rege, qui Perseo callide hoc negotium dederat matrem Danaen amans, vid. Pherecyd. Fragment. ed. Sturz alt. p. 90 sqq., Apollod. II, 4., cum Heynii Observatt., et Welckerum meum in libr. de Aeschyl. Trilog. p. 378 sqq. — Σερίφῳ, quae saxum factum. — λαοῖσι, ut Pyth. X, 47., quum ex prisco iure peccante rege una plectatur populus, bene monente Welckero l. cit. p. 384. Ceterum λαοῖσι contractum hic audacius in duas syllabas, quod explicat Boeckhius de Crisi Pindar. §. 32., recte tenens lectionem codicum contra Hermannum, qui ταῖσι, Gorgonibus, aut τοῖσι, Seriphiis, proponit iniucunde.

V. 13 — 27. De Perseo narrare pergit, tum redit ad cantum a Minerva compositum. — Φόρκοιο γένος, cf. Welcker libr. laud. p. 383. — μαύρωσεν, obcaecavit, ablato uno communi oculo, quo alternatim utebantur, cf. Apollod. l. cit. De formis μαυροῦν et ἀμαυροῦν vid. Boeckh. Nott.

critt. (collat. similibus ap. Reisig. ad Soph. Oed. Col. 1508.) et de significatione verbi et adiectivi ἀμαυρός pr. caecus, obcaecare cf. Acta phil. Monac. T. I. p. 60., et T. I., fasc. IV. p. 569. Neque enim hic verti potest: perdidit, occidit Phorci filiam Medusam, quum de hac statim dicatur iterum. — V. 14. λυγρὸν ἔρανον Πολυδέκτᾳ θῆκε, funestas reddidit symbolas Polydectae, quibus hic eum perdere voluerat. Polydectes enim amans Danaen simulaverat se Hippodamiae (Ol. I.) nuptias cupere et convocaverat principes regni ad convivium, ut munera collatitia, ἔρανον, ab iis posceret, unde ἕδνα conficeret (ἔρανον συνάγειν ἐπί τι). Tum Perseus iuraverat se haud abnuere munera, etiamsi Gorgonis caput afferendum esset, quod dictum cupide Polydectes accipiens, hoc ei negotium pro symbolis iniunxerat. Hae igitur symbolae nunc regi verterunt ipsi in perniciem. Cf. laudatum ante Apollodorum et Pherecydem cum explicatione Welckeri in libro de Aeschyl. Trilog. p. 381. — ματρός τ' ἔμπεδον δουλοσύναν, diuturnam servitutem, in qua tenuerat rex Danaen. — τό τ' ἀναγκαῖον λέχος, quod passa erat absente filio defensore. — εὐπαράου, ob pulcritudinem faciei, qua certabat cum Minerva, cf. Schol. v. 24. — ἀπὸ χρυσοῦ, prognatum ex auro, aurea pluvia, ut dicitur γένος, παῖς εἶναι ἀπό τινος, cf. Munck. ad Antonin. Liberal. p. 46. et Verheyk. p. 97. Teuch. — V. 19. Recte interpungunt post ἐῤῥύσατο, quod ne mutandum censeas cum Gurlitto, notabis in principio secundi membri ponendam vocem παρθένος esse propter oppositionem antecedentium. Quum enim ante Persei facta narraverit, nunc ad virginis inventionem Minervae redit. cf. Pyth. IV, 36. — αὐλῶν μέλος, tibiarum cantum multisonum, infra nomum multorum capitum dictum. — πάμφωνον, cf. ad Ol. VII, 12. — V. 21. χριμφθέντα, ut Aesch. Sept. 64. χρίμπτεται βοά, aures percellit, bene comparante Boeckhio. Pertinet eodem καρπαλιμᾶν et ἐρικλάγκταν. Nempe perculsa Minerva vehementi sonorum flebilium ictu decrevit imitari eos, quum autem voce non posset, tibiam invenit, ut σὺν ἔντεσιν imitaretur. Ceterum ἔντεα qualia sint, vides v. 25. Denique de inventione tibiae ipsa vid. Böttiger. in Wieland. Att. Mus. T. I. P. II. Boeckh. h. l. et Müller. Orchom. p. 356., qui non in Libya, sed in Boeotia, ad Tritonem Boeotium et Copaidem

paludem rem factam statuit, probante etiam Boeckhio. — V. 22. *ἀνδράσι θνατοῖς ἔχειν.* Dea ipsa abiecit tibiam, ubi sensit non sine oris deformitate eam inflari. Sed hoc tacet Pindarus, ut par est, neque enim haec laus sit tibiae. Ait simpliciter non sibi invenisse nomum, sed ut caneretur apud homines, unde factum, ut hi nunc habeant. Exin pergit: Postquam autem invenit cantum, ab ipsa re dixit capitum multorum nomum seu Polycephalum. Optime enim suspicatur Boeckhius esse *νόμον αὐλητικὸν εἰς Ἀπόλλωνα, τὸν καλούμενον Πολυκέφαλον*, memoratum Plutarcho de Musica c. 5. Ferebatur hic esse Olympi, Polycephalus dictus ob multa capita partesque, et adhibebatur festis deorum, quare quum Apollineus fuerit, Midas hoc ipso videtur certasse. Videntur autem alii a Minerva primam originem repetiisse, quos sequitur Pindarus recte; ornaturus enim nomum, quo certaverat victor, non potuit ab homine inventum dicere. Quare etiam de hac etymologia iudicandum quod de alia Pyth. XI, 6. Fecit poeta quod poetae erat. — V. 24. Sensus: ornavit eum dea illustri nomine, ut gloriosum certatorem ludorum futurum, qui victorias reportaret in festis hominum conventibus. — *μναστὴρ ἀγώνων*, memor, ut *μνάστειρα Ἀφροδίτας ὀπώρα* Isthm. II, 5.; nunc certator agonum, ut *πολέμου μναστήρ* Nem. I, 16. Ductum a notissimo *μνᾶσθαι θούριδος ἀλκῆς, χάρμης.* Et *λαοσσόοι ἀγῶνες*, qui populum congregant, ad quos spectandos concurrit populus. Apte confert Boeckhius Nem. X, 23. — V. 25. Tenue permeantem aes simul et calamos, suaviter in laude tibiae et musicorum certaminum. Est enim *χαλκός* hoc loco *γλωσσίς* aerea, notantibus interpretibus. Ceterum de tibiis veterum vide Bartolinum. Add. Thierschium in Dissertatione Versioni Pindari praemissa pag. 55. Calami vero prae ceteris apti tibiis fuerunt ii, qui in palude Copaide nascebantur prope Orchomenum; cf. Boeckh. h. l. et Müller Hist. Orchom. p. 73. Ac vide ne etiam Midae victrix tibia talis fuerit. — *καλλίχορος*, etiam aliarum urbium epitheton; nunc autem suaviter vides Gratiarum urbem choris insignem memorari ad praestantiam calamorum istorum illustrandam. — *ναίοισι* per metaphoram, non ut verae personae. — *Καφισίς* est palus Copais, cf. Boeckh., nunc nympha paludis, unde *τέμενος.* — *πιστοὶ χορευτᾶν μάρτυρες*, testes et probato-

res chori, quibus fidem habere possis. Nam χορὸς ἐπ' αὔλῶν χορεύει, qui autem ad hos praestantes calamos saltare scit chorus praestans ei ipse est. Ceterum tangit, credo, simul praesentem chorum, qui ad eosdem calamos scite incedebat. Neque enim dubium hoc carmen maxime ad tibiam cantatum.

V. 28 — fin. Exitus. *Εἰ δέ τις ὄλβος* sqq. Si qua vero felicitas apud homines, sine labore non comparet, ut tu non vicisti sine labore; perfecerit autem eam sane vel hodie deus, h. e. perfici tamen potest et perficitur saepius celeriter, si deus adest, ut tu brevi tempore summam laudem consequutus es. Pyth. VIII, 92. ἐν δ' ὀλίγῳ βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται. Nunc ἐκτελευτᾶν est absolvere et ad culmen adducere. — V. 30 sqq. ita verto: Fatum vero evitari non potest, sed erit tempus hoc, quod etiam in insperata coniiciens praeter opinionem alia quidem dabit, alia vero non dabit, h. e. erit etiam tempus, quod non dabit omnia quae speraveras. Neque enim alium sensum video verborum: τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' οὔπω. Veluti Aesch. Pers. 799. συμβαίνει γὰρ οὐ τὰ μέν, τὰ δ' οὔ, non eveniunt res oraculis praedictae ex parte tantum. Quae quum ita sint, opposita est haec sententia antecedenti, fati communis admonens Midam, ne superbiat fortuna insigni per δαίμονα parta. Vides nunc, cur τὸ δὲ μόρσιμον verum habeam. — ἀελπτίᾳ βαλών, h. e. ἐμβαλών, ut Soph. Trachin. 936. αἰτίᾳ βάλοι κακῇ Hermannus explicat, conferens ibid. 912. — Vox ἀελπία vero occurrit etiam in Fragment. Archiloch. cf. Liebel ed. sec. p. 117. Et vid. Hesych. ἐξ ἀελπίης. ἔμπαλιν, cf. ad Ol. XI, 87. — Denique futura h. l. usurpari vides in positiva sententia generali de eo, quod fieri potest et solet, fit et fiet. Errat enim Hermannus ad Soph. Antigonam v. 350. contendens hanc futuri potestatem tantummodo in conditionali sententia locum habere.

CARMEN NEMEAEUM PRIMUM.

INTRODUCTIO.

Chromius Agesidami filius, Syracusanus, cui hoc carmen scriptum et quod infra legitur nonum, fuit vir opulentus et nobilis Ὑλλέων e tribu, ipsique regio generi affinis, non minus vero virtutibus eximiis distinctus. Quum Gelo sub Hippocrate Gelae regnante equitatui praefectus ad Helorum contra Syracusas pugnaret, iam tum interfuerat proelio adolescens magna cum laude, postea vero ceteris in bellis, sive inter pedites sive inter equites sive in navibus esset, ubique Chromii partes fuerant gloriosissimae. Eundem etiam ludicrae laudis studiosum hoc et nonum carmen ostendit. Videbimusque liberalitatem quoque et hospitalitatem eius laudari. Honoris causa adscriptus erat ab Hierone Aetnae recens conditae civibus, unde nunc Aetnaeum renuntiari se iusserat Hieroni gratum facturus, atque ad carmen nonum aliquando etiam praefectum urbis eum constitutum memorabimus. Carmen paullo post Aetnam conditam scriptum videtur Ol. 76, 4., quum etiam Pindarus in Sicilia versaretur, quo anno aestiva Nemeas acta; cantatum vero Ortygiae est, ubi habitabat Chromius, choro ad vestibulum aedium stante, paratoque convivio victoriali post cantum adeundo. Vide plura de his omnibus in Boeckhii editione a me exposita. — Argumentum hoc est: Post prooemium, in quo ludicra victoria viri laudatur, transit ad Siciliae laudem, quam Iuppiter Proserpinae donans urbibus opulentis distinxit, et populum dedit bellicosum simulque ludicris coronis ornatum. Tum ad Chromium reversus poeta huius hospitalitatem praedicat, qua etiam amicos consequatur, adversus invidos obtrectatores qui defendant. Aliorum aliae sunt artes, pergit; oportet vero iusta via incedentem pro sua quemque contendere indole. Ac robur factis, mens vero consiliis se prodit, si cui datum, ut futura praevideat. Agesidami filius habet hoc et illud. Non abscondit divitias, sed utitur egregie, ipse fruens et amicis etiam praebens; tutus enim nemo a ca-

sibus futuris, quales sunt hominum aerumnosorum. Exin poeta ad Herculem transit, in magnis virtutibus, ut ait, celebrandum, narratque magnificam fabulam, ut vixdum natus Alcides serpentes a Iunone missas necaverit manibus audacter constrictas, territa Alcmena ceterisque feminis et accurrentibus Cadmeorum principibus cum patre Amphitryone. Hic mirabundus advocat Tiresiam, qui primo hoc facto alia eximia portendi nuntiat, vaticinaturque Herculem adultum occisurum belluas infestas terra marique et viros insolentes non paucos, ipsique adversus Gigantes bello interfuturum, postremo vero peractis laboribus felicissimam vitam habiturum receptum inter deos. Ita Pindarus; nobis post haec de summa sententia carminis eiusque poetica ratione quaerendum est, de qua re ita censeo: Laudatur in Chromio, ut ab his ordiar, optimarum virtutum societas, prudentiae et fortitudinis, quemadmodum saepe vidimus pulcras virtutum cardinalium coniunctiones a Pindaro propositas. Ac prudentia quidem viri in divitiarum usu conspicua est, quas non abscondit, sed fruens ipse insigni cum liberalitate etiam aliis fruendas praebet, providus futuri amicos sibi parans adversus invidiam aliasque fortunae humanae casus. Bellica autem virtus, quam plane singularem in eo fuisse carmen nonum ostendit, nunc Herculis fabula illustratur; quum enim vel directa oratione laudari posset, ut in carmine nono factum, vel mythica, nunc mythicum genus praetulit et hanc de Hercule fabulam propter augurium magnificum, quod in ea expressum habetur. „Herculem Tiresias ex primo facinore in cunis perpetrato praedixit maxima quaeque gesturum terra marique, exantlatis autem laboribus praemium requiem habiturum felicissimam in Olympo; sic tu, ait, postquam in prima adolescentia ad Helorum ostenderas qualis futurus esses, mox terra marique res gessisti admirabiles, nunc autem felicitate frueris dignissima." Iam enim componat mihi lector exitum carminis cum initio, ubi ludicra victoria laudatur a diis Chromio data propter singulares viri virtutes, et quemadmodum haec Nemeaea corona praemium virtutum est, ne dubitet etiam alias illustriores nuntiari et maxime Olympicam, cuius adeptio pro maxima felicitate habita est, quae homini contingere posset. Vides nihil aptius Herculis hac fabula, quae bellica Chromii facta eximie illustrans simul finem carminis cum

initio felicissime coniungit, praeclarum illum nexum virtutis et felicitatis ob oculos ponens grandi imagine expressum, qui fundamentum est huius carminis: Fruitur Chromius ut Hercules post labores exantlatos placida vita ludicrorum certaminum summis coronis ornatus. Postremo, ut etiam alias civium decora revocata notavimus ad patriae praestantiam, sic nunc eo loco, qui de Sicilia est, Chromii virtutes laudesque revocatas habes ad universae insulae laudem, cuius praedicantur divitiae, bellica virtus et ludicrae coronae, eaque data omnia ab ipso summo Iove Proserpinae in gratiam; ut dignissimus civis sit Siciliae Chromius, et nihil iam addi posse videatur ad poeticum ornatum carminis. — Haec explicatio, minus quidem clare a me proposita in Boeckhii editione, non satisfecit Welckero meo, qui fabulam de Hercule ad Aetnam urbem refert, cui recens conditae et quasi in cunis iacenti haec prima victoria augurium sit aliorum decorum futurorum. De quo non assentior amico coniunctissimo. Aetna non memoratur in toto carmine nisi in prooemio verbis, *Ζηνὸς Αἰτναίου χάριν*, brevissimis, ea tantum de causa adiectis, ut satisfieret nomini Aetnaeo Chromii. Deinde sine exemplo est apud Pindarum urbem cum heroe comparari, nec serpentium occisio curuli victoriae similis aut ceterae futurae coronae his tantis terra marique perpetratis facinoribus. Denique praeclarus fabulae exitus de requie post labores exantlatos, Chromio optime conveniens, Aetnae non convenire videtur bene, nec universi carminis adornatio ex hac ratione satis placet. Adde quae in commentario suis locis notata sunt.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Prooemium. De victoria Nemeaea Chromio data. — Initium hoc est: „Laudem magnam equorum cantaturus victorum a patria illustri Ortygia orditur hymnus.“ Ut Pyth. VII init. Athenarum magnarum nomen optimum prooemium dicit Alcmaeonidarum gentem potentem cantaturo. Habitabat autem Chromius haud dubie in Ortygia, ut Hiero et plerique nobiliores, ibique erant etiam stabula eius. Iam ipsam Ortygiae

laudem declarat sic: „Inclitarum Syracusarum pars, quae requies sacra Alphei, cubile Dianae, Deli soror.“ Petuntur igitur laudes loci e religione Dianae *ποταμίας*, *Ἀλφειώας*, celeberrima, quae in Olympia eandem cum Alpheo aram habebat, translata autem in Ortygiam, quum haec insula a Graecis colonis occuparetur, inter quos Eliaci homines, mox etiam Alpheum suum traxit sequutum. Sic orta fabula de Alpheo per mare in Ortygiam delato, ubi denuo proflueret, fonte Arethusae pro Alphei aquis habito. Vide de hoc cultu supra ad Pyth. II, 7. dicta, et quae in Boeckhii editione ad nostrum locum explicuimus, collata Mülleri explanatione in Prolegom. Mythol. p. 135. — V. 2. *θάλος*, ramus, quum quinque partes urbis essent, quarum vetustissima atque inprimis frequens erat Ortygia. Cf. de tota urbe eiusque partibus Goeller. Fragment. Sicul. p. 37 sqq. cum tabula topographica. — V. 3. *δέμνιον Ἀρτέμιδος*, Pyth. II, 7. *ἕδος Ἀρτέμιδος*, sed nunc suaviter propter praegressum *ἄμπνευμα*, ubi Alpheus respirat et Diana cubile suum habet. Sic Hom. Il. XXIV, 615. in Sipylo dicuntur esse *θεάων εὐναὶ Νυμφάων*, ubi cf. Schol. Victor. Adde etiam personatum Plutarch. *περὶ Ποταμῶν καὶ ὀρῶν* 5, 3. p. 440. Hutt., ubi verba: *Καυκάσιον ὄρος ἐκαλεῖτο τὸ πρότερον Βορέου κοίτη*. — V. 4. *Δάλου κασιγνήτα*, pariter amata deae ac Delus. — *σέθεν ὁρμᾶται*, cf. ad constr. Matth. Gr. p. 667 sqq. et Bernhardy in Grammatica nuperrime edita pag. 179. — *αἶνον θέμεν*, laudem parare, dicere. — *ἀελλοπόδων*, cf. ad Pyth. IV, 18. Est pro epico *ὠκύπους*, quod Pindarus ne semel quidem habet. — V. 6. *Ζηνὸς Αἰτναίου χάριν*, Iovis Aetnaei gratia, gratum facturus Aetnae patrono Iovi, cuius civis Chromius. Sacra Iovis Aetnaei vidimus Ol. VI, 96. In huius sollemnibus alio tempore etiam hic hymnus iterum canendus erat ex instituto Hieronis, cf. Schol. v. 7. Ceterum *χάριν* sine praepositione dixit iam Hom. Il. XV, 744. Pindarus autem etiam Pyth. III, 95. — V. 7. *ζεῦξαι*, cf. Isthm. I, 6. et *ἅρμοσαν* Pyth. III, 144. — *ἔργματα* sollemne apud Pindarum de certaminum labore. — V. 8. Initia autem horum factorum iacta sunt a diis una cum viri illius singularibus virtutibus, h. e. ut reportaretur haec victoria curru Chromii, factum deorum ope propter virtutes viri; harum enim praemium est, ut

in Introductione explicui. — ἀρχαὶ θεῶν, divina, a diis profecta. Confert Hermannus Pyth. X, 10., Hom. Il. III, 100. Add. Sil. Ital. I, 447. fundamenta deum. Vides recte dici initia deorum posita sunt pro: initia a diis posita sunt. — βέβληνται autem, similitudine ab aedium fundamentis ducta, cf. βάλλεσθαι κρηπῖδα Pyth. VII, 2. Sic etiam καταβάλλεσθαι, καταβολή, cf. Polyb. XIII, 6. καταβολὴν ἐποιεῖτο καὶ θεμέλιον ὑπεβάλλετο πολυχρονίου τυραννίδος, vid. alia in Lex. Polyb. et statim Nem. II, 4. [Vid. Wyttenb. ad Iulian. Or. I. p. 201. s. ed. Lips.] — Praeterea notandum non ipsum profectum Chromium Nemeam, sed misisse currum cum auriga. Nam et per se hoc probabile, et sequitur e Pindari verbis, qui ἀρχὰς ἐργμάτων diis tribuit et Chromii virtutibus, quum ipsa ἔργματα equorum essent. Nempe Chromius post tot labores et contentiones nunc ἐν ἀσυχίᾳ praemia fert, quae deorum benevolentia concedit. cf. Introd. — V. 10. εὐτυχία, parta victoria. — V. 11. μεγάλων δ' ἀέθλων sqq., illustria autem praemia, illustres certaminum coronas Musa recordari amat. Cf. Pyth. X, 24. ὃς ἂν τὰ μέγιστ' ἀέθλων ἕλῃ, ὑμνητὸς οὗτος ἀνὴρ γίγνεται σοφοῖς.

V. 13 — 18. Siciliae laudes. — σπεῖρε, sparge, credo ut de multa, copiosa laude dictum. Ceterum ἀναπάσσειν χάριν legimus Ol. XI, 94. Contrarium est Nem. VIII, 39. — ἀγλαΐαν, laudem illustrem. — ἔδωκεν Φερσεφόνα. Agrigentum Proserpinae a Iove εἰς τὰ ἀνακαλυπτήρια donatum vidimus ad Pyth. XII, 2. Quae res deinde traducta ad universam insulam, cf. Boeckh. ad Ol. II. p. 123. et Cic. Verrin. IV, 48., propter insignem auctoritatem, quam cultus Cereris et Proserpinae Syracusanus et Ennaeus in Sicilia habebat. Nunc Pindarus optime hac fabula utitur, ut decora Siciliae, quae laudare vult, divinitus data et ab ipso summo Iove profecta videantur, veluti Ol. VIII, 25. Aeginae adversus advenas et mercatores omnes hospitalem iustitiam ad τεθμόν τινα ἀθανάτων refert. Augetur sic splendor harum rerum. — Sequentia ita construe: κατένευσέν τέ οἱ Σικελίαν πίειραν, ἀριστεύοισαν εὐκάρπου χθονός, ὀρθώσειν κορυφαῖς πολίων ἀφνεαῖς, „annuitque Iuppiter se terram ubertate prae aliis insignem aucturum opulentissimis urbibus.“ De ubertate Siciliae pervulgata omnia. — ἀριστεύοισαν χθονός, Matth. Gr. p. 642. —

ὀρθώσειν, illustraturum, Isthm. IV, 48; V, 68. — κορυφαῖς πολίων, eximiis, quae capita urbium, cf. ad Ol. I, 13. Dicuntur καλλίπλουτοι πόλιες Ol. XIII, 107. — ὦπασε δέ, deditque praeterea populum bellicosum et ludicris coronis ornatum. — μναστῆρα, cf. Pyth. XII, 24. — ἵππαιχμον, quum eximius esset Siculorum equitatus et equi praestantissimi. Cf. Thucyd. VI, 20 sqq. Dorville Sicul. p. 289. Reisig. ad Soph. Oed. Col. 304. — θαμὰ δὴ καί, saepe etiam. Neque enim hic vertendum: simul etiam, monstrante etiam particula δή. Olympicarum olearum, Olympici oleastri folia, coronas memorat instar omnium; talia reportaverant Gelo et Hiero Ol. 73., conf. Boeckh. ad Ol. I. p. 100 sqq., et Thero Ol. 76, 1., aliquot annis ante, vide Ol. II; praeterea alii Siciliae cives haud dubie non pauci, ut postea Ergoteles Himeraeus, Agesias Syracusanus, Psaumis Camarinaeus ibi vicerunt. — χρυσέοις, cf. Ol. X, 13. — μιχθέντα, Ol. I, 22. — πολλῶν ἐπέβαν καιρὸν sqq., Multarum rerum tetigi commode oblatam copiam non loquutus mendacia. — καιρός opportunitas, nunc res opportune oblatae, laudes quas Sicilia offert. Tum ad constr. ψεύδει βαλών cf. Ol. XI, 72. ibiq. laudata, unde videbis dici λίθους βάλλειν et λίθοις βάλλειν eodem sensu, alia similia; adde ex Homero ἀκοντίζειν δοῦρα Odyss. XXII, 265.; ἀκοντίζειν αἰχμάς Il. XII, 44, XIV, 422., et ἀκοντίζειν ἔγχεϊ, δουρί, ὀϊστῷ, Il. XIII, 585., ut saepe. Sic nunc mendacio iaculari est mendacium dicere, metaphora petita a iaculis vel sagittis notissima apud Pindarum, cf. Ol. II, 89. Pyth. I, 44. Ceterum alias explicationes loci refutavi in Boeckhii editione. — Perlectis singulis vides Pindarum triplicem proponere Siciliae laudem, quam in Introductione monui respondere iis, quae in Chromio decora conspiciuntur. Nam ut Chromius bellicosus est et ludicras coronas fert, sic etiam populus Siculus, atque ut in Chromio laudatur hospitalitas et prudens divitiarum usus, Siciliae ubertas et urbes opulentae praedicantur, et hoc quidem paullum mutata sententia, aptissime; nam in universa insula quum minus commode sapiens usus divitiarum laudatus esset, hic in generaliori opum laude subsistit optime. Mutavit talia etiam alias, ut Ol. VIII. Alcimedontis familiae laudatur pietas, Aeginae vero hospitalis adversus mercatores iustitia.

V. 19 — 33. Redit ad Chromium et virtutum duarum, quae in eo eminent, primum tractat prudentiam in divitiarum usu conspicuam. — V. 19. ἔσταν δ᾽ ἐπ᾽ αὐλείαις θύραις, accessi ad aulicas fores, ad vestibulum Chromii, ubi nunc stant choreutae canentes, ut Isthm. VII init. dicitur: Τελεσάρχου παρὰ πρόθυρον ἰών τις ἀνεγειρέτω κῶμον. Nam αὔλειος vel αὐλεία θύρα est ἡ ἀπὸ τῆς ὁδοῦ πρώτη θύρα τῆς οἰκίας, ut ait Harpocration in voce. Cf. Taylor ad Lys. in Oratt. Gr. ed. Reisk. T. V. p. 22., Dorvill. ad Charit. p. 217. Lips. et Valcken. ad Adoniaz. 43. p. 352, C. Ut αὔλειος θύρα in viam ducit, sic in domo est ἡ ἐγγυτέρω πύλη, Plutarch. Lacon. Apophth. p. 215. — V. 20. καλὰ μελπόμενος, pulcras laudes canens. — V. 21 sqq. ἔνθα μοι — κεκόσμηται, post cantum igitur adibunt convivium victoriale in domo aut etiam in aula paratum. — ἁρμόδιον, cf. Pyth. IV, 129. — θαμὰ δ᾽ ἀλλοδαπῶν sqq., simul vero exterorum non expertes aedes sunt, ut Nem. IX. 2. in Chromii laude dicit: ξείνων νενίκανται θύραι. Hic θαμά est pr. ἅμα cf. Ol. VII, 12. Et ἀπείρατος inexpertus, ut Ol. X, 18. cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. VI, 54. Ut loca nosse et experiri dicuntur res et personae, quae ibi versantur aut ea adeunt; cf. Pyth. IX, 58., Isthm. II, 30. In quo etiam maior vis in negatione, non inexpertum pr. maxime expertum esse, ut notum. Porro etiam contrario modo nos dicimur nosse loca, quae frequentamus, inhabitamus, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. XVII, 22. Burm. ad Propert. I, 6, 1. — ἀλλοδαπῶν, quum chorus contra e civibus esset. Utentur hoc loco adversus nos (cf. ad Pyth. V, 68.), qui primam personam apud Pindarum in quibusdam locis ad solum chorum revocant excluso poeta, quum nos ubique lyricum, quando prima persona utitur, etiam se intellexisse contendamus. Atque ita est etiam hic. Cum Boeckhio censemus Pindarum tum in Sicilia fuisse, ut fuit adhuc sequenti anno Ol. 77, 1., cf. ad Ol. I. Quare per totum hunc locum simul de se dicit, et nunc quidem, choreutis domesticis immixtus, his se annumerat, ita ut opponat ἀλλοδαπούς. Et quomodo quaeso aliter hic facere debebat? — V. 24 sqq. Construe: λέλογχε δὲ μεμφομένοις ἐσλούς, ὕδωρ καπνῷ φέρειν ἀντίον, praecipiente Hermanno. Sensus: Nactus est hospitii liberalitate viros probos adversus obtrectatores, ad aquam fumo obviam

ferendam, h. e. quibus uti possit ad restinguendam invidiam. Fumus est invidia, cf. Plutarch. Fragm. XXIII, 2. τὸν φθόνον ἔνιοι τῷ καπνῷ εἰκάζουσιν. Credas etiam sic iungi posse: λέλογχεν, ἐσλοὺς μεμφομένοις ὕδωρ καπνῷ ἀντίον φέρειν, consequutus est hoc, ut probi viri obtrectatoribus aquam obviam ferant fumo, quem movent. Sed λαγχάνειν sic cum accusativo et infinitivo iunctum vix aliunde probaveris. Denique Matthiae in Seebode's Archiv für Philologie V. II., fasc. IV. p. 681. explicat λέλογχεν ἐσλούς, μεμφομένοις ὕδωρ ἀντίον φέρειν ὥςπερ καπνῷ, suppleta particula comparationis, quod hic intolerabile, et neglecto ordine verborum, quum μεμφομένοις a poeta ante ἐσλούς collocatum sit. — V. 25. Aliorum aliae sunt artes, h. e. alius alia re valet, ut obtrectatores calumniandi arte, Chromius prudentia et fortitudine. Huius enim duae virtutes ut explicentur, transitus paratur versu proposito, in quo τέχνας dicit pro ἀρεταῖς, simul obtrectatorum pravam rationem complectens. — Pergit: Oportet autem recta via incedentem naviter quemque contendere pro indole sua. Ut etiam Hermannus explicat ap. Heynium ad Pyth. VIII, 61. — μάρνασθαι, contendere omnino, ducta comparatione a ludicris certaminibus, de quibus etiam alias voce utitur Pindarus, ut Ol. V, 15. Nem. V, 47. Isthm. IV, 54. — φυᾷ, vi naturae insita. Nam τὸ φυᾷ κράτιστον Ol. IX, 100. Matthiae loc. cit. ut in Grammatica vertendum dicit: certare cum indole, parem ad ingenium industriam afferre. Sed non videtur Pindaricum: certare, luctari cum natura; Pindarus iudicat omnia praeclara per vim naturae esse (rüstig streben mit der verliehenen Naturkraft). Ceterum qui ad totum locum alias similes dissimilesve loquutiones conferre cupiat, adeat Aristoph. Vesp. 1432. Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην, Cic. Tusc. I, 18., Quam quisque norit artem, in hac se exerceat, ibiq. Davis. et Valcken. in Diatr. C. VIII., Fragm. 76. Add. Propert. II, 1, 46. Qua pote quisque in ea conterat arte diem. Pindarus tamen optime dixit. — V. 26. Agit enim opere robur s. prodit se rebus gestis robur, consiliis vero mens, futura ut praevideant si quibus a natura datum. — συγγενές, innatum, cf. Pyth. V, 16. — ἕπεται, contigit, Isthm. III, 4. Loquitur Pindarus de fortitudine et de

prudentia, eaque nunc in futuris rebus praevidendis conspicua, quod ad casus fortunae pertinet, quos praevidens Chromius etiam sibi posse accidere adversos, parabat amicos liberalitate. — σθένος autem, quum in curuli victoria nusquam laudetur apud Pindarum, ad gymnica aut ad bellica certamina pertinet; et nunc quidem in Chromio, quem gymnica certamina adiisse non constat, bellicam fortitudinem intelligendam non dubito, quae tam luculenter laudatur in carmine nono. Iam vide sequentia. — V. 29 sq. Agesidami fili, tua in vita, vivendi ratione, huius et illius rei usus conspicitur. — ἀμφί, in, ut δύνασιν ἔχειν ἀμφὶ βουλαῖς, Pyth. V, 111. add. Nem. VI, 14. — Et τρόπος vitae agendique ratio, ut constat. Porro τὰ καὶ τά vel τά τε καὶ τά, hoc et illud, nunc de utraque virtute. Alias varia significat, ut Pyth. VII, 22., Isthm. IV, 52. bona et mala, aut Ol. II, 53., Pyth. V, 51. varia commoda. Sensus igitur: Tu utraque virtute uteris. Sic ἔργα et βουλαί componuntur in laude Arcesilai Pyth. V, 111., et Nem. VIII, 8. Aeacus dicitur χειρὶ καὶ βουλαῖς ἄριστος. Contra Welckerus meus, qui βουλάς intelligit vaticinationem, quam vocis significationem notatam vide ad Pyth. III, 90., sic explicat: Tu alterum habes, σθένος, alterum experiris, βουλάς, quum ego nunc in tua victoria praedicam urbi Aetnae alias coronas, ut Tiresias olim Herculi vaticinatus est alia praeclara. Non assentior. Primum enim verborum explicatio minus simplex est; deinde sic una tantum superesset Chromio virtus, σθένος, alio relatis βουλαῖς φρενός; sed quum hospitalitas ad σθένος referri nullo modo possit, necessario plures ponendae sunt. Quare nos diximus proponi hic a Pindaro, ut alias, duas virtutes cardinales coniunctas, fortitudinem et prudentiam, et hanc quidem in divitiarum usu sapienti conspicuam. Adde enim nunc sequentia. — V. 31 sq. οὐκ ἔραμαι cet. „Non amo magnas domi divitias absconditas habere, sed praesentibus gaudere et bene audire amicis inde praebens. Communes enim veniunt casus hominum aerumnosorum. Simillimus est locus Pyth. III, 103 sqq., quem vide. Prima persona utitur Chromium laudans eadem de causa, qua Pyth. III. per totum locum. Ipse enim quum adesset nunc inter amicos hospitio exceptos, nolebat directius dicere:

Bene facis divitias non abscondens, sed etiam amicis inde praebens. Saepe monuimus de primae personae usu pro secunda. — κατακρύψαις ἔχειν, cf. Matth. Gr. p. 1105. — In v. 32. commata nunc sustulimus post ἐόντων et ἀκοῦσαι. Primum enim iunge: ἀλλ' ἐόντων εὖ παθεῖν, ut Theogn. v. 108., laudatus iam ad Pyth. III, 104., dicit: τῶν αὐτοῦ κτεάνων εὖ πασχέμεν. Idem monet Welckerus. Et cf. alia verba fruendi ap. Matth. Gr. p. 635., inprimisque Simonidis carmen notissimum, laudatum etiam Tafelio, in Iacobs. Anthol. Graec. T. I, 78. Delect. Epigr. p. 223., ubi legis: ψυχῇ τῶν ἀγαθῶν τλῆθι χαριζόμενος. — Porro reliqua construenda vides: καὶ εὖ ἀκοῦσαι (Pyth. I, 99., et λόγον ἐσλὸν ἀκοῦσαι Isthm. IV, 13., et de repetenda vocula εὖ cf. Schaef. ad Gnomicos poet. Gr. p. 367.) φίλοις ἐξαρκέων αὐτῶν, ut est Homericum χαριζομένη παρεόντων Odyss. 1, 140., al. Laudat igitur Pindarus, si quis divitiis fruatur cum amicis, ut Chromius nunc epinicia celebrans aliaque aliis temporibus convivia. — κοιναὶ γὰρ ἔρχοντ' ἐλπίδες πολυπόνων ἀνδρῶν, ad omnes enim venit inconstantia humanae fortunae. κοιναὶ ἔρχονται, ut Nem. VII, 30. κοινὸν ἔρχεται κῦμ' Ἀΐδα. Porro πολύπονος in aliis locis strenuus est, in aliis aerumnosus, ut nunc, veluti ἐφαμέρων ἔθνη πολύπονα sunt Eurip. Or. 975. Homerus ὀϊζυροὺς βροτοὺς dicit. Denique ἐλπίς, ἐλπίζειν de metu dici demonstratum vide multis exemplis ad Thom. Magistr. ed. Bern. h. voc. Similiter sperare, cf. Ernesti in Clav. Ciceron. Quod verum est, recte intellectum. Nempe per se haec spem significant, non metum, usurpantur vero in omnibus linguis saepe per ἀντίφρασιν et ironiam quandam non sine vi de adversis rebus. Sic nunc quae sperare debent homines aerumnosi (was der mühselige Mensch von der Zukunft zu hoffen hat), sunt casus varii, etiam adversi, neminem non attingentes. Atque haec hactenus. Postremo formam loci, quem legimus, universi, quam pulcra sit attende. Orditur poeta ab hospitalitate Chromii, per quam defensores habeat adversus invidiam; tum altius assurgens proponit duas cardinales virtutes viri, fortitudinem et prudentiam; denique iterum descendens ad divitiarum usum, hunc ad prudentiam revocat, atque ita iuncto fine et initio hunc locum absolvit. De prudentia igitur satis dictum; restat, ut de fortitudine dicatur, quod fit in sequentibus.

V. 33 — fin. Vaticinium Tiresiae, qui quum Hercules in cunis serpentes necasset, ex primo hoc facinore praedicit maximas res ab Hercule olim terra marique gerendas, et in fine adscensum ad deos summamque ibi post labores felicitatem. — Initium hoc est: Ego vero Herculem lubens recordor in magnis et singularibus virtutibus. — ἐγὼ δέ, transitus ad nova per primam personam, plane ut Pyth. IX, 103. — ἀντέχομαι c. genitivo rei et personae proprie et translate est firmiter teneo, retineo, adhaereo, non abscedo, ut πέπλων, εἰρήνης, ἀρετῆς, οἴκτου, quemadmodum ἔχομαί τινος, cf. Matth. Gr. p. 639. Nunc est pr. studiose colo nec dimitto mente eius memoriam. Ceterum cf. locum Pyth. IX, 87 sqq. — ἐν κορυφαῖς ἀρετᾶν μεγάλαις, ubi magnas et singulares virtutes video, quales nunc sunt Chromii. — Ad ἐν cf. Nem. VIII, 49. ἐν ἔργῳ. Porro κορυφαὶ ἀρετᾶν μεγάλαι, dictae ut πολίων κορυφαί v. 15., non memorantur in curulibus victoriis quod sciam; propter curulem igitur victoriam Chromii non videtur canere Herculis facinora, sed propter bellicam viri laudem plane singularem. Omnino Herculis grandia facta non apta sunt curulibus certaminibus neque his illustrandis inserviunt usquam apud Pindarum, at commodissime memorantur in laudibus luctatorum, pugilum, pancratiastarum et bellatorum. — ὀτρύνων λόγον, excitans priscam fabulam, ut alias κινεῖν, ἀνακινεῖν, ἐγείρειν, ἐπεγείρειν λόγον, μῦθον, de quo cf. Wyttenb. ad Plutarch. d. Ser. N. V. p. 83. et Heind. ad Platon. Theaetet. p. 353. — V. 35. ἐπεὶ αὐτίκα iunge, ut est ἐπεὶ τάχιστα, ἐπειδὴ πρῶτον, similia, pr. simulac, cf. Vig. p. 403. Thiersch. Gr. p. 621. ed. tert. — σπλάγχνων ὕπο, Ol. VI, 43. Ibidem ὑπ' ὠδῖνος, ut hic ὠδῖνα φεύγων. — θαητὰν ἐς αἴγλαν ornatissime. Simplicius ἐς φάος Ol. VI, 44., ut Homerus φόωςδε, Il. XIX, 103, 118. — σὺν κασιγνήτῳ. Ab aliis Iphicles dicitur una nocte iunior. — Ad v. 37. cf. notam sub textu. — κροκωτόν, nam hic et purpureus color sunt regum et heroum, cf. ad Pyth. IV, 232. — βασιλέα pr. vulgari βασίλεια, ut ἱέρεια dicitur et ἱερέα, cf. annot. crit. ad Pyth. IV, 5. Add. Buttm. Gr. ampl. II. p. 328. — σπερχθεῖσα, irata, Herod. V, 33. ibique Wessel., et Heyn. ad Hom. Il. XXIV, 248. — V. 40. δράκον-

τας. De certamine Herculis cum serpentibus vide Theocrit. Carm. 24. Epigr. in Anthol. Pal. T. II. p. 650, 90. Omninoque locos allatos ad Antonin. Liberal. p. 228. Verh., et cf. expositionem tabulae pictae ap. Philostr. min. Imag. 5., ex hoc maxime carmine adumbratam, cum notis editorum duumvirorum doctissimis. — V. 42. ὠκείας γνάθους dicit avidas maxillas celeriter se moventium, appropinquantium bestiarum, ad partem corporis revocato epitheto, quod proprie toto corpori serpentium competit. cf. ad Pyth. IV, 11. — V. 43. ἄντεινεν, sustulit, erexit. Eurip. Hippol. 1203. ὀρθὸν κρᾶτ᾽ ἱστάναι, erigere. — μάχα, ut grave certamen idque de vita. — αὐχένων μάρψαις ὄφιας, Matth. Gr. p. 640. — V. 46. χρόνος, constrictis tempus, ait, vitam exstinxit. ψυχήν, θυμὸν ἀποπνεῦσαι vulgo de ipso moriente dictum, nunc novo modo de tempore continuati angoris, quo factum ut exspirarent. — μελέων, ut toties apud Homerum θυμὸς ᾤχετο ἀπὸ μελέων, ἐξέπτατο ἐκ μελέων, ἐξείλετο μελέων θυμόν. — ἀφάτων, ingentium, cf. Suid. et Hesych. — V. 48. ἄτλατον βέλος. (Nam altera lectio δεός interpretis est.) Vox est de dolore Hom. Il. XI, 269. ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἂν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα, cf. ibi Schol. brev. et Hesych. cum Thom. Mag. in βέλος, quae notavit Heynius ad Homer. Adde notissimam loquutionem πένθεϊ, ἄχεϊ βεβολημένος Hom. Il. IX, 3. Od. X, 247. Mnasalc. in Anthol. Gr. Lips. T. I. p. 126. epigr. 14. Nunc βέλος accipio de repentino animi motu, consternatione et dolore gravissimo mixto, ut fit. Hinc est ἐκπλήττειν. — γυναῖκες, θεράπαιναι. — V. 50. καὶ γὰρ αὐτά, h. e. tanta enim erat mulierum trepidatio, ut ipsa Alcmena resciret et succurreret. — ἄπεπλος, h. e. μονοχίτων, ut ait Philostratus, vel ἐν χιτωνίσκῳ, ut Scholiastes, in sola tunica; cf. Boettig. d. Rapt. Cassandr. p. 59. Müller. Hist. Dor. II. p. 263. Festinantis autem hoc est, quemadmodum alias etiam nudi pedes, vid. Blomfld. ad Aesch. Prometh. v. 138. — ποσσὶν ὀρούσαισα, non temere adiecta voce ποσσίν, sed oppositionis causa; consternatae feminae, ipsa vero etiam accurrit; cf. ad Ol. XI, 65. — ὅμως, licet ἄπεπλος οὖσα. — V. 53. τυπεῖς, ut Hom. Il. XIX, 125. τὸν δ᾽ ἄχος ὀξὺ τύψε. — τὸ γὰρ οἰκεῖον sqq. Nam domesticum malum premit quemque pariter, statim vero do-

loris expers animus luctu in alieno. *οἰκεῖον*, quod accidit inter homines coniunctos usu eiusdem domus, ut nunc etiam sodales Amphitryonis Cadmeorum principes accurrunt, coenantes, credo, apud eum. — V. 54. *ἀπήμων ἀμφὶ κᾶδος*, ut *μέριμνα ἀμφὶ πτόλιν* Aesch. Sept. 845. et *θυμὸν εὐφραίνειν ἀμφ' Ἰόλαον* Isthm. VI, 9. Ceterum vide similes sententias apud Welckerum Theogn. p. 23. — V. 55. *θάμβει μιχθείς*, stupore gravi iucundoque affectus, ut *οἴκτῳ συγκεκραμένη* Soph. Ai. 895. cf. Musgrav. ad Soph. Antigon. 1317. — V. 58 sq. *ῥῆσις*, vox propria de nuntiis; *παλίγγλωσσον θέσαν*, in contrarium verterant, proprie sibi ut repugnaret et contradiceret, effecerant, ut est *παλίλλογος*. — V. 60. *γείτονα*. Fuit domus Amphitryonis ante portas Electras. Ibi igitur etiam Tiresias habitabat; ac memorat Pausanias IX, 16. in illa regione *οἰωνοσκοπεῖον Τειρεσίου καλούμενον*. Accedit, quod Ismenium ante has portas fuit, cf. ad Pyth. XI, 6., cuius templi propheta Tiresias fuisse videtur, vid. Müller. Dor. 1. p. 235. — *Διὸς ὑψίστου προφάταν*, quum Iuppiter summus oraculorum Apollineorum auctor sit, ut constat, cf. Müller. Dor. I. p. 308, 341. Addit autem *ὑψίστου*, quum Thebis hoc nomine coleretur deus, ut in aliis locis. Vide quae laudavi in Boeckhii edit. — V. 61 sqq. Hic autem dixit praesentibus, qualia fata experturus esset, quot in terra occidens, quot in mari belluas immanes. — *τύχαις ὁμιλήσει*, ut *εὐτυχίᾳ ὁμιλεῖν* Eurip. Orest. 354. — Mox de constructione *ποίαις* — *ὅσσους*, ut *οἷος οἷα*, *ὅσος ὅσα*, vid. Iacobs. ad Antholog. T. VIII. p. 395. Reisig. ad Soph. Oed. Col. Comment. critt. p. 306. Monk. ad Eurip. Alcest. 145. — *ἀΐδροδίκας*. Hom. Od. IX, 215. *ἄνδρα οὔτε δίκας εὖ εἰδότα οὔτε θέμιστας*, III, 244. *περίοιδε δίκας*. Eurip. Med. 537. *δίκην ἐπίστασαι*. Est enim etiam in animalibus iusta et iniusta mens, ut Archilochus Fragm. Libel. p. 73. de Iove dicit: *σοὶ δὲ θηρίων ὕβρις τε καὶ δίκη μέλει*. Ceterum notabis significari iustas caedes. — V. 64 sqq. Atque aliquos virorum obliqua cum insolentia incedentes infestissimos dixit eum daturum morti. Ad totum locum conferes quae in Boeckhii editione contra Hermannum disputavi. Nunc ponam quibus hic opus. — *τινά*, h. e. complures, non paucos (manchen), ut saepe vidimus. Add. Matth.

Gr. p. 910. — κόρῳ, ὕβρει, Ol. I, 56. II, 95. Isthm. III, 2. — Et πλαγίῳ, ut πλαγίαις φρένεσσιν Isthm. III, 5., πλάγια φρονεῖς Eurip. Iphig. Aul. 332. Contrarium est ἐν δίκᾳ ἔρχεσθαι Pyth. V, 13. — Vox ἀνδρῶν, quum oppositionem contineat, collocata est sic, ut vides, propter accentum fortiorem. Porro ἀνδρῶν τινα τὸν ἐχθρότατον σὺν κόρῳ στείχοντα, ita enim haec construenda sunt, recte dici nunc cum Boeckhio iudico, qui prius ποτ᾽ scribendum conieceram pro τόν. Nam ut Soph. Oed. R. 106, 7. dicit: νῦν ἐπιστέλλει σαφῶς (ὁ θεὸς) τοὺς αὐτοέντας χειρὶ τιμωρεῖν τινας, sic dicitur ἀνδρῶν τὸν ἐχθρότατόν τινα aut inverso ordine ut hic, ἀνδρῶν τινα τὸν ἐχθρότατον, hominum aliquos qui infestissimi. Adde Soph. Oed. Col. 288. ὁ κύριός του, defensum ab Hermanno. — Denique δώσειν μόρῳ, ut θανάτῳ πόρεν Ol. II, 82. cf. Tafel. ad Pyth. V, 56. Heindorf. ad Horat. Satir. p. 314. — Sic expeditis singulis non possum assentiri iis, quae Matthiae in Seebodii Horreo (Archiv für Philologie und Paedagogik) Vol. II. fasc. IV. p. 680. disputavit de hoc loco. Defendens lectionem μόρον construit: καί τινα σὺν πλαγίῳ ἀνδρῶν κόρῳ στείχοντα, τὸν ἐχθρότατον φᾶσέ νιν δώσειν μόρον, ut post accusativos τινὰ στείχοντα pro verbo accusativum regente poeta mutata repente constructione δώσειν μόρον dixerit scil. στείχοντι. Fatetur ipse vir praestantissimus duram esse talem orationem; nec dura solum est, sed scabra maxime et plane abhorrens a Pindari arte, qui, ut optimi scriptores omnes, nusquam temere et sine causa varias constructiones confundit. Omnino tota ista doctrina de confusione duarum constructionum optandum est ut quam primum accuratius explicetur ab aliquo viro docto et ad fines suos revocetur; nam ut nunc ea utuntur interpretes, nullus est soloecismus, nihil tam ineptum, quod non hoc modo defendere possis. Ceterum bene observat vir doctus post participium κτανών in ultimo colo verbum finitum praelatum. Quod factum cum vi, ne ieiunius continuaretur eadem diutius constructio; cf. ad Ol. I, 14. Pyth. III, 53. — V. 67. Nam etiam cum Gigantibus eum pugnaturum. Plane ut γάρ Nem. VIII, 9. καὶ γάρ, ponens e multis unum idque maximum. De Hercule Γιγαντοφόνῳ primum in throno Apollinis Amyclaei memorato a Pausan. III, 18, 7. cf. Müller. Dor. I. p. 456. Vide praeterea de Gigantomachia

Apollod. I, 6. ibiq. Heyn. Pindarus rem iterum tangit Nem. IV, 27. Isthm. V, 31. — ἐν πεδίῳ Φλέγρας, in Isthmo Thracico peninsulae Pellenae s. Phlegrae, in quo sita Potidaea. Porro Γιγάντεσσιν μάχαν ἀντιάζειν, est adversus Gigantes in pugnam ire, ut ὑπαντιάξαισα κράτει Pyth. VIII, 11. Et ἀντιάζειν μάχαν ut πολλοὺς ἀγῶνας ἐξιών Soph. Trachin. 159. Totam phrasin illustrat locus in Epigr. Alcaei Anthol. Palat. T. II. p. 627. οὕνεκα Φοίβῳ θνατὸς ἐὼν θείαν εἰς ἔριν ἤντλασας. Denique coniunctivum ἀντιάζωσιν posuit in constructione praeteriti temporis, ut saepe fit, cf. Thiersch. Gr. ed. tert. p. 633. Nunc ut alias misso subiectivo genere dicendi et substituta directa oratione in re vere futura. — βελέων ὑπὸ ῥιπαῖσι κεῖνου sqq., telorum sub ictibus illius dixit splendidam pulvere contaminatum iri comam scil. αὐτοῖς vel αὐτῶν. Ad loquutionem πεφύρσεσθαι κόμαν vid. cel. Mitscherl. ad Horat. I, 15, 20. — V. 69 sqq. Verte: Ipsum vero in pace magnorum laborum praemium eximium requiem nactum in omne tempus beatis in domibus, accepta Hebe uxore et celebratis nuptiis, apud Iovem augustas laudaturum sedes. — ἐν εἰράνᾳ, propter oppositionem bellorum. — ἐν σχερῷ, continuo et sine interruptione, idque τὸν ἅπαντα χρόνον, in aeternum. Porro construe μεγάλων καμάτων ποινὰν λαχόντ᾽ ἀσυχίαν. Tum interpunxi post δώμασι cum Hermanno et post δαίσαντα. Est vero γάμον δαίσαντα, convivio nuptiali exhibito diis. Denique ad verba: παρ Δὶ σεμνὸν αἰνήσειν δόμον cf. Isthm. III, 76. νῦν δὲ παρ᾽ Αἰγιόχῳ κάλλιστον ὄλβον ἀμφέπων ναίει. Verte autem: In vicinia Iovis victurum gaudentem domo. (In der Nähe des Zeus sich des Hauses erfreun, sich sein herrliches Haus loben.) Nam αἰνεῖν δόμον est manere in domo neque inde discedere, sibi placentem domi, quod nunc facit Hercules, missis expeditionibus bellicis. Singulis explicitis omnibus pauca addenda video de universae fabulae consilio. Dixi eam propter Chromium positam. Nempe ut Hercules in cunis bellicum facinus eximium perpetravit, sic Chromius ἐν πρώτᾳ ἁλικίᾳ, octodecim fere annorum, ad Helorum, cf. Nem. IX, 42. Dicas haec nimis diversa. Non credo. Heros, ut par est, miracula edit, quod homo non potest; at qui adolescens talia gerit, ut cum Hectore comparetur, cf. Nem. IX

l. cit., is in suo genere non minus admirabilis est quam Hercules infans. Ac plane similiter Nem. III. Aristoclides puer sedecim aut septemdecim annorum victor in pancratio confertur cum Achille, qui ἐξέτης iam apros et leones occidebat. Porro ut ex primo facinore Herculis Tiresias praedicit alia multa eximia terra marique, sic res ad Helorum Chromio augurium fuere aliarum rerum, quas postea gessit terra marique, cf. Nem. IX, 34 sqq. Denique ut Hercules post labores requie fruitur beatissima, sic Chromio laborum requies optima destinata est, ludicris coronis summis ornata. Noli enim forte de Elysio cogitare, quod Theroni regi contingere potest, non item Chromio privato homini. Verum ut Nemeaea victoria praemium est virtutum, sic erunt etiam aliae similes inprimisque Olympica, iam supra v. 17., credo, monstrata. Magna enim et eximia felicitas praedicitur Chromio; talis vero inest in Olympica victoria, cf. Ol. I, 97. Sic omnia suaviter conveniunt, opinor. Atque hunc praeclarum nexum rerum gestarum et felicitatis post labores ut ob oculos poneret, cecinit hanc fabulam et hoc vaticinium Tiresiae. Non poterant directa laude gravius ostendi quae eximia fabula uno in conspectu exhibet coniuncta. Propria haec est fabularum praestantia.

Carmen Nemeaeum secundum.

INTRODUCTIO.

Timodemus Atheniensis fuit e Timodemidarum gente, pago (δήμῳ) Acharnensis; tamen ipse in insula Salamine educatus, credo etiam natus erat, quum gens, ut videtur, ibi fundos haberet. Nam qui pago Acharnensis esset, poterat tamen alio in pago natus esse et habitare et fundos habere. Fuit autem etiam Salamis δῆμος, cf. Philostr. Heroic. p. 720. Olear. De cleruchia cum Asclepiade hic in Schol. v. 19. cogitare non licet, quum haec res ad seriora tempora pertineat, cf. Boeckh. Corp. Inscript. Berolin.

T. I. p. 148. Carmen cantatum est Athenis; nam ad cives reducem factum victorem liquet e fine; neque tamen pro ipso epinicio hymno habendum, sed quasi quoddam praeludium amplioribus cantibus videtur praemissum, ut colligitur e fine. Hinc non missum Thebis id suspicatur Boeckhius, sed quum poeta forte Timodemum Nemea Athenas comitaretur, ibi factum. Quam in rem cf. Dithyramb. Fragm. 3.

EXPLICATIO.

V. 1 — 5. Principium. Quemadmodum Homeridae carminum epicorum cantores plerumque a Iovis prooemio auspicantur, similiter etiam hic vir initium victoriarum in sacris ludis fecit in Nemeaci Iovis celebratissimo luco. — De Homeridis notae sunt disputationes Wolfii in Prolegom. ad Hom. p. 96 sqq. et Heynii ad Il. XXIV. T. VIII. p. 793. Add. Nitzsch. Prolegom. ad Platon. Ion. c. II. — ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδοί, h. e. ῥαψῳδοί. Verbum ῥαπτός pertinet, ut videtur, ad perpetuitatem carminis epici, quod aequabili flumine narrationis non interruptae decurrit. Propria est haec perpetuitas epico generi poesios, nec tribui potest lyrico. Neque tamen ῥάπτειν ἔπη, ἀοιδήν significabat facere tale carmen, ut videtur, sed recitare audientibus, id quod olim poetae faciebant, postea Homeridae et rhapsodi. Atque etiam hoc ne secus accipias, non illud dico significari proposita loquutione, partes Homericorum carminum nunc hoc nunc illo modo coniungi solitas fuisse pro ratione festorum, ut alio tempore aliae se exciperent, sed qui rhapsodus partem quamcunque recitat, is ipso facto ῥάπτει ἀοιδήν, dicit perpetua oratione s. recitat audientibus quod perpetuo narrationis flumine decurrat. Est igitur ῥάπτειν unice cum epico genere coniunctum, ac quum rhapsodi postea etiam lyrica carmina recitarent, ῥαψῳδῆσαι quidem dicuntur haec translate, ῥάψαι vero dici vix potuerunt. — Διὸς ἐκ προοιμίου, ut vulgo faciebant; interdum tamen etiam a laude Musarum aut aliorum deorum auspicabantur, de quo dixit Wolfius. — καὶ ὅδ᾽ ἀνήρ, mutata constructione, quum non posset pergere ἔνθεν, Διὸς ἐκ προοιμίου. Potius supplebis οὕτως, quod tamen

etiam alias omittit, cf. Ol. VII, 7. — καταβολάν, initium, vid. Schweigh. Emendatt. in Suid. p. 66. καταβολὴν ποιεῖσθαι Polyb. 13, 6, collat. Lex. Polybian. in v. Et cf. Callim. Fragm. 196. καταβάλλομ᾽ ἀείδειν, laudatum in Scholiis. Praeterea vid. Nem. I, 8. — δέδεκται, Pyth. I, 80. — ἄλσει, fuit enim ἄλσος κυπαρίσσινον cum templo Iovis, cf. Pausan. II, 15, 2. Strab. VIII, p. 377.

V. 6 — fin. Auguratur etiam alias victorias ob gentis virtutem ludicram patriamque Salaminem, hortaturque cives ad laudem viri. — Initium hoc: Oportet Timonoi filium etiam Pythiis et Isthmiis vincere post Nemeaeam victoriam, siquidem fatum patrio tramite recta eum deducens dedit Athenis ornamento. — ὀφείλει nunc impersonaliter dictum, cf. Boeckh. Nott. critt. — πατρίαν ὁδόν, patrum et maiorum in vestigiis. — αἰών, fatum, tempus vitas et fortunam hominum pertexens, ut Isthm. III, 18. Carm. notissimum in Romam: πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰών, καὶ μεταλλάσσων βίον ἄλλοτ᾽ ἄλλως cet. Vide praeterea ad Pyth. I, 46. — θαμά, simul. — V. 10 sqq. Par est, qui in uno certamine vicit, eum mox vincere etiam in aliis, quod ita dixit: Par est non procul a montanis Pleiadibus Orionem incedere, ludens paronomasia in vocibus ὀρειᾶν — Ὠαρίωνα (literae enim Ωα per unam syllabam pronuntiantur). Hinc post ὀρειᾶν addidit γέ. Lusum dico ut in laeto carmine; alias enim constat etiam in graviori re veteres paronomasiis usos magna cum vi, ut in nomine Apollinis ab ὀλλύειν derivato; cf. Iacobs. Delect. Epigr. pag. 188. Ceterum ὀρεῖαι sunt Pleiades filiae Atlantis, degentes in monte Cyllene, ut constat; similiter Simonidi Maia ὀρεία dicta, cf. Schol. In coelo autem non longe distant Pleiades et Orion. — V. 13. καὶ μάν, atqui Salamis profecto educare virum bellicosum potest; ibi igitur educatus erat, ut vides. — ἄκουσεν, ἤσθετο, vim Aiacis expertus est. Comparavit Scholiastes Homericum πληγῆς ἀΐοντες Il. XI, 532, sentientes, ubi vide quae laudat Heynius. — αὔξει, te vero virtus pancratii laboriosa illustrat, Ol. VIII, 88. — V. 16. Ἀχάρναι δὲ παλαίφατοι εὐάνορες, praestant autem clarae antiquitus Acharnae fortibus viris. Robusti enim Acharnenses, cf. Aristoph. Acharn. 179 sqq. — ὅσσα δ᾽ ἀμφ᾽

ἀέθλοις, in certaminibus vero Timodemidae praestantissimi dicuntur. ἀμφί est in, ut Nem. VI, 14. Et ὅσσα praemissum est, ut alias τὸ δέ, τὰ δέ, ὅσον, cf. Matth. Gr. p. 572., ad vim sententiae: In certaminibus autem, quantum haec attinet. Sic Nem. XI, 43. τὸ δ᾽ ἐκ Διός est: Quod autem Iovem attinet, ab hoc nihil significatur clarius. Et similiter saepissime. — προλέγονται, quae ceteris nominantur. cf. λέγονται Isthm. III, 25. — V. 20. Κορινθίων ὑπὸ φωτῶν, qui iudices Isthmiorum. — ἐν Πέλοπος πτυχαῖς, in Isthmo, ut Isthm. III, 11. ἐν βάσσαισιν Ἰσθμοῦ, et Isthm. VII, 63. Ἴσθμιον ἂν νάπος. Et Πέλοπος, ut a quo tota peninsula nomen habeat. — τὰ δ᾽ οἴκοι, Athenis autem quae reportata, Διὸς ἀγῶνι, in Olympiis sive Ὀλυμπιείοις Atheniensibus, de quibus vid. Corsin. Dissertatt. Agonist. I, 13, et Boeckh. Oecon. civ. Athen. T. II. p. 253. Ceterum alios ludos domesticos quod non adierunt, Boeckhius explicat sic, cultui Iovis eos maxime adhaesisse. — Τόν, Iovem, tantum gentis fautorem, canite Timodemo, Timodemi in gratiam, in glorioso reditu viri. Verbum κωμάζειν c. dativo etiam Pyth. IX, 89. Isthm. VI, 20. — ἐξάρχετε, auspicamini dulci voce; sequutus igitur hinc videtur esse amplior hymnus.

Carmen Nemeaeum tertium.

INTRODUCTIO.

Aristoclides Aegineta, Aristophanis filius, fuit pancratiastes eximius, qui Megaris, Epidauri et in Nemea vicerat, nunc senex factus, quum hoc carmen caneretur. Neque enim statim fecerat Pindarus carmen parta Nemeaea victoria, sed diu post nescio qua causa retardatum misit, quum Aristoclides redeunte ludorum tempore victoriae olim reportatae sollemnia repeteret. Habitum vero convivium victoriale in Theario, publico aedificio urbis, ubi Theari degebant et epulabantur, collegium sanctum, cuius Aristoclides

sodalis erat. De tempore nihil constat, nisi quod ante subactam ab Atheniensibus Aeginam res acta. Argumentum hoc est: Post prooemium, ubi Musa invocatur, ut in Aeginam tendat carmenque doceat diu a choreutis exspectatum, statim transit ad Aristoclidae victoriam, qui non indignum se ostenderit priscis Myrmidonibus, sed optime steterit in certamine et ultimas columnas assequutus sit, quas Hercules posuerit navigationis terminos. Inde se revocans ab his rebus, Aeacidis dicit potius laudem ferendam domesticis, quorum res magnam dicendi materiam praebeant. Orditur igitur a Pelei et Telamonis rebus, quorum cuiusque duo facta affert instar omnium; ac Peleus quidem Iolcum expugnavit et Thetidem vicit varias formas induentem; Telamo vero interfuit Herculis expeditionibus adversus Laomedontem et Amazones. Inde ad Achillem oratio transit, qui primum iam puer sex annorum apros et leones occidit, in Chironis antro quum educaretur, postea vero vir factus ad Troiam Lyciorum, Dardanorum, Phrygum impetus sustinuit, et Memnonem prostravit, quo summo facto gloria Aeacidarum in remotissimas regiones propagata est. Pertractatis his mythicis rebus poeta ad Aristocliden redit, qui et ipse illustravit patriam probavitque luculenter virtutem suam. Factis enim apparet qualis quis sit puer inter pueros, vir inter viros, provectior inter provectiores; ac diuturnior vita etiam quartam adducit virtutem senilem, iubens acquiescere rebus praesentibus nec quidquam ultra quaerere. Sic valedicit poeta, carmen sero quidem missum fassus, at exquisitum se mittere significans, mel cum lacte mixtum, Aeoliis tibiis cantatum potum, ponitque in fine tres Aristoclidae victorias, Clio quas dederit. — Post haec restat, ut de universa ratione carminis dicam, quam non satis perspectam, quum primum de Pindaro commentarer, nunc spero me accuratius propositurum. Fons explicationis est in eo loco, ubi de aetatibus vitae dicitur. Excelluerat Aristoclides per tres aetates, puer inter pueros, vir inter viros, provectior inter provectiores. Quomodo? Non bellicis rebus, quas eum gessisse nullo carminis loco significatur, sed gymnica virtute; reportaverat igitur in unaquaque aetate victoriam ludicram. Ecce has ipsas tres victorias poeta in fine indicat, Nemeaeam, Epidauriam, Megarensem; ac Nemeaea provectiore aetate reportata est, Epidauria virili, Megarensis denique puerili; ut

robur gymnicum videamus per totam vitam insigniter vigens. Nunc lector mecum ad fabulas redeat. Maxima laus, ut saepe vidimus, mythica est, si publicis heroibus urbis non indignus victor horum virtutem refert; revocare praesentem virtutem ad heroum similitudinem est in summa eam ponere luce. Erant autem Aeginetarum heroes Aeacidae, quos hinc saepe memoratos videbimus in sequentibus, poeta mirifica arte alias aliter has fabulas tractante, prout carminum ratio flagitat; ut nihil esse videatur praeclari, cuius non fuerit exemplum in hac gente heroica. Ac nunc quidem quas dixi tres aetates proponit etiam in Aeacidis. Puer Achilles feras occidit, vir factus ad Troiam pugnavit; provectior denique aetas in Peleo et Telamone conspicitur: ut etiam hanc gentem heroicam per omnia tempora vitae humanae appareat viguisse insigniter. Sic igitur Aristoclides per tres aetates clarus rebus gestis gloriae habet quantum satis, et ad columnas Herculis pervenit, ultra quas procedere non licet. Post talem autem tamque gloriosam vitam quid restat, quid magis convenit, quam relicta ambitione praesentibus vivere contentum, acquiescere in eo quod dies offerat, nec ultra quidquam quaerere? Quae est propria senilis aetatis quarta virtus. Habes universam rationem carminis egregii, quam suaviter complectens paucis poeta mitto tibi, ait, ad convivium tuum mel lacte mixtum, h. e. dulcem potum, dulci laude plenum, eundemque lenem, qui non stimulet ad novas res gerendas ut vinum fervens, sed miti hilaritate et tranquillitate animum perfundat. Postremo memineris carmen diu post victoriam Nemeaeam missum, quare, quum in hac subsistere non posset, eximie complexus est universam viri vitam, venitque ita ut vides, etiam hoc carmen commodissimum licet sero, ut Olympicum undecimum Agesidamo.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. **Prooemium. Invocatio Musae.** — *Μᾶτερ ἁμετέρα*, Musa enim alit poetam; cf. Scholia. — *τὰν πολυξέναν.* De forma feminina adiectivi cf. Boeckhii Nott. critt. ad Nem. V, 8. Est vero haec laus Aeginae notissima, ut

commerciis deditae, cf. Ol. VIII, 25. Nem. IV, 12. V, 8. Et nunc quidem suaviter ea utitur poeta, significans Musam quoque hospitam habituram insulam, cf. Ol. X, 16, 7. Nem. IV. l. cit. — *Δωρίδα*, honoris causa, vid. ad Ol. VIII, 30. — *ἐν ἱερομηνίᾳ Νεμεάδι*, die festo ludorum Nemeorum, s. quum redierint Nemea. Repetebant victores epinicia redeuntibus ludis, ut Agesidamus Ol. XI., Hiero Pyth. III., Chromius Nem. IX., Theaeus Nem. X. Atque hoc carmen cantatum diu post victoriam, ut liquet e v. 80. Vocem *ἱερομηνία* optime illustrat Buttmannus in Ind. ad Demosthenis Orat. in Mid. p. 175. Dicebatur *μήνη* etiam dies mensis, ut quarta, quinta luna; hinc *ἱερομηνία* est luna sacra (ein heiliger Mond), h. e. dies festus, ut Hesych. explicat *ἑορτάσιμος ἡμέρα* et Harpocrat. *αἱ ἑορτάδες ἡμέραι ἱερομηνίαι καλοῦνται.* Ceterum vid. etiam Duker. ad Thucyd. III, 56. Dorvill. ad Chariton. p. 514 ed. Lips. — V. 3 sq. *ὕδατι γὰρ μένοντ᾽ ἐπ᾽ Ἀσωπίῳ* sqq., aquam enim ad Asopiam exspectant iuvenes choreutae, tuam vocem requirentes. Asopum puta rivulum fuisse prope urbem Aeginam s. per urbem fluentem, cf. Müller. Aeginet. p. 6. et quae dicta sunt in Boeckhii edit. ad h. l. Erat Asopus, pater Aeginae nymphae, fluvius Sicyonius apud Phliuntem, unde probabile est nomen in Aeginam translatum rivuloque datum, quum maius flumen non adesset. Vid. Müller. l. cit. p. 10. Porro nosti etiam in Boeotia fluvium Asopum fuisse, unde Thebani suum fluvium dixerunt Aeginae patrem, et Thebam Aeginamque sorores, cf. Isthm. VII, 12. Haec est fabula de cognatione Thebae et Aeginae, quam non semel tangit Pindarus, placens sibi in his rebus, ut omnino maximopere favebat Aeginetis. Ceterum vide Müllerum Aeginet. p. 10. Et cf. ad Ol. VI, 84., ibique etiam Boeckhium. Iam causam habes cur Pindarus Asopum etsi rivulum hic memoret: ad cognatam aquam, ait, veniet Boeotia Musa. — *κῶμοι* sunt *ἀοιδαὶ ἐπικώμιοι*, quarum cantores choreutae nunc dicuntur *τέκτονες κώμων*, artifices cantus, cf. ad Pyth. III, 113. — *μένοντι, σέθεν ὄπα μαιόμενοι*, dicta ob carmen diu dilatum, quemadmodum sequentia. — V. 6 sqq. Atque hoc desiderium consentaneum est. Nam ut alia aliorum cupida, sic certamen maxime amat hymnum, accommodatissimum coronarum et facto-

rum comitem. — διψῇ, desiderat. Artemid. Oneirocrit. 1, 68. τὸ μὲν γὰρ διψῆν οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ἐπιθυμεῖν. Add. Iacobs. Anthol. T. VIII. p. 233. et Liebel. ad Archiloch. p. 88. Sententia ipsa autem praemissa ad augendam vim sequentis; cf. ad Ol. IX, 48. Add. Pyth. VIII, 13. Nem. VII, 6. — V. 9. τᾶν ἀφθονίαν sqq., huius igitur largam copiam praebe ex mente mea. Amplum meditatur carmen, ut luculentius laudet virum, qui diu hymno caruerat. Cet. cf. Horat. Od. III, 4, 2., „Dic age longum Calliope melos." — V. 10. ἄρχε, praei vero coeli regi praeclarum hymnum, filia. — θύγατερ non puella omnino, quae significatio vocis nulla est, cf. Hermann. ad Soph. Oed. R. 1095., sed filia, ut sunt Musae filiae Iovis. Quo magis curare debet Musa, ut bonus fiat hymnus. Canitur autem hymnus Iovi, ut Nemeorum patrono et huius Nemeaeae victoriae datori. — οὐρανοῦ κρέοντι ad maiestatem declarandam dictum, cf. ad Ol. IV init. — ἄρχειν, cum accusativo hic dictum; exempla alia laudavi in Boeckhii editione. Add. Matth. Gr. p. 643. De significatione autem monet Spanh. ad Callim. in Del. 18. — V. 11. ἐγὼ δὲ sqq., ego vero eum communicabo cum choreutarum cantibus et lyra. — ὄαροι, cantus, cf. Pyth. I, 98. Porro de collocatione copulae τέ post κείνων pr. ὀάροις τε λύρᾳ τε vid. ad Ol. XIII, 97. Ad κοινάσομαι cf. Pyth. VIII, 29. Postremo illud notandum est, prooemium quod legimus ad tibiam cantatum videri, ut alia plura; post prooemium accedebant lyrae. Suaviter igitur in ipso exitu prooemii posita verba λύρᾳ κοινάσομαι.

V. 12 — 26. Transit ad laudem Aristoclidae, quem digna dicit Myrmidonibus priscis gessisse et Herculis columnas assequutum. — Initium hoc: Lubens autem accipiet hoc carmen Iuppiter utpote ornamentum terrae, Myrmidones ubi olim habitabant. Horum enim patrius deus Ζεὺς Ἑλλάνιος fuit, cf. ad Nem. V, 10., Aeacidarum vero etiam pater. Cum igitur vox Μυρμιδόνες paullo fortiorem hic accentum habere debeat, posita est ante ἵνα. — Verba: χαρίεντα δ' ἕξει πόνον, cum Hermanno verto: dulcem acceptumque habebit hunc laborem tuum, h. e. carmen longum quod praeibis, o Musa; nam Musae alloquutio continuatur

etiam in sequentibus τεὰν κατ᾽ αἶσαν. Notum vero πόνος de opere, veluti Pyth. VI, 54. Eurip. Orest. 1586. nunc de carmine, ut γλυκὺς Ἠρίννης πόνος Anthol. Palat. VII. ep. 11. et ibid. ep. 12. — Tum ἄγαλμα est appositio verbi πόνον, plane ut Nem. VIII, 15. Contra Boeckhius χώρας ἄγαλμα chorum intelligit vertens: „pulcrum elegantemque laborem habebit chorus.“ Sed in hoc displicet primum circumscriptio subiecti per verba χώρας ἄγαλμα, deinde quod Myrmidonum nomen nunc non tam apte subiicitur quam in nostra explicatione. Matthiae in Seebodii Horreo (Archiv für Philologie V. II. fasc. IV. p. 681.) χώρας ἄγαλμα, ait, est ὕμνος, et sensus: „dulcem vero laborem habebit hymnus, h. e. παρέξει.“ Iterum vero offendit circumscriptum hic subiectum per verba χώρας ἄγαλμα, quae ex Pindaricae orationis lege vix aliter quam pro appositione accipi possunt. Pro subiecto habita nunc chorum significare visa sunt, nunc hymnum, nunc urbem Aeginam, ut Heynio, nunc Aristocliden; unde quid sequitur? Ipsa credo ambiguitas loquutionis satis probat Pindarum accuratum scriptorem de hac constructione non cogitasse. Porro quum ex interpretatione Matthiaei sensus sit: „Iucundus tibi erit labor hymni, o Musa, propter Myrmidones,“ etiam hoc obscurum, quid coniunctionis propioris Musam inter et Myrmidones intercedat; nam claros esse Myrmidones in poesi verum quidem, sed quod de aliis multis gentibus dici potest similiter. Ne multa; summum est per totum hunc locum Iovis nomen, cui dedicatur hymnus, et dissolvimus unitatem sententiae, ut mihi videtur, aliis rebus illatis. Atque ad Iovem etiam peractis mythicis narrationibus sequentibus redit oratio v. 65. — De Myrmidonibus vid. Mülleri Aeginet. p. 14 sqq. — V. 14 sqq. ὧν παλαίφατον ἀγορὰν sqq., quorum antiquitus celebrem conventum non dedecoravit Aristoclides tuo beneficio fractus in robusto pancratii exercitu. — ἀγορά hic est de conventu ludicro, ut Hom. Od. VIII, 109, 156. Vulgo πανήγυρις. Aristoclides autem talem se exhibuit, quemadmodum qui in Myrmidonum veterum claro conventu certarent, h. e. Myrmidonum virtutem gymnicam refert. Ceterum videntur antiquitus certamina gymnica in foris urbium habita, unde credo Boeotii ἀγῶνα dixerunt τὴν ἀγοράν, cf. Eustath. ad Hom. Il.

XXIV. p. 1335, 57. Iam si Thearion, ubi canebatur hoc carmen, situm erat ad ἀγοράν urbis Aeginae, quod etiam per se probabile, ut ante oculos essent ipsa illa loca, ubi Myrmidones olim certaverant, optime poeta dixit. — οὐκ ἐλεγχέεσσιν ἔμιανε, non opprobrio, dedecore contaminavit, ut saepe κατελέγχειν, cf. Pyth. VIII, 36., et καταισχύνειν, de quo verbo dixit Wyttenb. ad Plutarch. d. sentiendo Profectu in Virtut. p. 698. T. VI. P. I. Nunc μιαίνειν ἐλεγχέεσσι veluti Pyth. IV, 100. ψεύδεσι καταμιαίνειν γένναν. — Porro iunge: οὐκ ἔμιανε — μαλαχθείς, non ille fractus dedecoravit, in quibus loquutionibus participium saepe, non semper, pro ablativo substantivi est. Aesch. Prometh. 173. στερεάς τ' οὔποτ' ἀπειλὰς πτήξας τόδ' ἐγὼ καταμηνύσω, non ego timore minarum hoc indicabo. Sept. 460., ὃς οὔτε μάργων ἱππικῶν φρυαγμάτων βρόμον φοβηθεὶς ἐκ πυλῶν χωρήσεται. Solon. carm. nr. 27. Εἰ δὲ γῆς ἐφεισάμην Πατρίδος, τυραννίδος δὲ καὶ βίης ἀμειλίχου Οὐ καθηψάμην, μιάνας καὶ καταισχύνας κλέος Οὐδὲν αἰδοῦμαι. — ἐν παγκρατίου στόλῳ, in exercitu pancratii, in pugna cum pancratiastis adversariis, cf. ad Pyth. XI, 50. — Denique τεὰν κατ' αἶσαν, te dante, tuo beneficio, o Musa, ut saepe τύχᾳ, σὺν τύχᾳ θεῶν, et Διὸς αἴσᾳ Ol. IX, 42., ex voluntate, decreto Iovis. Iure quaeras quo sensu Musae tribuat victoriam gymnicam, quae vulgo aliis tribuitur diis. In fine omnes viri victorias complectens dicit sic: εὐθρόνου Κλεοῦς ἐθελοίσας. Et hoc nos ducit ad explicationem. Clio est Musa fautrix Aristoclidae, qui a κλέος nomen habet (cf. de ominibus nominum dicta ad Ol. VI, 56.). Clio quae canit τὰ κλέα ἀνδρῶν, Aristoclidae destinavit praeclarum κλέος deditque ut priores victorias sic Nemeaeam, servavitque earum memoriam, et nunc Aeginam profecta ipsa carmen praeit. Vides haec suaviter excogitata. — V. 17. καματωδέων δὲ πλαγᾶν cet. verte: Sed laboriosarum plagarum remedium salubre reportatam vel in profunda Nemea victoriae laudem habet. — πλαγαί, pancratiasticae. — ἄκος, cf. ad Pyth. IV, 187. — τὸ καλλίνικον, victoriae laudem, cf. Eurip. Med. 45. — φέρει, habet consequutus, ut Isthm. VI, 21., φέρει γὰρ Ἰσθμιάδα νίκαν παγκρατίου, et alias ἔχειν, v. c. Ol. XIII, 37 Πυθοῖ τ' ἔχει σταδίου τιμὰν διαύλου τε. Dativos adiectos in his vides signifi-

gare reportatas Delphis, in Isthmo victorias, ut hic ἔν γε Νεμέᾳ. Attende vero ad particulam γέ, qua non excluduntur ceterae viri victoriae, sed inter ceteras distinguitur Nemeaea ut nobilissima, quare verte: vel in Nemea. Vide de hac significatione Hermannum ad Vig. p. 825. Sic igitur etiam antecedentia facta tanguntur simul. — V. 19 sqq. Si autem formosus patransque digna forma (in Nemea et aliis locis) ad summas virtutis laudes accessit Aristoclides, tetigit Herculis columnas, ultra quas procedere non licet. — Εἰ pr. ἐπεί. Sed illud modestius in magna laude, velut Isthm. IV, 22. Ad sequentia cf. Ol. VIII, 19. — ἀνορέας ὑπερτάτας summas laudes intellige, ut saepe ἀρετά, ἀρεταί pro laudibus virtutis et gloria factorum, cf. Ol. V, 15. — Ad ἐπέβα cf. Nem. VI, 24. Isthm. III, 50. — οὐκέτι πρόσω κ. τ. λ., non iam ulterius invium mare traiicere facile est ultra columnas. Metaphoram notavimus ad Ol. III, 44. — V. 22. ἥρως θεός, heros, qui simul deus, vid. Schol. et Pausan. II, 10, 1. — ἃς ἔθηκε, celeberrimum Herculis facinus, de quo vide quae laudavi in Boeckhii editione, et add. Müller. Dor. I. p. 452. — V. 23. δάμασε δέ cet., domuit autem belluas in mari ingentes et perscrutatus est vadorum fluenta, quousque ad extremam perveniret navigationis metam, terramque indicavit. Quibus rebus peractis posuit columnas. Logica igitur ratio membrorum est: ἃς ἔθηκε, ἐπειδὴ δάμασε cet., sed suavior in poesi est quam Pindarus praetulit dicendi formam. — δάμασε θῆρας, ut mare pacaret navigaturis, cf. Isthm. III, 75. — ὑπερόχος, h. e. ὑπερόχους, ex prisca scriptura, qua O scribebatur pr. ου, relictum, cf. annotationem criticam. Recte vero habet terminatio in ος infr. v. 29. — διά τ᾽ ἐξερεύνασε, et plane pervestigavit. Cf. Hom. Od. XII, 259. πόρους ἁλὸς ἐξερεείνων. Tacit. Germ. c. 45. mare scrutari. Nunc, ut sciret quousque via pateret. — τενάγη sunt πηλώδη πελάγη, vada, notantibus grammaticis. Credebantur enim vada esse in illis locis, propter quae ultra columnas non liceret progredi, cf. Plat. Critias p. 108 fin. — Porro ὅπα πόμπιμον κατέβαινε νόστου τέλος. Dicas νόστου esse viae omnino, cf. Soph. Philoct. 43. ibiq. Hermann. Sed nunc non

credo. — *Νόστου τέλος* s. *τέρμα* est meta reditus, h. e. terminus, qui redire te cogit nec patitur ulterius progredi. Cf. supr. ad Ol. II, 31. Sic *τέρμα σωτηρίας* est meta salutis Soph. Oed. Col. 716, ubi vide quae notavit Reisigius. Convenit denique *πόμπιμον*, quae vox activum et passivum sensum habens *πέμπων* et *πεμπόμενος* significat, et nunc quidem est quae domum remittit meta, ut *πομπή* Homerico sensu notissimo est reductio in patriam. — *κατέβαινε.* Ut *ἀναβαίνειν* est tendere in altum, sic *καταβαίνειν* ex alto descendere et devenire ad portum aliumve navigationis terminum. — Denique *ὅπα* h. e. Hercules perscrutatus est ista vada in ea loca usque, ubi ad metam veniebat. — *καὶ γᾶν φράδασσε*, Hermannus: „terramque terminavit.“ Ego reddam potius, id quod etiam cum antecedenti verbo *διεξερεύνασε* convenit: terramque indicavit (machte kund das Land) explorata etiam hac, quousque ibi pertineret. Ac *φραδή* est cognitio, *γνῶσις* Ol. XII, 9.; sic *φραδάζω* videtur fere esse *γνωρίζειν*. Conferas etiam *φράζειν* indicare, et *φραδεύουσι* Hesychius explicat p. *λέγουσι* ac *φραδάον* p. *ἑρμήνευον*. His ita peractis Hercules posuit columnas, quae terrae simul et navigationis fines. — Postremo de toto loco monendum Herculis mentionem recte fieri etiam in carminibus Aeginetis scriptis, quum in insula Dorica *Ὑλλέων* tribus esset, nec unum ibi heros sacellum haberet, cf. laudata in Boeckhii editione. Ac nunc quidem ob Aristoclidae virtutem insignem et quum Aeginetae nauticarum rerum studiosissimi essent, paullo diutius in his rebus moratus est, alias breviter columnas nobiles memorans.

V. 26 — 64. Laudantur Aeacidarum facinora per tres aetates vitae humanae. — *Θυμέ*, repente subsistens revocat se. — *παραμείβεαι*, deflectis. Vulgo *παραμείβεσθαι* est praeterire, nunc active praeterducere s. praetereundo viam rectam traducere ad remota loca. — *ἄκραν ἀλλοδαπάν*, extremum Europae promontorium in freto Gaditano, ubi nunc versatur poeta. Notabis praeterea navigationem circa promontoria periculosam, cf. Nitzsch. ad Hom. Odyss. III, 287.; quo magis poetae ab his locis redeundum est, ad quae aberrasse se fingit. — V. 28. Aeacum potius iubeo te et Aeacidas canere. — *φαμί*, iubeo, uti passim etiam *εἰπεῖν*, *φράζειν* dici constat.

— *Μοῖσαν φέρειν*, cf. Ol. IX, 41. Ceterum Aeacum nonnisi honoris causa nominat ut auctorem gentis; dicturus enim est de Aeacidis tantum. — *λόγος*, hoc verbum meum, quod Aeacidas laudandos dico, simul est iustissimum. Praeclaros enim viros laudare est iustitiae summum, summa laus, *δίκας ἄωτος*, quod saepius significat alias aliter, cf. Pyth. IX, 95. add. Isthm. I, 41 sqq. III, 7. Quare verte: Adest autem verbo meo iustitiae summum decus, bonorum in praedicatione positum. De voce *ἄωτος* saepe in antecedentibus monitum. — V. 30. Nec sunt externa praeferenda domesticis fabulis. — *φέρειν*, habere, Isthm. I, 40. ut *ἄγειν* Isthm. VI, 22. — Porro *κρέσσονες φέρειν*, cf. ad Ol. VII, 26. Pergit: Domestica pete; commodum autem laudum argumentum habes, unde dulcia cani possint. — Post haec ad rem accedens primum memorat Pelei et Telamonis res, qui in aetate *παλαιτέρων* cogitandi. Orditur: „Seniore in virtute laetatus est Peleus rex praegrandi abscissa hasta, h. e. Provectior licet aetate Peleus par fuit praegrandi hastae gerendae. — *παλαιαὶ ἀρεταί* opponuntur *νεαῖς*, nunc puerili et iuvenili Achillis robori. [Thierschius *παλαιὰς ἀρετάς* accepit de laudibus veterum heroum, quorum gloria Pelei robur gavisum sit: wohl freuete sich des Ruhms des alten Peleus Gewalt.] — *ἐν ἀρεταῖς*, ut *ἐν ἀλκᾷ*, *ἐν ὅπλοις*, cf. Ol. XIII, 51, 55. — *γέγαθε* manifesto vim perfecti habet, plane ut *δέδορκε* Nem. IX, 41. Quod negligunt Lexica et grammatici, Matthiae, Buttmannus, Rostius, nonnisi praesentis significationem memorantes. Minus recte Bernhardy in Grammatica nuperrime edita pag. 210. iungit: *γέγαθε ἐν ἀρεταῖς*. Recte dicas: Gaudet aliquis praeclara virtute; inepte vero: gaudet senili virtute. Tu iunge potius *γέγαθε ταμών*, laetatus est quum abscidisset, quum nactus esset. Fuit autem admodum nobilis Pelei hasta excisa in Pelio monte, ex vulgari traditione oblata heroi a Chirone in nuptiis, cf. Hom. Il. XVI, 143, ibiq. Heyn. et ad Apollod. p. 314; Pindarus tamen sequutus alios ipsum Peleum dicit eam sibi excidisse, idque aetate iam provectiore; erat vero tam gravis, ut praeter Achillem nemo Graecorum ante Troiam ei regendae par esset, cf. Hom. l. cit. 141. — V. 34. Qui etiam Iolcum cepit, solus sine exercitu. Hippolyta s. Astyda-

mia, uxor Acasti, regis Iolci, Peleum ad illicitos amores invitaverat (cf. Nem. V.), et his a Peleo recusatis persuaserat Acasto, ut ei insidias strueret. Subduxerat igitur Acastus Pelei ensem et abdiderat, ut hunc quaerens in Pelio monte a Centauris occideretur. Peleus tamen servatus ope Chironis cepit Iolcum et tradidit Thessalis. Vide locos a me laudatos in Boeckhii editione. Tradiderat Pherecydes Peleum socios habuisse in ea expeditione Iasonem et Dioscuros; Pindarus qui in robore Pelei laudando versatur, aliam sequitur traditionem. — *μόνος ἄνευ στρατιᾶς*, cumulate, ut saepe. Sic *οἶος ἄνευθ᾽ ἄλλων* Hom. Il. XXII, 39. *οἶος νόσφιν ἑταίρων* Od. IV, 367. *οἶον ἀπ᾽ ἀνθρώπων* Od. XXI, 364. Similia vide apud tragicos. — V. 35. Et marinam Thetidem domuit non sine pulvere. Quod factum post Iolci expugnationem. Thetis varias induens formas, ut declinaret matrimonium, tam diu detenta fuit manibus a Peleo, donec se traderet. cf. Nem. IV, 62., et Schol. ibi et hic. — Sequuntur Telamonis laudes. Primum cum Hercule Troiam profectus hanc cepit. Nem. IV, 25. Isthm. V, 27. Ac Laomedontem quidem Hercules occidit, Telamo tamen primus ceperat muros, cf. Ol. VIII, 45 ibique Schol. et Apollod. II, 6, 4. Quare *ἔπερσεν* est omnino vicit, pessumdedit. Sic Anthol. Pal. T. II. p. 655, nr. 103. monente etiam Iacobsio. Illustravit verba *πέρθειν, ἐκπέρθειν, πορθεῖν, ἐκπορθεῖν* a poetis dicta vi pessumdandi de personis Heindorf. ad Plat. Protag. p. 571. Add. Lobeck. ad Soph. Ai. pag. 401. — *Ἰόλᾳ παραστάτας ἐών*, ut sunt *παραστάται* qui adstant comites, socii in bello, cf. Iacobs. ad Achill. Tat. p. 903. Pindarus, ut cognationem mythicam Thebarum et Aeginae memorare amat, cf. supr. ad v. 4., sic etiam amicitiam Thebanorum et Aeginetarum heroum. Et Herculem quidem quod nunc tacet nec huius socium dicit Telamonem ut alias, sed Iolai, inde explicandum videtur, quod Alcidae laudes supra iam tractatae sunt luculenter. Quare ad hunc redire noluit. Similiter in sequenti carmine, quo loco omnes Aeacidae enumerantur, omittitur Telamo, quia paullo ante in alia fabula iam memoratus erat. Fuit vero Iolaus, perpetuus Herculis comes, Thebis maxime nobilis, cui etiam Iolaia agebantur, cf. ad Ol. IX, 88. Sic huius nunc dicit amicum et belli socium Telamonem. — V. 38. De Herculis expe-

ditione adversus Amazones cf. Scholia ceteraque laudata in Boeckhii editione, et Mülleri Excursum de fabulis Herculis in Hist. Dor. T. II. — χαλκότοξον ἀλκάν, ut λῆμα τοξοῦλον Aesch. Pers. 55. — ἕπετό οἱ, iterum ad Iolaum referendum. — ἀκμὰν φρενῶν, vim, vigorem, fortitudinem animi. Bene ita Boeckhius e duobus codicibus pr. ἀλκάν, quod modo praecessit. Iam more suo magnifice claudit totum locum sententiis generalibus. — εὐδοξία, virtus, ut δόξα Pyth. I, 92. Isthm. III, 29. Aesch. Pers. 28. ψυχῆς εὐτλήμονι δόξῃ. — βρίθει, valet, veluti Soph. Ai. 130. χειρὶ βρίθειν. — ψεφηνὸς ἀνὴρ est virtute genuina carens. Nam opponitur εὐδοξία. Similiter ἄφαντοι Nem. VIII, 45. — πλέων, animo agitans, cf. Ol. XI, 97. — ἀτρεκὴς πούς, pes certus, firmus. — καταβαίνειν, ad scopum tendere; ut supra dixi significari hoc verbo omnino ad aliquem itineris terminum, metam tendere et devenire. — ἀτελεῖ νόῳ mentis vim non habens ad perficiendum idoneam. Iam verte: Innata virtute eximie valet homo, et egregia perficit; qui autem nihil habet nisi quae didicit, is vera praestantia carens alias alia agitans nunquam firmo pede ad scopum descendit, sed innumera gustat mente nihil perficiente. Ad totum locum quod attinet, vides prima sententia generatim pronuntiari laudem, quae in Pelei et Telamonis rebus inest; secunda vero addita est, ut oppositione prior magis elucescat, quemadmodum infr. v. 82. Oppositionibus nihil est gravius in omni oratione. Postremo, ut semel de temporibus moneam, in sententiis generalibus raro praeteritum per omnes partes apud Pindarum regnat, ut Ol. XII, 10. Nem. VI, 10.; saepius praesens, ut Pyth. III, 29. VIII, 73 sqq. 88 sqq. Plerumque diversa tempora iunguntur, ac futurum cum praeterito bis Ol. VII, 3 sqq. Nem. XI, 13.; praesens cum futuro Pyth. XII, 28 sqq.; frequentius vero praeteritum cum praesente, ut hoc loco. Similiter Ol. VII, 44. Pyth. I, 41. II, 50. Nem. VII, 17. XI, 39, 40, al. Videbis autem singulis in locis non temere fere variari has formas, sed cum iudicio, quum alia rectius suaviusve facta aut non facta, futura aut non futura dicantur, alia aptius per sententiam praesenti tempore efferantur. Et hoc quidem loco ut fidem dicto conciliat maiorem praeteritum κατέβα, sic

in altera parte gravius est praesens *γένεται*. Haec hactenus. Sequitur iam a V. 43. Achillis puerilis et iuvenilis virtus. Verte: Achilles vero partim vivens in Philyrae antro puer ludebat magna facinora, manibus crebro iaculum vibrans, ventisque par leones feros occidebat et apros, deiecta vero corpora ad Cronidam Centaurum moribunda ferebat, sexennis primum, et totum per sequens tempus; hunc mirabatur Diana et Minerva, quum caederet cervos sine canibus retibusque; pedibus enim praevalebat. Verba: *τὰ μὲν μένων Φιλύρας ἐν δόμοις παῖς ἐών*, ut vidit etiam Boeckh., opposita sunt versibus 59. et sqq.; ubi de Troiano bello et iuvenili s. virili Achillis aetate agitur; non potuit sequi *τὰ δέ*, quum multa interiecta totaque orationis forma mutata sit. — *Φιλύρας ἐν δόμοις*, in antro Chironis, qui matrem habebat Philyram, patrem Cronum, cf. Pyth. III init. et IV, 103. — *ἄθυρε*. Eodem verbo utitur Philostrat. iun. Imag. 5. de Hercule infante serpentes strangulante. — *χερσὶ πάλλων*, significantius, *γραφικώτερον* quam nudum *πάλλων*. Cave enim talia omnia inania habeas; in perfecta oratione classicorum scriptorum nihil inane est. Sic Ol. VIII, 5. *μαιομένων θυμῷ* fortius est (valde cupere) quam nudum verbum. — *βραχυσίδαρον*, epitheton iaculo per se conveniens. — V. 47 cf. notam criticam sub textu. Dixi *σώματι* sine vi esse; neque enim vereor, ne *χερσί* et *σώματι* opposita esse contendas, quo nihil esset ineptius. Nullis bonis artibus vim parare poteris voci eam, quam locus in principio commatis postulat. At *σώματα* sunt deiecta, caesa corpora ferarum, noto ex Homero usu. Mire Hermannus: „Quid sint ferarum *σώματα ἀσθμαίνοντα* non intelligo. Neque enim Achilles persequendo, ut nunc regia principum crudelitas, feras enecabat, sed iaculo.“ Non cogitavit igitur Vir praestantissimus de ea significatione verbi *ἀσθμαίνειν*, quam in nota critica sub textu notavi. — *ὅλον τ᾽ ἔπειτ᾽ ἂν χρόνον*, et sic omne sequens tempus, quod degebat in Philyrae antro. — V. 50 sq. Dicendum fuisse credas: Eum admirabatur Diana et Minerva quum ob haec, tum cervos quod interficeret sine canibus retibusque; et hoc voluit etiam, opinor, Pindarus, sed brevitate poetica solum id nominat, quod ma-

xime mirantur. — ἕρκεα, retia, cf. Heind. ad Platon. Soph. p. 285. Et vid. supr. ad Pyth. III, 80. — V. 52. λεγόμενον προτέρων, cave de omissa praepositione cogites, quum genitivus per se indicet id, unde quid fiat, cf. Buttmann. et Hermann. ad Soph. Philoct. v. 3. Similiter Ol. VIII, v. 44. φάσμα Κρονίδα πεμφθέν explicare debebam. — τράφε ἔνδον τέγει, ut Nem. VII, 44., ἔνδον ἄλσει ἔμμεναι. Iasonem, cf. Pyth. IV, Aesculapium Pyth. III. — V. 55. φαρμάκων μαλακόχειρα νόμον, medicamentorum tractationem et usum leni manu administrandum. Ad μαλακόχειρα cf. Ol. XI, 80, et Pyth. IV, 271. [Anth. Pal. VI, 244. ὠδῖνας νεύσαιτ᾽ Ἀντωνίῃ ἵλαοι ἐλθεῖν Πρηείας, μαλακαῖς χερσὶ σὺν Ἠπιόνης]. — V. 56. νύμφευσε δ᾽ αὖτις, rursus alio tempore nuptias conciliavit Thetidis cum Peleo, quae factae in antro Chironis. — ἀγλαόκαρπον, frugibus insignem, fruges alentem, epitheton alias non lectum de Thetide. Sed ut Neptunus dictus φυτάλμιος apud Argivos (Pausan. II, 32, 7.), quum plantae ex aqua nutrimenta capiant, sic etiam Thetidi, quae magna fuit in Phthia dea (Nem. IV, 50.), agrorum fertilitas ibi tribui potuit, ut lectio non videatur mutanda. Vide plura in Boeckhii editione dicta de sententia Welckeri. — V. 58. ἐν ἀρμένοισι πάντα θυμὸν αὔξων, convenientibus et utilibus rebus omnem animum alens s. penitus imbuens. Similiter τρέφειν, παιδεύειν ἐν φιλοσοφίᾳ, ἐν μουσικῇ dicitur, et Latine alere in disciplinis Gell. Nem. Att. II, 18. Obiter add. Aesch. Prometh. 538, φαναῖς θυμὸν (suum) ἀλδαίνουσαν ἐν εὐφροσύναις. Ad rem cf. Pyth. VI, 21; et quae hic in Boeckhii editione laudavi. — V. 59 sqq. Ut adultus ad Troiam summam laudem facinoribus fortissimis reportaret. Transit enim nunc ad virilem aetatem Achillis. — θαλασσίαις ἀνέμων ῥιπαῖσι πεμφθείς, splendide dictum, ut de Aiace Nem. VII, 29. — δορίκτυπον ἀλαλάν, impetum clamosum, hastarum strepitu frementem. — ἐν φρασὶ πάξαιτο, ut pugnans cum Aethiopibus illud infigeret animo, illud ne oblivisceretur, sed teneret maxime et curaret inprimis, ne Memnon iis rediret domum. Πάξαιτο, ut Homerus βάλλεσθαι, τίθεσθαι ἐνὶ φρεσίν, ἐῷ ἐγκάτθετο θυμῷ, aut στέρνοις ἐγκατατίθεσθαι Anthol. Lips. T. I. p. 78., porro γρά-

φεσθαι ἐν δέλτοις φρενῶν cf. supr. ad Ol. XI, 3. et κότον καρδίᾳ ἐνελάσῃ Pyth. VIII, 9. Adde alia e Latinis. Sic Liv. XXXIV, 50. „ut eas voces velut oraculo missas in pectora animosque demitterent." Virg. Aen. IV, 15. „Si mihi non animo fixum immotumque sederet, ne cui me vincto vellem sociare iugali." Tacit. Annal. XV, 5. „Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi." Sil. Ital. X, 644. „infixum est reducere." Ceterum aliam constructionem aliorum quorundam virorum ἐν φρασὶ πάξαιτο χεῖρας, „manum impingeret praecordiis eorum," pluribus refutavi in Boeckhii editione. — ἀνεψιὸς Ἑλένοιο, quum Helenus Priami filius esset, Memnon Tithoni, qui frater Priami, ut patrueles essent. Fuit autem inprimis nobile Achillis facinus Memnonis occisio. Quare addit: τηλαυγὲς ἄραρε φέγγος Αἰακιδᾶν αὐτόθεν, longe splendens gloria Aeacidarum apta est hinc, ex his Achillis rebus gestis; cf. Nem. VI, 50, πέταται δ᾽ ἐπί τε χθόνα καὶ διὰ θαλάσσας ὄνομ᾽ αὐτῶν, καὶ ἐς Αἰθίοπας Μέμνονος οὐκ ἀπονοστάσαντος ἐπᾶλτο. Adde Isthm. V, 20, 21. Ad ἄραρε vero, h. e. ἤρτηται, apta est, pendet inde, cf. Astium Animadv. in Plat. Legg. I. p. 33. Postremo etiam illud notabis, barbaros Lycios, Phryges, Dardanos, Aethiopes ab Achille victos simul ob Persicum bellum paullo ante hoc carmen gestum memorari suaviter, in quo Aeginetae excelluerant. Valde enim placebant iis hae fabulae, quasi praeludia recentium cum barbaris certaminum, pertinentque eodem Telamonis supra memoratae expeditiones adversus Laomedontem et Amazones. Atque haec hactenus. Nunc perlectis his laudibus Achillis, etiam formam loci mecum considera. Narrat poeta, ut Achilles in Chironis antro vivens puer leones aprosque occiderit et cervos celeritate assequutus sit; tum subiicit ante a Centauro Iasonem et Aesculapium educatos, ut sic magis elucescat Achillis laus, qui tertius post hos ab eodem eximie imbutus fuerit optimis quibusque virtutibus. Hinc ad res Troianas accedens non narrat has res ipsas directa oratione, ut fortasse exspectasti, sed ita ad Chironis institutionem omnia revocat, ut etiam obliqua oratione utatur per totum locum. Hoc vero cur fecit? Primum vides sic optime totum locum ad unam formam revocatum; neque enim prisca poesis inanes variationes quaerit, ut facit serior Alexandrinorum, sed continuationes

rerum, imaginum, figurarum grandiores amat. At enim nonne fortior et vividior directa narratio hic fuisset, et fracta vis est factorum hoc electo genere dicendi? Non fracta est, opinor, at temperata paullulum, et hoc ego pulcherrime factum dixerim. Nempe canuntur haec non iuveni ad nova facinora excitando, sed seni homini, quae aetas longe distat a virilium annorum robore et magis de sapientia audire amat quam de rebus gestis. Quid igitur? Nonne longe suavior necesse est fuerit Aristoclidae haec de institutione Chironis narratio, hoc ad sapientiae et virtutis tradita praecepta revocans omnia genus dicendi, quam ipsorum factorum fuisset expositio nervosior? Lenem potum in fine carminis ait se afferre Aristoclidae, non vinum vehemens; vides ipse, quam egregie etiam hoc loco praestet quod dicit.

V. 65 — ad finem. Redit ad Aristoclidem et absolvit huius laudes. — *Ζεῦ, τεὸν γὰρ αἷμα* sqq. Iuppiter, tuus enim sanguis Aeacidae, tuum etiam certamen Nemeaeum, h. e. Iuppiter, te post haec alloquor primum, qui et Aeacidarum pater es et Nemeae patronus. Tum ad Aristoclidem veniet. *γάρ* et *δέ* post vocativum vidimus Ol. IV init. Pyth. X, 10. Et vocativum verbo carentem etiam Pyth. I init. notavimus. — *ἔβαλεν*, quod certamen hymnus petiit telis suis, nota apud Pindarum metaphora, nisi quod hic hymno tribuitur quod vulgo poetae ipsi, cf. Ol. II, 89. — *χάρμα ἐπιχώριον*, per vocem iuvenum choreutarum laudes insulae iucundas canens. *χάρμα* de cantu iucundo Isthm. IV, 54. Et *κελαδέων* ut Ol. X, 13. *κόσμον*, et Pyth. I, 59. *ποινάν*. — V. 67. *βοὰ δὲ* cet. Cantus autem victori Aristoclidae competit, quum ornaverit insulam et Pythii Thearium victoriis suis. Sic transit ad hunc. Ad *πρέπει σὺν Ἀριστοκλείδᾳ*, h. e. *συμπρέπει*, conferunt Aesch. Sept. 13, Suppl. 474. Aberrat cum Scholiasta Passovii Lexicon comparans Aesch. Agam. 328, *οἶμαι βοὴν ἄμικτον ἐν πόλει πρέπειν*, quod ab hoc loco alienum. Tu confer potius Pind. Ol. II, 50. Pyth. V, 104. Nem. VII, 82. — V. 68 sq. *προςέθηκε λόγῳ νᾶσον καὶ Θεάριον*, ut dicitur *εὐλογίαις μεμίχθαι* Isthm. III, 1, aut Pyth. IX, 72. *εὐθαλεῖ συνέμιξε τύχᾳ πόλιν*. — *Θεάριον*. Fuerunt Theori sive Theari collegium sacerdotale degens et coenans in Theario, aedificio publico Apollini sacro, quale praeter Aegi-

nam Mantinea, Messenia, Troezen, Thasus habebant. Quum enim Athenis ad tempus crearentur *θεωροί* singulis *θεωρίαις*, in aliis civitatibus perpetui erant magistratus sacris legationibus instituti, qui oracula publice petebant et alia officia habebant cum hoc munere coniuncta, inprimis expiationes, ut videtur. Perpetui legati erant etiam Spartanorum Pythii, quatuorviri a regibus creati, ut Apollinem consulerent, ubi opus, et oracula religiose referrent, assessores regum et senatus, coenantesque cum regibus. Vide locos in Boeckhii editione a me indicatos et Müller. Hist. Dor. II, 18. Nunc quum Aristoclides Thearium illustrasse dicatur victoriis suis, liquet eum huius collegii socium fuisse, nec dubitabis etiam epinicia in Theario habita. — *ἀγλααῖσι μερίμναις*, egregiis conatibus suis et victoriis, cf. ad Ol. I, 108. — V. 70 sqq. Iam memoratis *ἀγλααῖς μερίμναις* viri pergit: Facto enim et usu summum perspicitur eorum quibus quis excellat, h. e. certamina enim si quis adit et experitur quid possit, spectatur summa vis virtutum quibus excellit, puer inter pueros, vir inter viros, provectior inter provectiores, ut Aristoclides pancratiasticae virtutis *τέλος* probavit per tres aetates, tribus victoriis reportatis, quae in fine indicantur. — *τέλος* scil. *τούτων ἅ*, pro quo *ὧν* per attractionem. — *ἐξοχώτερος*, ceteris praestet. — *ἐν παισί*, usque ad annum decimum octavum. — *ἐν ἀνδράσιν*, usque ad quadragesimum quintum, tum *ἐν παλαιτέροις* ab anno quadragesimo quinto ad senilem aetatem ultra sexaginta annos. — *τρίτον μέρος*, ut recte dicas *ἔξοχός εἰμι πρῶτον μέρος ἐν παισί, δεύτερον ἐν ἀνδράσι, τρίτον ἐν παλαιτέροις*, quum tres sint excellentiae partes, unaquaque aetate una. Dicas easdem puerilem, virilem et provectioris aetatis virtutem. Non est igitur *μέρος* pars vitae, ut Heynius explicat. — *ἕκαστον οἷον ἔχομεν βρότεον ἔθνος*, vertas: qualem quidem quamque harum partium habemus pro naturae humanae infirmitate. Positum igitur dicas *ἕκαστον οἷον* pr. *οἷον ἕκαστον*, ut solet etiam alias saepe postponi relativum, v. c. Demosth. d. Coron. Pag. 230., *ἑτέρῳ δ' ὅτῳ κακόν τι δώσομεν*, Sophocl. Electr. 643. *τέκνων ὅσων ἐμοὶ δύςνοια μὴ πρόςεστιν ἢ λύπη πικρά*, Trachin. 151. *τότ' ἄν τις εἰςίδοιτο κακοῖσιν οἷσιν ἐγὼ βαρύνομαι.* Virg. Georg. I, 167. „omnia quae multo ante memor provisa repones." Sed non laudaverim

hic hoc genus, et praeferam quod primum se offert, ut ἕκαστον, quemadmodum τρίτον μέρος, cum ἐξοχώτερος iunctum sit: Ceterum unaquaque parte tali, qualem eam habere licet. Sententia modeste adiecta in magna laude. — V. 74 sq. ἐλᾷ δὲ sqq., adducit vero etiam quattuor virtutes longa vita, senili puta addita tribus antecedentibus. Plane hic aberravit Hermannus quartam virtutem tribus antecedentibus aetatibus communem statuens, quum revera Pindarus eam longiori vitae, h. e. quartae aetati tribuat. Et hoc postulat universi carminis ratio penitus perspecta. — φρονεῖν δ' ἐνέπει τὸ παρκείμενον, iubetque cogitare praesentia, h. e. acquiescere praesentibus iisque frui contentum, nec quidquam ultra quaerere. Quum enim in antecedentibus aetatibus homo, dum vires vigent, magis in futuri quam in praesentis temporis cogitatione versetur, spes fovens et consilia agitans resque suscipiens alias atque alias, gloriae cupiditate stimulatus, senex, emenso ambitionis et contentionis curriculo, quod adest tenet et componit sapiens, atque hoc etiam Aristoclidae optime convenit post illustrem vitam. Haec est vera sententia poetae. Ceterum cf. formulas notatas ad Pyth. III, 109. Ac ne obiicias quod verum, posse hominem etiam aliis aetatibus φρονεῖν τὸ παρκείμενον et εὖ θέσθαι τὸ παρόν, idque saepe praecipi, Pindarus optime iudicat proprium quidem hoc maxime senectutis esse; sapientes fuerunt multi iuvenes et παλαίτεροι, propria tamen sapientia senectutis esse dicitur, ipsa annorum ratione (ὁ μακρὸς αἰών) ita ferente. Hinc συνετὴ ἡλικία dicta, cf. locos ap. Iacobs. Del. Epigr. p. 234. — ἐνέπει, iubet, cf. Delect. Epigramm. pag. 174. De forma verbi monet Buttm. Lexil. I. p. 280. Postremo φρονεῖν recte vides primo loco membri positum, quum opponatur actuosae vitae antecedentium aetatum. — V. 76. τῶν οὐκ ἄπεστι, atque has quattuor virtutes habet Aristoclides. — Sequitur exitus carminis — χαῖρε, vale. Recte vero nunc mutatur persona, quum intentior fiat oratio. Haec enim causa est, quum ad secundam personam transitur a tertia; vide quae alio in genere notat Lachmannus noster ad Propert. IV, 6 init. et IV, 12, 42. — ἐγὼ τόδε τοι πέμπω cet. verte: Ego tibi hoc mitto temperatum mel candido lacte, admixta vero spuma ambit, potum cantatum Aeoliis flati-

bus tibiarum, sero quidem. — πόμ' ἀοίδιμον ἐν πνοαῖσιν, carmen cantatum tibiis, ut Pyth. II, 69. τὸ Καστόρειον ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς. Add. Ol. V, 19. Isthm. IV, 27. Significat autem hunc potum bene apparatum, bene mixtum, quod Hermanno monente indicat spuma ambiens. Dicitur haec κιρναμένα, quae natans in superficie sic potui admixta est eiusque praestantiam auget. κιρνάμεν admiscere significat Isthm. IV, 25. Noli vero ἔερσαν vinum interpretari affusum ceteris; licet enim ἔερσα, δρόσος dicantur pro vino, cf. ad Ol. VII, 2, hoc tamen loco, ubi μέλι et γάλα nominantur, vinum non poterat indefinito vocabulo designari, sed οἶνος dicendum erat. Porro verba, κιρναμένα δ' ἔερσ' ἀμφέπει, ut in parenthesi addita, de quo cf. Pyth. X, 45. Tum subiicitur appositio πόμ' ἀοίδιμον. Dicendum nunc de sententia. Saepius vidimus supra in carminibus in convivio cantatis comparationes a potu peti; atque in convivio habito in Theario cantatum haud dubie etiam hoc carmen. Iam pulcre poeta Thebanus dicit: Mitto tibi suavem potum Boeotium ad convivium tuum. In Boeotia enim fertili plurima lactis mellisque copia erat, non item in Aegina, sterili insula; ibidem crescebant calami celebres in Copaide (Pyth. XII.); et Aeolios flatus tibiarum s. Aeoliam harmoniam dicens, ad quam cantatum sit carmen, simul Boeotios sonos Boeotiasque tibias significat hic ut in ceteris locis, quum Boeoti Aeoles essent. Sic causam vides, cur nunc tibias memoret, licet carmen etiam ad lyram cantatum sit (12). Postremo illud quaeras, quid similitudinis carmini huic intercedat cum melle et lacte; frustra enim usus est hac metaphora, estque ea plane inanis, nisi ratio interior carminis convenit. De quo iam in Introductione monui quid censeam. Dicit dulcem potum hoc carmen, quum dulci laude repletum sit (recordaberis μελιγάρυας ὕμνους, μελιγδούπους, μελικόμπους ἀοιδάς et ipsum μέλι Ol. XI, 102.) eundemque lenem, quum non ad novas res gerendas excitet ut vinum fervens, sed tranquillitatem spiret et contentum praesentibus animum senilem praedicet, ne repetam quae de bellicarum rerum Achillis tractatione leniore disputavi. Credas hinc etiam harmoniam rhythmorum Aeoliam explicandam, quae nunc lenior et mollior, quum Dorica fuisset nervosior. — V. 80. ὀψέ περ. Est igitur carmen diu post Nemeaeam victoriam scri-

ptum, ut interim senex factus esset Aristoclides. — ἔστι δ' αἰετὸς ὠκὺς ἐν ποτανοῖς, est vero aquila velox inter volucres, velocissima avis, cf. Pyth. IV, 281. Comparatio aquilae, quae celeriter capit e longinquo delata cruentam praedam, significat poetam scopum quem petit facili certoque volatu assequentem remque propositam optime tractantem. Sensus igitur: Sero quidem mittitur carmen, at a poeta, qui, ubi rem aggreditur, eam tractat eximie. Sed quum haec sic nude dicta displicuissent magnopere, metaphora usus est ut alias, cf. ad Ol. II, 88. Ceterum ποτανός est forma Pindarica ubique, quum alias habeantur etiam πετεινός, πετεεινός, πετεηνός, πτηνός. — V. 82. Clamosi vero graculi humilia loca tenent, cf. Ol. II, 86 sqq. — κραγέτην κολοιόν hinc petiit Philostr. iun. Imagg. 6. Additur oppositio graculorum, ut magis extollatur antecedens sententia, plane ut supr. v. 41. Intelligit autem ceteros temporis sui lyricos omnino, non solum Simonidem et Bacchylidem. — V. 83 sq. Sequitur ultima sententia: Tibi vero Clio volente propter fortitudinem victricem e Nemea, Epidauro, Megaris splendet gloriae lux, quare etiam hac de causa non potuisti detrimentum capere ex retardatione carminis. Clio cur hic memoretur, exposui supra v. 16. — Mox iunge ἀπὸ Νεμέας καὶ ἀπ' Ἐπιδαυρόθεν, ut est ἀπ' οὐρανόθεν Hom. Il. XXI, 199., ἐξ Αἰσύμνηθεν Il. VIII, 304. Add. interprett. ad Soph. Antigon. 106. Sunt autem Epidauri Ἀσκληπιεῖα habita teste Scholiasta ad h. l. — De Megaricis ludis dictum Ol. VII, 86. — Postremo maxime notabilis hic locus eo, quod explicationem continet antecedentium, quae sine eo intelligi non possent. Quum enim Aristoclides per tres aetates vitae excelluerit, ut Aeacidarum gens, nunc memoratas videmus tres victorias ad has aetates referendas. Ac Nemeaea quum ultima esset, reportata fuit provectiore aetate, Epidauria virili, Megarensis puerili, suaviter poeta remotissimam tempore victoriam etiam ultimo loco memorante. Solebant autem Aeginetae pueri quum alios tum Megaricos frequentare ludos. Atque ita absolvitur carmen non infimum inter Pindarica.

Carmen Nemeaeum quartum.

INTRODUCTIO.

Timasarchus Timocriti filius, puer Aegineta, vicerat Athenis et in Heracleis Thebanis in Nemea lucta, ortus e Theandridarum clara gente, qui in Isthmo, in Nemea, et in Olympia victorias tulerant, nec redibant sine coronis, quoties certamina adibant. De tempore huius victoriae nihil constat; reportata tamen circ. Ol. 80 videtur, quo Melesiae magistri facta in fine mentio ducit. Carmen cantatum publice in pompa, quum victor sollemniter introiret in urbem, ut docet metrica ratio monostrophica, comparato carmine Nem. IX. Canebat autem chorus puerorum, quod vidit Scholiastes ad v. 14., et dies fuit novilunium, indicante Pindaro v. 35. Accedimus ad argumenti enarrationem. In prooemio postquam laudata est vis poesios recreatrix post labores certaminis exantlatos, transit ad victorias Timasarchi, quibus valde laetaretur pater, si viveret, caneretque saepe ad citharam hunc hymnum filii laudes complectentem, qui in Nemea vicit et Athenis et Thebis, amicissima Aeginae urbe, ut amici fuerunt mythico tempore Hercules et Telamo. Cum Hercule enim Telamo olim Troiam vicit et Meropes et Gigantem Alcyoneum, licet non sine gravi labore, quum duodecim currus et viginti quattuor viros in curribus iacta rupe antea delevisset Gigas terribilis. In certaminibus qui inferunt cladem, eos vicissim etiam pati aliquid convenit. Iam revocat se Pindarus ab harum rerum tractatione, castigatisque in transitu invidis reprehensoribus carminum suorum, ad Aeacidarum gentem celebrandam accedit. Recenset autem omnes excepto Telamone supra memorato, Teucrum, Aiacem, Achillem, Thetidem, Neoptolemum, ut diversissimis in regionibus colantur, et postremo in Pelei nomine subsistit, qui Iolcum ceperit post Hippolytae artes et Acasti insidias superatas, et Thetidem vicerit matrimonium recusantem, videritque deos in nuptiis suis praesentes et dona praebentes. Memoratis his mythicis rebus ad prae-

sentia reversus Theandridarum dicit se venisse paratum praeconem, qui in plurimis sacris ludis vicerint et, quoties certent, cum coronis domum redeant, ubi epiniciis cantibus excipiantur. Atque ut moris est in his carminibus, ut cognati defuncti laudentur, nominatim Calliclem avunculum memorat, cuius laudes, si postulentur, dignissime in Isthmo se celebraturum ait, ubi ille olim vicerit; cecinisse vero eosdem prius iam Euphanem avum Timasarchi. Postremo laudatur magister pueri Melesias, ut fit in talibus. Haec hactenus. Restat, ut de vera ratione carminis moneam, quod non feci in Boeckhii editione. Igitur ut a media parte rerum ordiar, quemadmodum Aeacidarum Aeginetica gens distincta est heroibus multis eximiis, diversissimis in locis terrae qui coluntur, ita Theandridarum, ait, nobile genus viris floret praeclaris plurimis: viget eius gymnica gloria in celeberrimis ludis, atque etiam musicae deditum est eximie, ut poetae duo lyrici eodem tempore inter eos exstiterint. Sentis ingeniosam poetae sententiam; plane magnificam laudem habet et minime ieiuna est, sicubi explices, tot Aeacidarum illustrium enumeratio; ac quid etiam pompae aptius inveniri potuit per Aeacidarum urbem incedenti? Accedimus nunc ad Timasarchum, qui, Theandridarum unus, origine sua prae ceteris dignus est. Eximie ornatus gentis laude, ornatur vero etiam peculiari laude idque bis. Nam quum non sine gravi labore victoriam tulisset attrito corpore, comparantur Hercules et Telamo, qui nonnisi post magnam cladem prostraverunt Gigantem. Deinde etiam Pelei laus ceteris uberius tractata Timasarchum spectat haud dubie. Ut Peleus Iolcum cepit et Thetidem vicit coniuxque factus Nereïdis deos habuit praesentes in nuptiis, sic Timasarchum iam puerili aetate tribus in locis victorem significat Pindarus alia eximia gesturum in posterum, immo inprimis illustre decus futurum gentis, et qui maximam ei gloriam allaturus sit. Quaeras cur hoc si voluerit Pindarus, non Achillis potius res gestas narraverit. Nempe Pelei fortitudo etiam fortuna pulcherrima ornata est, ac monui ad Pyth. XI. Pindarum in carminibus, quae pueris scripsit, interdum etiam amores et coniugia ostendere, cuius rei statim in sequenti carmine luculentius exemplum videbimus. Sic igitur hoc loco in Pelei rebus simul coniugii dico suave augurium inesse puero in amoris limine consti-

tuto, qui, ut nunc attritus certamine hymni laude recreatur, olim alios dulces honores post eximia facta experietur. Atque ita absolvitur carmen, quod Timasarchum laudat, uti vides, tanquam inprimis illustre decus gentis suae, huius autem praestantiam cum Aeacidarum gentis praestantia componit.

EXPLICATIO.

V. 1 — 8. Prooemium. De carminum vi recreatrice post certaminis laborem. Cur hanc sententiam nunc tractet, ad v. 32. explico. — V. 1. Optimum est hilaritas laborum peractorum lenimen. — *εὐφροσύνα*, victoris, ut Pyth. XI, 45. — *ἰατρὸς πόνων*, cf. Pyth. IV, 187. Ad formulam Aesch. Choeph. 693. *ἰατρὸς ἐλπίς*. — *κεκριμένων*, h. e. *κρίσιν λαβόντων, συντελεσθέντων*, ut notat Schol. — V. 2 sqq. Carmina vero suavissime deliniunt eum, s. nihil autem magis hymno epinicio eum exhilarat. — *νίν*, *τὸν νικῶντα*, notante Boeckhio in Nott. critt. Referendum igitur pronomen ad notionem latentem in antecedente sententia. Male Aristarchus ad *εὐφροσύναν* id trahebat, quem sequitur Heynius, nec minus aberravit Didymus *πόνους* supplens. — *αἱ σοφαὶ Μοισᾶν θύγατρες ἀοιδαί*, scitae Musarum filiae cantilenae, scita carmina, quae docent Musae; cave enim personificationem inesse statuas, cf. ad Ol. II, 30. Et vide *θύγατρας ἀοιδάς* similibus locis illustrantem Iacobs. ad Anthol. T. VII. p. 392. Delect. Epigr. p. 82. Ceterum *σοφόν* nosti de rebus et personis dici. — *ἁπτόμεναι*, ubi eum tangunt. Vox bene addita, quum statim comparetur aqua calida, quae tangens corpus reficit. — V. 4. *μαλθακὰ τέγγει γυῖα*, recreat lavando, ut mollia fiant quae tarda, gravia. Vid. de construct. Ol. I, 68. Ipsum *τέγγειν* constat esse aqua mollire aut macerare, cf. Valcken. ad Eurip. Hippol. v. 303. Ruhnk. ad Tim. Lex. Plat. p. 248. Sunt autem dura et rigida membra quae labore defessa et fracta. — V. 5. *τόσσον* pr. *ὅσον*. Comparat Hermannus Callim. Hymn. in Apoll. 94. ibique interprett. et in Del. 246. — *εὐλο-*

γία φόρμιγγι συνάορος, laus citharae socia, ad citharam quae canitur. Hom. Od. VIII, 99. φόρμιγξ συνήορος δαιτί. Ad totam loquutionem cf. Horat. Od. IV, 9, 4. „verba loquor sociandа chordis," ibique Mitscherl. — V. 6. βιοτεύει de perennitate cantus, ut vivere Horat. Od. IV, 9, 11. Et cf. ζῆν pr. vigere semper ap. Musgr. ad Soph. Oed. R. 482. — V. 7. sq. ὅτι κε σὺν Χαρίτων τύχᾳ cet., quod quidem fausta Gratiarum ope lingua e mente prompserit profunda. De Gratiis in his explicationibus saepe monuimus. σὺν τύχᾳ, ut Nem. VI, 25. σὺν θεοῦ τύχᾳ et Nem. V, 48. Μενάνδρου σὺν τύχᾳ. Pro optativo ἐξέλοι noli postulare coniunctivum (Seebodii Archivum Ann. 1825. p. 681.), Modestior optativus in re, quae non sine Gratiarum ope fit. — φρενὸς βαθείας, veluti Theogn. 1051. μή ποτ' ἐπειγόμενος πρήξῃς κακόν, ἀλλὰ βαθείῃ σῇ φρενὶ βούλευσαι. Significatur igitur ῥῆμα σοφόν. Sic βαθὺς τῇ ψυχῇ, τῇ φύσει est prudens et consideratus vir Polyb. VI, 24, 9; XXI, 5, 5. Athen. IX. p. 377. c. et ἤθεα βαθύτερα dicit Herod. IV, 95., ubi cf. Wessel. Nec omittamus magnificum locum Aesch. Sept. 578. βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος, ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα, ubi vid. Blomfld.

V. 9 — 32. Transit ad victorias Timasarchi, quas laudat. — V. 8 sqq. Hoc mihi afferre Iovi et Nemeae Timasarchique luctae pro hymni exordio liceat. — θέμεν, dedicare. — Δι, monosyllabum, vide notatum Boeckhio ad Ol. XIII, 102. Nott. critt. — προκώμιον, prooemium, qualia constanti usu per totum Pindarum vidimus; quum κῶμοι sint ὕμνοι ἐπικώμιοι, nunc προκώμιον dicit poeta quod Pyth. VII init. προοίμιον dixit. Ceterum cum prooemio liquet universum carmen iis, quos dicit, consecrari. — V. 15. δέξαιτο cet., recipiat vero benigne id Aeacidarum munita sedes, urbs Aegina, iustitia advenas sublevante communis omnibus salus. Aptissima sententia in carmine publice canendo in pompa per urbem incedente. Fuit autem urbs munitissima, ut novem mensium oppugnationem sustinuerit postea, aggredientibus Atheniensibus, cf. Müller. Aeginet. p. 146. — Αἰακιδᾶν ἕδος, bene iam nunc praeparat sequentes infra laudes gentis. — δίκᾳ ξεναρκεῖ, cf. ad Ol. VIII, 26. Suaviter vero

iterum hac laude utitur, ut Nem. III init., optans, ut quae omnes advenas admittat hoc quoque carmen carminisque prooemium benigne recipiat. — Denique ad *φέγγος* cf. Pyth. V, 52. — V. 12 sqq. *εἰ δ' ἔτι ἐθάλπετο* cet., si vero pater tuus viveret, is inprimis laetaretur hoc hymno. Quum moris sit in his carminibus pueris scriptis, ut parentes cognatique defuncti memorentur, commodissime sic et patrem laudat et ad victorias Timasarchi ipsas transitum munit. — *ζαμενεῖ ἁλίῳ ἐθάλπετο*, substituente nunc lyrico pro epica generaliori formula: *ὁρᾶν φάος ἠελίοιο*, peculiarem e praesenti tempore credo ductam. Suspicor enim victoriam hanc Nemeaeam reportatam aestiva Nemeade, quae agebatur Olympici cycli anno quarto, mensis Metagitnionis Attici d. XII., ut media aestate carmen scriptum sit, ubi *ζαμενής* est sol. Ceterum *ζαμενής*, *ὀξύς* sol Latinis proprie acer dicitur, cf. Heindorf. ad Horat. Satir. p. 162. — *ποικίλον κιθαρίζων*, ut *χαρίεν*, *ἐρατόν*, *ἱμερόεν*, *λαμπρὸν κιθαρίζειν*. Fuit igitur pater poeta lyricus, ut Euphanes in fine memoratus, florente tunc maxime poesi lyrica quum alibi tum inter Dorienses, cf. Müller. Dor. II. p. 375. — *τῷδε μέλει κλιθείς*, s. *προςκλιθείς*, huic carmini applicans animum. Est igitur de studio, quo quid amplectimur. — *θαμά κε*, is igitur saepe cecinisset hymnum ferentem laudum e tribus victoriis complexum. — *ὅρμον στεφάνων*, sertum coronarum, ut Ol. II, 74. *ἀνθέμων*, ubi cf. Boeckh. Nott. critt. Est ab *εἴρειν*, *εἱρμός* (Buttm. Lexil. I. p. 112.), ut Nem. VII, 77. *εἴρειν στεφάνους*. Sunt igitur *στέφανοι* metaphorice nunc dicti pro laudibus, ut loco laudato, et *πέμψαντα* est deducentem, adducentem. Male vero Bernhardy Grammat. p. 121. hoc participium ad Timasarchum trahit, ut sit *ὕμνον κελάδησε Τιμάσαρχον πέμψαντα*, de qua constructione certum est Pindarum non cogitasse. — Porro iunge *στεφάνων Κλεωναίου ἀπ' ἀγῶνος καὶ ἀπ' Ἀθανᾶν ἐν Θήβαις τε*, coronarum, quae partae e Nemea, Athenis et in urbe Thebarum, cf. Isthm. V, 61. Pyth. VII, 13. collat. Ol. I, 94., et utramque constructionem iunctam Ol. XII, 19, 20. Dicit vero *Κλεωναῖον ἀγῶνα* Nemea, quum Cleonaei diu praesides essent horum ludorum, cf. dicta in Boeckhii editione. — *λιπαρᾶν* notissimum Athenarum epitheton, ut aliarum urbium; cf. Boeckhii editionem ad h. l. et indices Pindari.

Ceterum ex laude Athenarum vides nondum fuisse tum ortum bellum inter hos populos. Ludi qui sint intelligendi, non constat, etiam Scholiasta notante; plures enim ibi erant, cf. Ol. VII, 82. — V. 20 sq. *οὕνεκ' Ἀμφιτρύωνος* sqq., quandoquidem apud Amphitryonis sepulcrum Thebani non inviti cum coronarunt Aeginae gratia. — *νίν*, redeunte poeta ad tertiam personam a secunda, transitu maxime Pindarico. Sic Nem. V post vocativum v. 43. sequitur tertia persona v. 45. Minime igitur inde concludas praecedens *πέμψαντα* ad Timasarchum pertinere. Non cogitavit de Pindaro Bernhardy Gr. p. 423., frigidum dicens transitum a secunda persona ad tertiam. — De Amphitryonis sepulcro vid. Pyth. IX, 81. Habita ibi ante portas Proetides Heraclea s. Iolaia, de quibus dictum ad Ol. IX, 98. — *Αἰγίνας ἕκατι*. Iterum poeta et nunc quidem luculenter tractat amicitiam Aeginetarum et Thebanorum, de qua re dixi Nem. III, 4 et 37. Adde exposita ad h. l. in Boeckhii editione. — V. 23. *κατέδραμεν*, subiit, *κατέδυ*, Hom. Od. IV, 249. — *Ἡρακλέος ὀλβία αὐλά* quae sit, incertum; intellexeram Heracleum situm ante portas Electras, memoratum Pausan. IX, 11, 2., ubi vota nuncupasse certatores ante ludos credebam. Müllerus tamen Amphitryonis domum ibidem sitam intelligere mavult Hist. Dor. I. p. 430., ubi igitur etiam Hercules olim habitaverit. Haec *ὀλβία* dicta, ut sunt heroum *ὄλβια δώματα*. Fatendum est *αὐλάν* pro templo positam sine exemplo videri, quare nunc in amici sententiam discesserim, ac ne quaeras quid voluerit ibi Timasarchus, non improbabile est, ut vidit Müllerus, *καταλύσεις τῶν ἀθλητῶν* ibi fuisse, veluti *καταλύσεις τοῖς ἐπὶ τὰ Ἴσθμια παραγεινομένοις ἀθληταῖς* factae memorantur in Boeckh. Corp. Inscript. V. I. fasc. III. p. 573 sq. nr. 1104. Sic sensus qui esse debet: Amicis enim amicus veniens ingressus est urbem, ut certaret in Heracleis. — V. 25 sqq. Cum quo amicitiae foedus habuit Telamo olim, ut hodie amicae sunt duae urbes. — *πόρθησε*, cf. Nem. III, 37. Ibidem vidimus expeditionem contra Troiam. Post hanc Meropes victi, qui insulam Con tenebant; cf. Schol. et Heyn. ad Apollod. p. 183. Quae fabula orta per Heraclidas ab Antipho et Phidippo Thessali filiis descendentes, qui huc venerant, cf. Müller. Dor. I. p. 421 et 449. —

Denique Alcyoneus Gigas debellatus fertur. Diximus de Gigantomachia ad Nem. I, 67. Et confer quae hic in Boeckhii editione notata sunt etiam de loco pugnae. Postremo monendum has tres expeditiones similiter Isthm. V, 29 sqq. coniunctim memorari. — V. 28. οὐ τετραορίας γε πρίν cet., non antequam duodecim currus et viginti quattuor viros, qui in curribus erant, iacta rupe perdidisset Gigas. More Homerico erant in unoquoque curru duo heroes. — ἕλεν, per zeugma, plane ut Hom. Il. XI, 228. — V. 30. ἀπειρομάχας ἐών κε φανείη κ. τ. λ., imperitus sit pugnae qui hoc non intelligat, hanc traditionem incredibilem dicat. Sequens dictum similibus versibus et formulis pluribus illustrat Blomfld. ad Aesch. Choeph. v. 307. — Explicitis singulis in fine loci restat ut videamus, cur haec ita posita sint a Pindaro. Nempe, quod sensit etiam Scholiastes ad hunc locum, Timasarchus valde laboraverat in lucta, nec nisi post casus quosdam attrito corpore tulerat victoriam. Ad hos graves labores pertinet etiam prooemium de vi recreatrice carminum, calidaeque aquae membra defessa reficientis comparatio. Ac non taceri talia pericula certaminis vidimus iam Ol. XI, 15. Sic igitur nunc laudans eximie luctatorem puerum Herculis et Telamonis rebus gestis comparatis, eundem etiam solatur suavissime proposito illorum heroum exemplo.

V. 32 — 69. Revocat se ab his rebus, castigatisque in transitu reprehensoribus suis ad Aeacidarum gentem celebrandam accedit, et nunc quidem multis eam eximiis heroibus ostendit distinctam, qui in diversissimis regionibus colantur. — V. 32 sqq. Plura exponere prohibet me lex hymni et tempus properans; iynge vero trahor, ut ea novilunii die tangam. Tamen quanquam tenet altum maris aequor iam medium, obsiste insidiosis illecebris. — τεθμός videtur esse lex et ratio carminum epiniciorum, ex qua non licet ultra modum evagari et iusto diutius in una re versari, sed redeundum est in tempore, ut etiam cetera tractentur, quae res postulat. — ὧραι τ᾽ ἐπειγόμεναι quidam explicant: quum carmen ad certum diem promissum sit; ego malim: quum alia multa canenda

restent. — De Iynge vid. Pyth. IV, 214. Et ἕλκεσθαι proprium in rebus magicis, ut Theocrit. II, 17. Add. ducere ap. Latinos. Virg. Eclog. VIII, 68. ibiq. Voss. Denique νουμηνία videtur inprimis consecrata fuisse epiniciis celebrandis, ut colligi potest e Scholiis ad Nem. III, 2. Iam dicere videtur poeta se in diversas partes trahi; retineri quominus pergat τεθμῷ et ὥραις ἐπειγομέναις, trahi ut haec ulterius exponat magica quadam vi, quum novilunium sit et epinicia habeantur, quibus hoc argumentum maxime aptum. Et verborum collocatio optima est. Nam quum substantiva et verba sibi opposita sint, per se dici potuit τεθμὸς ἐρύκει, ἴυγγι δ᾽ ἕλκομαι, aut ἐρύκει τεθμός, ἕλκομαι δ᾽ ἴυγγι, aut denique ἐρύκει τεθμός, ἴυγγι δ᾽ ἕλκομαι, quam collationem hic praetulit, veluti Nem. IX, 39, 40., estque ea elegantissima et saepe usurpata scriptoribus. Pergit: Tamen obsiste huic Iyngi, his insidiosis illecebris, in quo ἐπιβουλία dicta, ut ap. Lucian. de Saltat. c. 3. ἐπιβουλεύειν τοῖς ᾠσί de Sirenibus Ulyssem cantu allicere conantibus. Atque ita fere etiam Heynius nexum loci cepit. Boeckhius autem explicat: „Iynge vero trahor, ut novilunium attingam,“ non construens θιγέμεν αὐτῶν, sed θιγέμεν νουμηνίᾳ, quum constet hoc verbum etiam cum dativo iungi (Pyth. IV, 296.), ut vix separari possint proxime positae duae voces. Sic hic locus et antecedens revera non oppositi sunt. Sed primum non attingit novilunium in iis, quae proxime sequuntur, sed iterum digreditur ad Aeacidarum gentem. Deinde ex hac ratione ἐπιβουλία maris est ἴυγξ, vis retrahens e mari, quum tamen hae voces non videantur diversae, sed unam eandemque rem spectare. Denique ἔμπα, etiamsi id non ad priora, sed ad καίπερ referendum dicas, incommodum meo sensu; exspectaverim potius καίπερ ὤν, quanquam igitur, similemve iuncturam. — V. 37 sq. σφόδρα δόξομεν sqq., tum videbimur adversariis superiores cum laude discedere. Haec verba pro apodosi sunt antecedentis sententiae, pr. si obstiteris, videbimur superiores. Veluti Cicero Tuscul. IV. 24., dicit: „Tracta definitiones fortitudinis; intelliges eam stomacho non egere.“ Credo sic explicandum Hom. Il. XXIII, 71. θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω. Altera iunctura in talibus est per καί, ut Pyth. IV, 165. τοῦτον ἄεθλον ἑκὼν τέλεσον, καί τοι μοναρχεῖν καὶ

βασιλευέμεν ὄμνυμι ποιήσειν. Aristoph. Nub. 1481., ἐμοὶ δὲ δᾷδ᾽ ἐνεγκάτω τις ἡμμένην, κἀγώ τιν᾽ αὐτῶν τήμερον δοῦναι δίκην ἐμοὶ ποιήσω. Demosth. d. Coron. P. 264., δειξάτω, κἀγὼ στέρξω. Plat. Theaetet. P. 154, c. λαβέ, καὶ εἴσει. — ἐν φάει καταβαίνειν, petitum a victoribus, qui post res bene gestas inter spectatorum admirationem discedunt, ac καταβαίνειν pr. discedere dicitur, quoniam discedentes spectatoribus oculis eos persequentibus descendere viam videntur. Exquisitos usus habet haec vox, non semper animadversos. Aliud est ἔρχεσθαι ἐν φάει, incedere, esse, versari in luce. — V. 39 sq. φθονερὰ δ᾽ ἄλλος ἀνὴρ βλέπων cet., cum invidia autem alius quis intuens consilium inane in tenebris volvit caducum, h. e. frustra nocere conatur. Hinc cumulate dictum κενεὰν χαμαιπετοῖσαν. Aberrat enim Passovii lexicon humile consilium interpretans; potius χαμαιπετής Ol. IX, 12. Pyth. VI, 37. conferendum erat. — κυλίνδει, gravius quam ὁρμαίνει, est huc illuc versat sedulo, et tamen frustra. Porro praesens pro futuro dictum. Causa rhetorica huius permutationis alis in locis affirmatio est, ut in praedictione certae rei, in promissis minisque (Ol. VIII, 42. Hom. Il. XI, 365.), in aliis descriptionis vis, quum aliqua res luculentius ob oculos ponitur, veluti Pyth. IV, 49., et hoc loco. Quae vellem distingui in grammaticis nostris. Accedere possunt grammaticae causae, si forma futuri commoda in verbo non adest, et metricae; summa tamen est rhetorica lex. Quod enim cum sententiae ratione pugnat, declinandum quovis modo est, et verba potius substituenda alia quam tempus alienum admittendum. — σκότῳ, in tenebris, h. e. tecte, ut in mala re; dicunt σκότῳ s. ἐν σκότῳ et κατὰ σκότον (Soph. Philoct. 578.). — Denique ἄλλος ἀνήρ cum contemtu, ut Ol. VI, 74. — V. 41 sq. Mihi vero qualem facultatem dedit fortuna potens, ut probe scio, tempus insequens fato destinatam perficiet. Non poterunt igitur isti calumniis suis me impedire in cursu meo. — πότμος ἄναξ, ut Pyth. III, 86. ὁ μέγας πότμος, quare minusculam literam praetuli; nam si ibi persona non est, cur sit hoc loco? Volunt propter additum ἄναξ, sed quidni domina omnium rerum vis fati dicatur rectissime absque personificatione? — Restat, ut

de universo loco pauca addamus. Tangit Pindarus carminum suorum reprehensores quosdam, quibus, ut videtur, fabularum digressiones quaedam displicuerant. Vide enim: Revocans se ab antecedente digressione, quod plerumque breviter facit, nunc in duas partes trahi se dicit et magica quadam vi ad pergendum duci, tamen obsistere illecebris. Quibus verbis quid aliud quam ostendit minime coeco impetu abripi se nec temere continuare digressiones, sed modum ponere scire simulac ratio imperet? Fuerunt autem hi reprehensores lyrici quidam poetae, ut apparet e verbis *φθονερὰ βλέπων*. Perpetua tum erat lyricorum aemulatio et cavillatio; quodsi quid gravius vituperatum erat, prima oblata occasione se defendebant, ne crederet multitudo et gloria minueretur. — Iam a V. 45. ad nova accedit. Pertexe, dulcis cithara, etiam hoc statim Lydia cum harmonia carmen. Quare ne morare istos ait, sed utere facultate qualem fortuna dedit. — *ἐξύφαινε*, cf. ad Pyth. XII, 8. — *γλυκεῖα* hic dicitur cithara, ut significet se nunc post acerba, quae inimicis dixit, ad laudes redire, cf. ad Ol. II, 90. Ac quum carmen ad Lydiam harmoniam caneretur, commode etiam hoc additur, quia dulcis est haec harmonia, cf. Boeckh. de Metr. Pind. p. 240. — *πεφιλημένον*, quod dilectum sit Aeginae ceterisque locis, ubi Aeacidae regnant. Quorum poeta diserte *Κύπρον* nominat, quippe ad hanc statim transiturus; cetera loca e sequentibus ipse addes. — V. 46. *Οἰνώνα* vetus nomen Aeginae est. — *ἔνθα Τεῦκρος ἀπάρχει*, ubi Teucer procul a patria regnat. Est *ἀπό* procul, ut sunt *οἱ πρόσω ἀποικοῦντες* Xenoph. Oecon. IV, 6. cf. Valcken. Adon. p. 238., ubi etiam alia. Colebatur autem Teucer in Cypro pro heroe, ubi etiam posteri eius usque ad Euagoram regnum tenuerunt, cf. Pausan. II, 29, 4. Urbs ab eo condita dicebatur Salamis. — *Αἴας Σαλαμῖν᾽ ἔχει*, templum Aiacis in insula commemorat Pausan. I, 35, 2. — Et *πατρῴαν* oppositionis causa additum, quum Teucer non regnaret in patria. — V. 49. *φαεννὰ νᾶσος* est Leuce, insula parva in ponto Euxino ad Istri ostia, Achilli sacra, qui ibi templum habebat. Videntur haec sacra a nautis Aeginetis huc delata esse. Colebatur ibi cum Iphigenia. Vide de his locos indicatos a me in Boeckhii editione. Nuper vero vir doctus Köhler in Actis Academiae Petropolitanae

ann. 1828 erudite de hac insula disputavit. — V. 50. *Θέτις δὲ κρατεῖ Φθίᾳ*, quum Thetis eximie coleretur in Thessalia, cf. Boeckhii editionem. Quum autem poeta hoc agat, ut Aeacidas omnes enumeret diversissimis in locis cultos, memorat etiam Thetidem, quae Peleo nupta in gentem Aeacidarum venerat, ut transeunt uxores in mariti gentem. — Neoptolemus autem post Troiam eversam discesserat in Epirum, ubi ex eo tempore genus eius regnabat, cf. Nem. VII, 38 sqq. Ibi igitur Neoptolemus haud dubie pro heroe colebatur. — *διαπρυσίᾳ*, late patente, cf. de voc. ad Hom. Il. VIII, 227., et ad Hesych. T. I. p. 962. — V. 52 sq. *βουβόται τόθι πρῶνες* cet., ubi pascuis apti colles descendunt a Dodona ad Ionium mare. Erat Epirus montana et pascua ibi praestantissima; cf. quae laudavi in Boeckhii editione. Dodonam vero quis nescit? — *κατάκειντai*, paullatim descendunt; cf. Ustica cubans Horat. Od. I, 17, 11. ibiq. similia ap. Mitscherl. Contra *ἕστασαν κρημνοὶ* Hom. XII, 55. erecti stabant. Soph. Antig. 985. *ὀρθόπους πάγος*. — V. 54. Denique ad Peleum venit. Ad Pelii vero pedem Iolcum, hostili vi aggressus, Peleus redactam in servitutem tradidit Haemonibus s. Thessalis. Müllerus meus Hist. Orchom. p. 257. bene monet Acastum ultimum fuisse Minyarum Iolci regnantium; Minyarum imperio successisse Thessalorum dominationem. Fabulae tamen a Peleo eam Thessalis traditam ferebant, cf. ad Nem. III, 34., ubi eadem res narratur. Quare Pindarus hoc dicit: Iolci vero apud Thessalos Pelei nomen clarum habetur ut insigniter de ipsis meriti. — *πολεμίᾳ χερὶ προστραπών*, veluti dicitur *ἱκεσίᾳ χειρὶ ἔρχεσθαι*. *προστραπών* autem est gressus admovens s. accedens, pr. *προστραπόμενος*. Similiter *ἐπιστρέφειν*, *ὑποστρέφειν*, *στρωφᾶν*, *νωμᾶν*, *ἐπινωμᾶν* (nam etiam *ἐπινωμᾶν* equidem huc refero Soph. Philoct. v. 167.), *πελάζειν*, alia intransitive dici satis constat. — V. 57. *δολίαις τέχναισι χρησάμενος*, Hippolytae fraudulentas artes expertus, ut dicitur *τύχῃ*, *δυστυχίαις*, *δυσπραγίαις*, *συμφοραῖς χρῆσθαι*. Add. Wyttenb. ad Plutarch. T. VI. P. 1. p. 567. De re cf. Nem. V, 26 sqq. et supra ad Nem. III, 34. et hic Scholia. — V. 59. *τᾷ δαιδάλῳ δὲ μαχαίρᾳ* sqq., parabat ei mortem ex insidiis Acastus per artificiosum ensem,

h. e. subducto praeclaro ense, quem Vulcanus Peleo fabricaverat. Hunc abdiderat Acastus, ut Peleus eum quaerens in Pelio monte a Centauris occideretur. Vide de hoc ense nobilissimo Boeckh. Nott. critt. et quae a nobis in Boeckhii editione ad h. l. exposita sunt. — ἐκ λόχου, insidiose. — V. 60. ἄλαλκε — ἔκφερεν, Chiro autem depulit periculum et fatum a Iove constitutum ad exitum perduxit. Comparabis ἐξικέσθαι, ἐξήκειν, ἐκβαίνειν. At Soph. Oed. Col. 1424. ὁρᾷς τὰ τοῦδ᾽ οὖν ὡς ἐς ὀρθὸν ἐκφέρει μαντεύματα, Hermannus vertit: Vides ergo ut huius vaticinia ad eventum ruunt. In fatis autem erat, ut Peleus Thetidem duceret, quod perfecit Chiro servans heroem et has nuptias concilians. — V. 62 sqq. Thetis quum varias formas indueret, mutaretur in ignem, aquam, in leonem, draconem, Peleus a Chirone monitus ista omnia cohibuit et domuit, donec se traderet ei dea; cf. Scholia hic et Nem. III, 35. Et Iacobs. Delect. Epigr. p. 460. — σχάσαις, ἐπισχών, veluti Eurip. Phoeniss. 967. — ἀκμάν, cf. Ol. II, 63. — V. 67. εἶδεν δ᾽ εὔκυκλον ἕδραν, viditque rotundam sedem, cui summi dii insidentes dona et potentiam ei exhibuerunt ad posteros duraturam. De praesentia deorum in Pelei nuptiis celebratissima vid. ad Pyth. III, 92. Videtur autem εὔκυκλος ἕδρα una sedes fuisse, in qua divisi singulis diis loci, ut in uno Amyclaei Apollinis throno plures sedes fuerunt; cf. Pausan. III, 19, 1. Supra Pyth. III. dixit καὶ Κρόνου παῖδας βασιλῆας ἴδον χρυσέαις ἐν ἕδραις, quod non obstat. Alii εὔκυκλον ἕδραν pr. κύκλον ἑδρῶν accipiunt. — τᾶς ἐφεζόμενοι, constat Homerum c. dativo iungere hoc verbum, ut Aeschylus accusativum habet. — ἐξέφαναν κράτος, monstrarunt ei potentiam ad posteros duraturam, h. e. dixerunt destinatam esse ei generique eius perennem potentiam et dederunt; unde nunc Aeacidae regnant et coluntur diversis in locis. ἐκφαίνειν (schauen lassen) optime sic dictum de re futura, ut alias vates φαίνειν, ἀναφαίνειν, ἐκφαίνειν futura dicuntur. Idem verbum per zeugma ad δῶρα translatum; monstrarunt, ante oculos posuerunt et dederunt. — Denique ἐς γένος dictum ut εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον. — Restat, ut nonnulla de toto loco addamus. Vidisti omnes Aeacidas memoratos excepto Telamone, qui non aliam ob causam omissus est quam quod

supra iam laudatus erat. Quemadmodum vero haec splendida universae gentis enumeratio non potest non ad Theandridarum gentem pertinere, quae similiter distincta fuerit necesse est viris multis eximiis (et quidni etiam feminis, quod propter Thetidem suspicor), sic ultimus de Peleo locus manifesto propter Timasarchum positus est. Sed reportatae victoriae pueri inprimisque Nemeaea laudatae iam supra sunt luculenter Herculis et Telamonis rebus gestis memoratis, haec igitur nunc non laudantur iterum, quod concedet qui Pindarum novit. Quare hic locus de futuro tempore est. Sic efficitur quod in Introductione dixi: augurari Pindarum Timasarchum inprimis illustre decus gentis suae futurum, qui alia plura eximia gesturus sit (cogitabis in Pythia et Olympica victoria), et ostendere ei etiam praemia factorum dulces nuptiarum honores, et florem diuturnum generi suo gentique illustri destinatum, ut Peleo olim monstratum *κράτος ἐς γένος*. Vides sic omnia facilem explicationem habere.

V. 69 — fin. Revocat se etiam ab his fabulis, laudat Theandridarum gentem defunctumque Calliclem, et Euphanem poetam, ornans uno verbo etiam Melesiam magistrum pueri, ut moris. — V. 69. *Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν*, ultra Gades s. columnas provehi non licet. Nam *τὰ Γάδειρα* constat Gades dici a Graecis. — *πρὸς ζόφον*, *πρὸς δύσιν*. — *ἔντεα ναός*, remos et vela navis. Sensum metaphoricae dictionis indicant proxima verba. — V. 73 sqq. Theandridarum certaminibus lubens praeco veni Olympiis, Isthmiis, Nemeis, pollicitus, h. e. alia sunt quae me iam vocant; satis dixi de Aeacidis, dicendum nunc est de Theandridis. Hoc enim poetae faciendum restat, ut deinde lector post propositam etiam horum laudem componat mente utramque gentem, ut nos fecimus in Introductione. — *ἀεξιγυίων*, quae vim membrorum augent et corroborant. Mox iunges *ἀέθλων Οὐλυμπίᾳ τε καὶ Ἰσθμοῖ Νεμέᾳ τε*, cf. supr. v. 19. — *συνθέμενος*, ex compacto; adierant enim poetam, qui promiserat carmen se facturum pretio conductus, ut fiebat. Ceterum vide ad Pyth. XI, 41. — V. 76. *ἔνθα πεῖραν ἔχοντες*, ubi quoties certant; nam *πεῖρα* est certamen, veluti Nem. IX, 28. Ac notum *πειρᾶσθαι*, ut Hom. Il. XXI, 225. aut

XI, 386. al. Et πεῖραν ἔχειν ut δῆριν ἔχειν Hom. Od. ω, 515. Add. Eurip. Iphig. in Taur. v. 310. πᾶς ἀνὴρ ἔσχεν πόνον βάλλων, ἀράσσων. — V. 77. πάτραν ἵν' ἀκούομεν sqq., gentem ubi audimus tuam epiniciis carminibus ministrare, scil. sumptibus choro praebendis sive χορηγίᾳ. Est πάτρα gens universe dicta, opposita singulis gentilibus Theandridis; hinc cum vi vox collocata est ante ἵνα. Victores enim quum redeunt, gens epiniciis eos ornat suo sumptu paratis. Sic hunc locum Boeckhius explicuit optime. Aliorum explicationes a me examinatas vide in Boeckhii editione. — V. 79 sqq. Si vero avunculo etiam Callicli iubes columnam me ponere Pario marmore candidiorem, aurum quidem excoctum fulgorem ostendit omnem, hymnus autem praeclarorum facinorum regibus aequalem reddit virum; quare ille ad Acherontem habitans meam vocem invenito, Neptuni ubi in certamine floruit Corinthio apio, quem Euphanes senex avus tuus cecinit aliquando, o puer. Locus ornatissimus et paullo difficilior, de quo multis disputavi in Boeckhii editione. Nunc potiora breviter indicabo. Post laudatam gentem nominatim Calliclem defunctum memorat, ut solent in his quae pueris scripta sunt carminibus cognati defuncti laudari. Dicitur Callicles μάτρως, quae vox et avunculum significat (Nem. V, 43.) et avum maternum (Ol. IX, 68.), suntque μάτρωες etiam maiores materni Ol. VI, 77. Nem. X, 37. XI, 37. Atque hic Scholiastes intelligit avunculum, et Euphanem tradit fuisse avum maternum, qui sic Calliclis pater fuit, et filium suum cecinit, uti Timocritus, si viveret, hunc in Timasarchum hymnum caneret. Quae res quum sic cogitari possit, non recedendum videtur a Scholiastae traditione. Constat vero quum μητροπάτωρ sit matris pater, πατροπάτωρ avus paternus, προπάτωρ dici de utroque. — Porro στάλαν Παρίου λίθου λευκοτέραν dicit laudem illustrem. Est στήλη cippus, columna sepulcralis, quales ex candido marmore confici solebant et anaglyphis etiam figuras repraesentantibus ornari, cuius generis supersunt innumeri. Ab his igitur suaviter comparatio petitur, quum Callicles defunctus sit. Est autem haec columna Pario marmore candidior, quia latius splendet carmen marmore etiam candidissimo. — Verba: ὁ χρυ-

σὸς ἐφόμενος usque ad φῶτα, sunt apodosis antecedentiam, simulque protasis sequentium, hoc modo: Si tu vero Callicli laudem postulas, sane vir hymnum nactus regibus honore est par; quare hunc ex me habebit invenietque in Isthmo, pro: Si tu vero Callicli postulas laudem, quum nulla re magis quam hymno illustretur homo, hunc ex me habebit. — κεῖνος igitur per asyndeton antecedentibus subiectum explicandum est per quare, quae forma est Ol. II, 46. Isthm. II, 12. al. Vide Excursum de Asyndeto. Denique media sententia duobus membris constat, ut vides, comparationis ratione iunctis, hoc modo: aurum excoctum splendorem ostendit omnem, hymnus autem regibus aequat virum, pro: Ut aurum excoctum splendorem ostendit omnem, sic vir hymnum nactus summis, quales in terris regum sunt, honoribus ornatur. Notabis formam hanc orationis poeticam, qua pro particulis comparationis ὡς — οὕτως ponuntur aliae tales: μέν — δέ, οὐ — οὐδέ vel μή — μηδέ, porro καί — καί vel δὲ καί, similes. Ac forma μέν — δέ hic habetur, nisi quod μέν in primo membro omissum est. Forma μή — μηδέ legitur Ol. I, 6. μηκέτ᾽ ἀλίου σκόπει ἄλλο θαλπνότερον ἄστρον, μηδ᾽ Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν, unde iam Hermannus ap. Heynium hic illum locum comparavit ut similem. Denique ad formam καί — καί vel δὲ καί confer principium Theocriti, locum saepe male intellectum: Ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα, Ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι, μελίσδεται, ἁδὺ δὲ καὶ τὺ Συρίσδες, hoc est: dulce et pinus illa ad fontem posita canit, dulce vero etiam tu canis, pr. ut pinus illa dulce canit, sic etiam tu, Aut: quam dulce pinus illa canit, tam dulce etiam tu. Verba: ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα ἁ πίτυς τήνα μελίσδεται, proprie sic intelligenda sunt: Pinus illa ad fontem susurrum illum suum, quem fundit, canit dulcem; unde perspicitur causa articuli τὸ ψιθύρισμα. Perplexae structurae hic nihil. Atque haec quidem de his. Iam restant cetera. Dicit: „Ille ad Acherontem habitans meam vocem invenito in Isthmo, qui ab Euphane cantatus est alio tempore. Aliis enim alii aequales sunt, quae quis autem ipse viderit, ea se optime dicturum putat.“ Patet Pindarum dicere cantatum Calliclem iam ab Euphane nec posse se melius, quoniam non fuerit aequalis viri; tentaturum tamen rem, si postuletur, at in Isthmo. Hinc ἐμάν

collocatum ante γλῶσσαν, quia opponitur Euphanes. Cur vero in Isthmo dicet? Quoniam ibi splendet gloria viri vigetque integra memoria factorum (cf. ad Pyth. VI init.); ibi igitur laudes viri, quem non vidit, si postulantur, haurire et ad cantum incalescere vult. Haec est verborum ratio; sed ne fugiat te vera Pindari mens. Non cogitat adire Isthmum, sed contentus fuit, credo, Timasarchus hac mentione viri, et dixit Pindarus quantum satis de eo, et quantum in aliis carminibus de talibus legitur. Est igitur exquisita haec figura dicendi, qua breviter et tamen honorificentissime satisfacit viri laudi. — ἅλικες latius hic dicuntur, qui simul aliquo tempore vivunt ut alter alterum videat, quemadmodum nunc Euphanes et Callicles, pater et filius; non aequalis Callicli Pindarus, quum eum non viderit. Strictissimo sensu qui accipient ἅλικας, dicent alterum vocis μάτρως sensum esse praeferendum, esse Calliclem avum maternum, Euphanem vero paternum. At enim ex hac ratione post antecedens μάτρως vel πάτρως vel πατροπάτωρ dicendus erat Euphanes, nisi magnopere fallor, ut clara et distincta esset oppositio verborum. — ἔλπεται φάσθαι, Pyth. I, 43. — V. 93 sqq. Quam ille, qui aequalis Calliclem eximie cecinit, nunc si Melesiam laudaret, eximie hunc quoque caneret. Sed suaviter hic omnia a luctae comparatione petita sunt, ut iam Heynius notavit, quem vide et nostra in Boeckhii editione ad singula verba quae sequuntur. Ac primum dicit οἷον ἔριδα στρέφοι, quomodo certamen torqueret s. rem gereret dicendo, tanquam insignis in dicendo luctator. στρέφειν notissimum inter luctae artes est. Vid. Iacobs. ad Achill. Tat. p. 964. — ῥήματα πλέκων, verba flectens, hoc quoque nunc a luctae flexibus desumptum. Ceterum cf. ad Pyth. XII, 8. — ἀπάλαιστος ἐν λόγῳ ἕλκειν, validissimus in sermone prosternere, in quo ἕλκειν iterum eiusdem metaphorae. Ad constr. ἀπάλαιστος ἕλκειν cf. Ol. VII, 26. — τραχὺς παλιγκότοις ἔφεδρος, asper inimicis adversarius, ut habebat obtrectatores Melesias, cf. ad Ol. VIII, 55. Vides etiam ἔφεδρον e certaminum comparatione petitum. — Atque ita Melesiam laudavit et Euphanem. — Ceterum de verbo παλίγκοτος nuper accuratius disputavit Carol. Guil. Elberling in Observatt. in aliquot locos Agamemnonis Aeschyl., Havniae 1828. p. 9 sqq. Ostendit apud

poetas eam significare adversarius, infestus, molestus, odiosus, laudans praeter Pindarum Aeschyl. Agam. v. 579. et 863., Suppl. 379. Aristoph. Pac. 391., Theocrit. XXII, 58., Mosch. IV, 92, Agath. Epigram. XIX, v. 7 sqq. in Iacobs. Antholog. Gr. Lips. T. IV. p. 10., Delect. Epigramm. V, 83. Similiter ap. Herodot. IV, 156. *παλιγκότως* esse pr. male, ut ap. Euripid. in Oenomao. p. 264. Lips. Convenire etiam Grammaticorum explicationes, Suidae cum Phavorino, Etymologici, Hesychii, Pollucis. Plane alium vero usum regnare in Hippocratis scriptis, ubi est recrudescens, cf. Foësii Oeconom. Hippocrat. et Stephan. Thesaur. Lond. p. 5277 sqq., uti ego etiam Pindar. Ol. II, 20. *πῆμα παλίγκοτον* interpretatus sum. Sed hoc nunc reiicio, considerans poetarum usum, et explico etiam illic: malum infestum, grave, ut factum ab aliis, in ceteris tamen nihil ibi mutans. Verum manet agi in illo carmine de dissidiis et bellis domesticis iterum iterumque redeuntibus, verum etiam manet *πῆμα παλιντράπελον ἄλλῳ χρόνῳ* v. 37. esse in hunc sensum explicandum. Atque haec hactenus.

Carmen Nemeaeum quintum.

INTRODUCTIO.

Inter Aeginetas distincti fuerunt etiam Psalychidae, e quibus Lampo erat Cleonici filius, vir opulentus et genere nobilis, immo inter principes Aeginetarum, ut videtur, studiis athleticis magnopere addictus, cuius duobus filiis Pindarus tria eximia carmina cecinit. Ac maior natu Pytheas hoc carmen tulit, Phylacidas minor Isthmium quartum et quintum. De temporibus uberius dictum a me in Boeckhii editione. Secunda Phylacidae victoria, cantata Isthm. IV, ponenda est Ol. 75, 3, Isthmiis vernis; prima eiusdem pueri, laudata Isthm. V., reportata est ante pugnam Salaminiam Ol. 75, 1. factam. Denique haec Pytheae victoria paucis

annis ante Phylacidae primam victoriam parta sit necesse est; neque enim diu ante Phylacidam vicisse Pytheam carminis propositi ratio docet. Argumentum hoc est: Post introitum, ubi Pytheae victoria nuntiatur, qui tenera aetate patriam honoraverit et Aeacidas domesticos heroes, poeta accedit ad magnificam fabulam, ut aliquando Aeginam sollemniter precati sint viris navibusque insignem esse stantes ad aram Iovis Hellenii Aeaci filii Peleus, Telamo, Phocus. Tum praeterire se dicit rem non iuste ausam, quae in causa fuerit, ut insula excederent eximii heroes Peleus et Telamo, quum saepius silentium praestet. At si fortuna splendida Aeacidarum canenda sit aut manuum vis bellorumve gloria, ad haec se paratum esse et haec se exsequuturum optime. Atque ita narrare incipit affuisse olim in Pelei nuptiis ipsum Musarum chorum cum Apolline, cecinisse vero ante omnia post Iovis prooemium novos nuptos Thetidem et Peleum, utque Hippolyta Acasti uxor Peleum dolis opprimere studuerit, persuadens viro mendacibus verbis se ab eo tentatam, quod contra fuerit. Ipsa enim femina potius invitaverat heroem, hic vero recusaverat; quod quum videret Iuppiter, Nereidum unam promisit se ei in matrimonium daturum, postquam persuasisset affini Neptuno, Isthmi domino, quem laetae catervae tibiis excipiunt venientem ad ludos, ubi certatur robore membrorum. Sic missis fabulis poeta ad ludos et res praesentes redit; laudat igitur Euthymenem, avunculum Pytheae, in Aegineticis ludis victorem, et eius vestigia prementem Pytheam, qui in Nemea vicit, in Delphiniis domesticis, et Megaris, debens hoc Menandro magistro. Memorato sic etiam huius nomine restabat Themistii laus, avi materni, quem in fine praedicat verbis magnificis. Haec hactenus. Explicanda nunc vera ratio harum rerum, non perspecta a me, quum in Boeckhii editione hoc carmen tractarem. Igitur, quod ter iam vidimus, Pindarum in his carminibus, quae Aeginetis scripta sunt, praeclaro acumine in aliis alia ex Aeacidarum rebus depromere praesentibus rebus mirifice apta, hoc videbimus etiam hic. Scriptum supra hoc carmen dixi paucos annos ante Phylacidae primam Isthmiam victoriam, ac dubium non est, consideratis versibus 37 sqq., puerum iam hoc tempore consilium habuisse Isthmia adeundi et praeparasse se ad victorias. Nunc vide Pindarum: Steterunt olim,

ait, ad aram patris Hellenii Aeaci tres validi filii, precati sollemniter Iovem, ut viris navibusque insignem redderet Aeginam: en tales nunc ipsum sunt Lamponis filii Pytheas et Phylacidas, robusti ac fortes, optimae spei pueri, quorum alter iam vicit, alter meditatur victorias. Quid quaeso magnificentius hac comparatione? Quanquam autem Phylacidae consilium tecte tantum significari, nomen vero omnino non memorari potuit in hoc carmine, quem tamen convivarum epiniciis praesentium fugere potuisse censes sensum allusionis, quum ante oculos essent ambo fratres praeclari? Exin poeta pergit: Vereor gravem rem eloqui non iuste perpetratam (Phoci necem), qua emigrare coacti sunt heroes eximii ex insula; praestat silentium. Tamen cur vel tantillum dicit? Propter Lamponis filios, respondeo. Utinam enim, ait, semper mala aemulatio absit ab his fratribus, neve dissidium gravius exsistat unquam turbetque fortunam eorum, qui ambo ad gloriam nati sunt. Casum Aeacidarum ipsum non eloquor, ne audiatur tristior vox, verbo tamen rem significo, admonitionis causa. Sic his missis ad *ὄλβον* Pelei transit, de qua re nunc dicendum. Pulcra est ratio horum carminum, ut saepe vidimus, ubi cum laude admonitio coniungitur. Atque illam, quam modo indicavi admonitionem, tecte tractavit et in transitu, ut par erat; talia enim multis verbis monere indecorum et absonum; data opera vero tractat hanc, ad quam nunc accedit. Nempe pueris iuvenibusque in robore virium nihil aptius commendaveris quam *σωφροσύνην*, praesertim quum amoris tempora instent. Quid enim pulcrius iuvene, qui cum fortitudine etiam verecundiae et castitatis laudem coniungit? De quibus rebus aliquoties iam monitum supra ad alia carmina. Praeclaro igitur iudicio Pindarus canit fortunam Pelei, qui castitate Thetidem uxorem meruit Musarumque chorum in nuptiis suis habuit praesentem: illustri ut exemplo ostendat fratribus et maxime Pytheae maiori quae sint harum rerum praemia, et auguretur etiam ei felices nuptias pulcrasque in nuptiis cantuum laudes, si castitas et pudicitia non deseratur, et cum *ἀνδρίᾳ σωφροσύνη* coniuncta sit. Atque ita absolvitur summa sententia carminis. Post hanc fabulam enim poeta ad gymnicas res revertitur, unde carmen initium ceperat, et Phylacidae consilium tecte indicans, diserta vero laude Pytheae victorias memorans et cognatorum,

quorum vestigia pressit puer egregius, sic exhibet et supplet omnia, quibus gymnica fratrum laus et comparatio cum Aeaci filiis in principio posita nititur.

EXPLICATIO.

V. 1 — 9. Prooemium. Nuntiatur Pytheae victoria. — V. 1. Non sum statuarius, ut in loco mansura elaborem signa in eadem basi stantia. Ad ἐλινύσοντα cf. Isthm. II, 46. et Boeckhii Nott. critt. — αὐτᾶς. Quanquam Pindarus Ol. I, 45, τωὐτό habet et τωὐτοῦ Ol. XIII, 37. et ταὐτά Nem. VII, 104, non tamen inde probari potest eum semper ita dixisse aut debuisse dicere; lyricus medius inter epicos et Atticos quidni recte utrumque usurpaverit, αὐτός et ὁ αὐτός; epicis enim constat αὐτός dici pr. ὁ αὐτός, cf. Hom. Il. XII, 225. Od. X, 263. Nam si αὐτᾶς hic pro ipse accipimus, ἐπ᾽ αὐτᾶς βαθμίδος quid est quam stare in basi ipsa, nulla alia re interiecta, quod olim a me probatum, nunc video nihili esse. Potius ἐλινύσοντα, ἐπ᾽ αὐτᾶς βαθμίδος ἑσταότα cumulate dictum est apta cum vi. Ceterum de Attico usu pronominis Herm. ad Soph. Antig. 920. dixit. Universam sententiam poeta praemisit, ut vi oppositionis oratio nervosior fieret et sequentia praepararentur et illustrarentur luculentius, de qua re monitum ad Ol. I, 1. Ac facile incidit in hanc nunc loquutionem, quum artis statuariae studium eximie floreret in Aegina. — V. 2. ἀλλ᾽ ἐπὶ πάσας cet., sed in omni maiore et minore navi proficiscere ab Aegina, dulcis cantus. Reportata Pytheae victoria haud dubie aestiva Nemeade; inepte enim sic dixisset poeta hieme, ubi nulla navigatio. Porro notabis Lamponem inter principes Aeginetarum fuisse, notum haud dubie virtute, opulentia, hospitalitate apud exteros multis in locis, quod facile fieri potuit in illo commercii Aeginetici flore. Talis viri honores par erat divulgari in omnes partes, ut etiam exteri scirent. — V. 4. εὐρυσθενής de corporis robore, ut Nem. III, 35. — V. 5. νίκη est imperfectum verbi νίκημι pr. νικάω, cf. Theocr. Id. VI fin. VII, 39. Imperfectum usu legitimo in victoriis indicandis apud historicos et in

didascaliis, cf. Corsini Fasti Att. multis in locis. Pindarum similiter explica infr. v. 45., et Isthm. III, 43. At νικᾶν στέφανον, ferre coronam, ut Simonid. Epigr. LVIII. Anal. Brunck. T. I. p. 137. νικᾶν τρίποδα. (Anth. Pal. Append. T. II. p. 785. p. 79.). Add. Nem. X, 48. νικᾶσαι χαλκόν et ibid. v. 26. ἐκράτησε στέφανον. — V. 6. Nondum in genis ostendens teneram matrem vitei floris maturitatem. — ὀπώρα est tempus dierum canicularium, ubi sol in signo leonis versatur; cf. quae laudavi in Boeckhii editione. Eo tempore quum fructus colligerentur, vox omnino ad maturitatem et pubertatem significandam adhibita est, ut Isthm. II, 5. Athen. XIII. p. 608. Mitscherl. ad Horat. Od. II, 5, 10. Iacobs. ad Philostr. Imagg. p. 430. Est autem alia fructuum, alia hominum maturitas; atque haec quidem gignit lanuginem, lanugo vero propter teneritatem et mollitiem comparatur cum οἰνάνθῃ, h. e. cum lanugine foliorum, quae habet flos vitis. Sic orta est haec loquutio, inepta si proprium sensum verborum cogitas, quum auctumnus non gignat florem vitis, nunc exemplum memorabile translatae dictionis neglecta primitiva significatione. Vide alia notata Pyth. IV, 158. Olim talia audacissima visa sunt viris doctis, quanquam in omnibus linguis huiusmodi exempla reperias. Ceterum novimus, credo, hodie omnes tragicos Pindaro multo esse audaciores, et recte quidem. — V. 7 sq. Et Crono ac Iove natos heroes bellicosos aureisque Nereïdibus Aeacidas honoravit patriamque, terram hospitibus caram. Aeaci filii fuerunt Peleus, Telamo, Phocus, illi suscepti ex Endeïde, Chironis Cronidae filia, hic ex Nereïde Psamathe; denique Achilles Peleo natus est ex Thetide. Iam clara sunt Pindari verba. Omnes Aeacidae originem habuerunt a Iove, Aeaci patre, matrem vero habuerunt Croni neptem Peleus et Telamo, Nereïdem Psamathen Phocus, Thetidem Achilles. Est magnifica Aeacidarum generis declaratio. Ceterum vide locos laudatos in Boeckhii editione. — ἐγέραρεν, ut honorantur heroes domestici et tota patria virtute civium. Contrarium est καταισχύνειν, κατελέγχειν. — ματρόπολιν, h. e. ματέρα πόλιν Αἴγιναν, nunc latiori sensu, ut Salamis insula est πόλις Αἴαντος Isthm. IV, 54. et cf. ad Ol. VII, 34. Ac μήτηρ pr. patria notissimum, Ol. IX, 20. Aesch. Sept. 16.

Soph. Oed. Col. 1480. — φίλαν ξένων ἄρουραν, terram hospitibus amicam, ut νοῦς ἀνδρῶν φίλος Pyth. III, 5. Nota laus Aeginae, cf. Nem. IV, 12; sed num etiam apte hic subiecta? Nimirum laetabundi audituri sunt exteri de novis hisce terrae hospitae ipsisque carissimae ornamentis. Notavimus enim iam ad Nem. III, 2. etiam hanc hospitalitatis et iustitiae adversus advenas laudem ita ubique poni, ut cum ceteris verbis apte coeat in unam sententiam. Adde quae de unitate sententiarum monui ad Pyth. XI, 6.

V. 9 — 18. De precibus sollemnibus Aeaci filiorum ad aram Iovis; tum de fuga eorum ex Aegina. — εὔανδρον, viris praeclaris insignem, cf. Wyttenb. ad Iulian. Orat. p. 203. — θέσσαντο, precati sunt; vid. ad Hesych. T. I. p. 1704, ad Callim. in Cerer. 48. Ruhnken. Epist. Crit. p. 287. Schol. Apollon. Rhod. I, 824. Constructio θέσσαντο εὔανδρον est ut Pyth. VIII, 72. θεῶν ὄπιν ἄφθιτον αἰτέω. — πίτναν τε, sublatis ad aetherem manibus, sed suaviter iterum pro participio verbum finitum positum, qualia passim notavimus, cf. Nem. III, 23. Ol. V, 8. Ceterum de manibus precantium elevatis et verbis in ea re usurpatis vide Welcker. ad Philostr. Imagg. p. 403. Sed nunc videndum de fabula. Antiquissimi Hellenes fuerunt Myrmidones Aeacidis subiecti, quibus hoc nomen avitum erat, cf. Müller Aeginet. p. 16.; et vide supr. ad Ol. VIII, 30. Myrmidones quum in Aeginam venissent, condiderunt ibi Iovis Hellenii fanum, patrii sibi numinis, cuius religiones secum adduxerant. Atque haec ara patris (quum Iuppiter Aeaci et Aeacidarum pater gentilis haberetur) Hellenii est, quam adstantes Peleus, Telamo, Phocus preces aliquando sollemnes dicuntur fecisse pro insulae felicitate, magnificâ fabulâ; est enim nihil hic augustius Iove Hellenio, a quo omnes Graeci nomen traxerunt, nihil illustrius Aeacidis, nihil denique gravius hac precatione summorum heroum, qui concordibus animis coniuncti adstant summi numinis aram. Disiungenda vero est alia fabula, ex qua frugum inopia quondam Graeciam premente Aeacus ab Apolline Delphinio designatus est, ut a Iove calamitatis finem impetraret. Missos igitur e ceteris civitatibus legatos, qui una cum Aeaco dei iram placarent, in Aeginam, ob eamque rem tum communi consilio Iovis Panhellenii templum a Graecis conditum. Apud

Pindarum ne verbum quidem de hac re, quae plane aliena est ab hoc loco. Vide Müllerum Aeginet. p. 19. optime haec tractantem. — V. 14 sqq. Non mansit haec concordia fratrum. Phocus, Aeaco inprimis carus ob matrem, fratres rei navalis et gymnasticae gloria superabat; unde a fratribus occisus fertur; interfectores autem insula emigrarunt, cf. Müller. Aeginet. p. 22. Fabula non uno modo narratur. Sepulcrum Phoci iuxta Aeaceum memorat Pausan. II, 29, 7. — *μέγα*, facinus malum et audax, velut Nem. X, 64. Hom. Od. X, 272. — In verbis: *ἐν δίκᾳ μὴ κεκινδυνευμένον*, positum est *μή* pr. *οὐ*, ut lenius res dicatur revocata ad cogitationem subiectivumque iudicium poetae. — *πῶς λίπον*, quo facinore admisso. — *τίς δαίμων*, quae vis divina, intelligit *φρενὸς Ἐριννύν*, quae culpae conscios manere non sivit. Est autem hic *φόνος* proprie *ἑκούσιος*. Dices talem etiam Licymnii caedem fuisse Ol. VII, 30, quam ego tamen ibi praeter voluntatem admissum dixi. Nempe historico tempore etiam ille *φόνος ἑκούσιος* habitus esset et dictus, sed mythico tempore non tam accurate utrumque genus distinguebatur quam postea factum, quum pleraque omnia tum referrentur ad *Ἄτην*, *ἣ πάντας ἀᾶται*, ut ait Homerus. Ac Licymnii *φόνον* a Pindaro *ἀκούσιον* censeri, docet ratio carminis illius in Introductione ibi explicata. Similiter etiam haec caedes ad *Ἄτην* potuisset referri, quae mentem heroum obcoecasset, si carminis ratio hoc postulasset; nunc autem propter Pytheam et Phylacidam fratres res tangitur, ut hic a dissidiis deterreantur, quare hic gravius loqui debuit (*μέγα ἔργον, ἐν δίκᾳ μὴ κεκινδυνευμένον*) ut in *ἑκουσίῳ φόνῳ*. Postremo ut etiam illud addam, ubi caedes admissa, interfectores in exsilium ire solebant ut *ἀφρήτορες*, et acti animi aegritudine et angore. Talis certe hic ille *δαίμων*, qui Aeacidas Aegina expulit. Explicatius de re non levi dicendum iudicavi, quam ad Ol. VII, 30. brevius tetigi. Ceterum non sine fructu ad omnem hanc quaestionem conferes memorabilem locum Platon. d. Legg. IX. p. 867. Romanorum sententiam disce e Ciceron. Top. cap. 17. — V. 16. *στάσομαι*, vid. Ol. I, 52. — *οὔ τοι ἅπασα* cet., non omnis veritas utilius aperitur. — *ἀλάθεια ἀτρεκής*, res etiam verissima. — *πρόςωπον*, suaviter hac voce utuntur, ut Eurip. Iphig. Aul. 1089. *τὸ τᾶς αἰδοῦς ἢ τὸ τᾶς ἀρετᾶς πρόςωπον*. Ari-

stoph. Av. 1324. τὸ τῆς ἀγανόφρονος Ἡσυχίας εὐήμερον πρόσωπον. Nunc φαίνειν πρόσωπον est non habere velamine tectam faciem, ut ostenditur facies in re bona aut laeta, velatur in re mala aut tristi. Praestat igitur, ait, hanc tristem rem velatam sinere. Ac vides etiam illud, ἀλάθειαν hic non esse personam, quum adiectum sit ἅπασα, sed potius φαίνειν πρόσωπον translate dictum. Sic saepius monuimus aliam esse personificationem, aliam metaphoricam dictionem. — κερδίων φαίνοισα, cf. Ol. IX, 103. — σοφώτατον νοῆσαι, vid. ad Ol. VII, 26. Ceterum sententia saepius lecta, ut Pind. Isthm. I, 63. Fragm. incert. nr. 68, 69. Postremo de toto loco cf. Introduct.

V. 19 — 37. De castitate Pelei eiusque praeclaris nuptiis. — ὄλβον, quo pertinent Pelei nuptiae. — χειρῶν βίαν, robur manuum et brachiorum, quale omnes luctatores, pugiles, pancratiastae habent, cf. Ol. IX, 111; atque etiam Aeacidae ludicris certaminibus fuerant clari, Pyth. VIII, 26. Sic distinguitur σιδαρίτας πόλεμος, ferrata, ferro armata et gesta bella, ἔγχεσιν et ξίφοις, et vides nunc vocem σιδαρίταν opponi manibus sine ferro certantibus. Ceterum cf. σιδαρεία μάχα in Epigr. Anyt. XX., Br. Anal. Tom. I. p. 201. (Antipatri in Anth. Pal. VII, 232.) πόλεμον (h. e. πολέμους Ol. XIII, 49.) hic praelatum propter antecedentes singulares, ut Ol. XIII. propter antecedens μῆτιν. — δεδόκηται, exempla notavit Buttm. Gr. Ampl. T. II. p. 111. — V. 20. μακρὰ δή αὐτόθεν ἅλμαθ' ὑποσκάπτοι τις. Praemittenda hic nonnulla sunt de ratione huius certaminis. Erat in stadiis τὸ σκάμμα arena, ubi saltus certamen fiebat a quinquertionibus; cuius principium βατήρ, locus unde prosiliebatur, ἀρχὴ τοῦ τῶν πεντάθλων σκάμματος, finis autem s. ὅρος ab altera parte τὰ ἐσκαμμένα erant, fossa, sulcus transversus. Quae quidem scammata quum ante Phayllum Crotoniatam quinquaginta pedum essent, primus transsiluit hic nobilis athleta, ut tradit Eustath. ad Hom. Od. VIII, 198., p. 302. Bas. (p. 291. ed. Lips.) his verbis: Ἰστέον δέ, ὅτι τὸ ὑπερήσει καὶ τὸ ὑπέρπτατο σήματα πάντα οὐ μακρὰν ἐσχημάτισται τοῦ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, ὃ κεῖται παρὰ τοῖς ὕστερον. ἤγουν ὑπέρμετρα. παροιμιαζόμενον μὲν ἐπὶ τῶν ὑπερβαλλόντων ἢ πλεονεκτούντων, μετενεχθὲν δὲ ἀπὸ τῶν πεντάθλων. ἤρξατο δέ φασιν ὁ λόγος ἀπὸ Φαΰλλου πεντάθλου Κρο-

τωνιάτου, ὃς πεντήκοντα ποδῶν ὄντων πρότερον τῶν σκαμμάτων αὐτὸς ὑπερέβαλε ταῦτα πηδήσας. ὡς τὸ ἐπίγραμμα, φασί, λέγει τῆς εἰκόνος αὐτοῦ· Πέντ᾽ ἐπὶ πεντήκοντα πόδας πήδησε Φάϋλλος, δίσκευσεν δ᾽ ἑκατὸν πέντ᾽ ἀπολειπομένων. Quod factum Delphis, Pausan. X, 9, 1. Hinc igitur ortum celebre proverbium ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, ἅλλεσθαι. Cf. Bast. Epist. crit. p. 245. Heind. ad Plat. Cratyl. p. 413. A. In quo quum vulgo reprehensio inesset, quum tamen Phayllus victoriam tulerit et laudem, distingues metaphoram et proprium sensum. Nam in aliis rebus qui usitatos fines transeunt displicent; unde factum, ut loquutio ad ethica traducta contrarium sensum haberet. Denique ut reliqua addam, singulorum saltus in scammate notabantur βόθροις, victor autem renuntiabatur is, qui ceteros saltu superaverat. Quae hic legis similiter olim in Boeckhii editione exposui, nisi quod nunc τὸ σκάμμα et τὰ ἐσκαμμένα distinxi, quae confuderam. Disputavit nuper de iisdem rebus vir doctus Georg. Fr. Philipp, Regiomontanus, in Commentatione de Pentathlo. Berolin. 1827., qui illud quidem recte monet, τὸ σκάμμα et τὰ ἐσκαμμένα differre, quod ipse etiam videram, cetera vero, quae contra me profert, temere dixisse videtur, non intellecto sensu verborum meorum. Censet Philipp τὰ ἐσκαμμένα esse βόθρους eos, quibus singulorum saltus notabantur, nec differre has voces, σκάμμα vero videtur intelligere spatium inter βατῆρα et βόθρον unumquemque, ut revera tot scammata fuerint breviora, longiora, quot βόθροι. Videtur hoc dicere Scholiastes ad hunc Pindari locum: ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν πεντάθλων, οἷς σκάμματα σκάπτονται· ἐκείνων γὰρ κατὰ τὸν ἀγῶνα πηδώντων, ὑποσκάπτεται βόθρος, ἑκάστου τὸ ἅλμα δεικνύς. At enim non accurate loquitur, et unum fuisse omnibus scamma, qui ad certamen prodierant, ostendit explicatio vocis βατὴρ apud veteres, ἀρχὴ τοῦ τῶν πεντάθλων σκάμματος, non τῶν σκαμμάτων, ducunt eodem interpretationes Hesychii et Phavorini σκάμματα· ἀγῶνες, στάδια, quae Philipp ad sola gymnasia et palaestras refert, veritus dicere in certaminibus publicis talem arenam exstitisse, quum tamen veteres nusquam dicant duplex genus scammatum fuisse et duas vocis significationes, sed quo sensu scamma dictum in gymnasiis, dictum haud dubie etiam in publicis ludis. Quod mihi quidem etiam propter τὰ ἐσκαμμένα cer-

tum. Etenim quid quaeso fuit *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν* sensu proprio? De quo plane non cogitasse videtur V. D. Num transilire *βόθρους* eorum, qui certant? Hoc aut nemo facit, aut victor. Quare ex hac ratione omnes a principio victores *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ἐπήδησαν*, nec potest intelligi, quomodo inde a Phayllo demum haec loquutio orta sit. Ac non dicit Eustathius l. cit. *τὸ ὑπερήσει καὶ τὸ ὑπέρπτατο σήματα πάντα* hactenus esse plane idem, quod *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν*, sed simile; siquidem ut Phayllus insolitum saltum dederat ante nondum visum, sic Ulysses insolitum Phaeacibus iactum. Ne multa, vides confundi a Philippo *βόθρους* istos et *τὰ ἐσκαμμένα*, quae ego distinxeram. Quum *σκάμματα* prius quinquaginta pedum fuissent in ludis Graecis, Phayllus ulterius saliit, unde quum ortum sit illud proverbium, liquet *τὰ ἐσκαμμένα* fuisse *ὅρον τοῦ σκάμματος*, terminum arenae, a quo plane differunt *βόθροι* singuli. Tropicum sensum loquutionis quod attinet, Philipp dicens *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν* esse athletice agere modo hominum *ἀμούσων*, non recordatur, credo, athletas vix ante Euripidem habitos et dictos *ἀμούσους*. Quaeras denique, quem usum habuerint *τὰ ἐσκαμμένα*. In re athletica ante Phayllum vulgo creditum fuisse videtur posse bonum saltatorem quinquaginta fere pedes emetiri saliendo, eaque usu facta erat exercitationis norma, quo fere studium intenderent athletae, quod spatium si totum aut paene totum emetiri possent, satis se exercitatos crederent; eam solam ab causam quia nondum quisquam ulterius prosiluerat, ut victoriam sperare posset illud qui didicisset. Facta igitur scammata in ludis ante Phayllum quinquaginta pedum, ductaque *τὰ ἐσκαμμένα* non ut ea necessario assequi deberet, qui victor renuntiandus esset, quemadmodum perperam verba mea cepit Philipp, sed ut ante oculos esset scopus, quo impetum saliendi dirigerent, quum incommode ad inania saltus fiat, nullo scopo dato nulloque contentionis modo; utque non solum saltus ceterorum superare, sed simul etiam universum scamma quantum posset emetiri studeret, qui gloriosus vellet videri victor. Mire quaerit Philipp, quid factum sit, si omnes ad *τὰ ἐσκαμμένα* pervenerint saltu? Quaero contra, quid factum sit, si qui *βόθρος* primi salientis saltum notabat, ad eundem forte etiam ceteri sequentes athletae pervenerant nec quisquam saluerat ultra? Nempe repe-

tendum erat certamen necessario. Atque haec quidem haetenus; neque enim vacat diutius his rebus immorari, quas ipse sibi facillime explicabit lector. Ad Pindarum redeo. Significaverat is Phoci per fratres necem; hinc (αὐτόθεν) iam magnum saltum facturus est ad alia tempora et alias res, eaque vera causa nunc est metaphorae, quae alioquin mira videri possit in carmine, quod pancratiastae scriptum, non quinquertioni. Porro quum nondum fecerit saltum, sed facturus sit, apparet in verbo ὑποσκάπτοι inesse debere aliquid, quod ante saltum fiat. Est igitur sensus verborum hic: At si contra felicitas Aeacidarum aut gymnicum robur aut bella placet ut canantur, date, fodite magnam saliendi arenam (si ὑποσκάπτοι ad τὰ ἐσκαμμένα refertur, uti ego in Boeckhii editione feci) aut: accingat se aliquis ad longinquum hinc βόθρον fodiendum (si cui hoc magis placet); habeo enim expeditam vim magnumque impetum genuum et faciam permagnum saltum, quem non poterunt imitari aemuli concertatores (cf. Pyth. I, 45.). Et revera facit etiam permagnum saltum a nece Phoci ad nuptias Pelei; cuius tamen veram rationem monstravi in Introductione. — V. 21. καὶ πέραν πόντοιο πάλλονται αἰετοί, etiam difficilia aliis valet magnus poeta; sed metaphora utitur, ut minuat dicti arrogantiam, quemadmodum Nem. III, 81. — καὶ κείνοις, ut olim Cadmo. Vide hoc καί etiam Ol. VIII, 25. κείνοις, quum de Aeacidis, plurali numero, ante loquutus esset, et quum hic honos etiam ad ceteros pertineret, licet Pelei essent nuptiae. Ad fabulam cf. Pyth. III, 90. — ἐν δὲ μέσαις ἁγεῖτο παντοίων νόμων, vide de Apolline citharam modulante et modos praeeunte, dum canat Musarum chorus, notata ad Pyth. I init. Add. Synes. Dion. p. 43. A. — ἑπτάγλωσσον, Pyth. II, 70. — χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων, cf. Eurip. Herc. fur. 350. Est διώκω urgeo, celeriter moveo, unde etiam illa tragicorum διώκω πόδα Eurip. Orest. 1337, διώκω βλέφαρον Eurip. Ion. 205., alia. — V. 25. πρώτιστον μέν, post Iovem, a quo principium fieri debet (Horat. Od. I, 12, 13: „Quid prius dicam solitis Parentis laudibus?") primum ipsos nuptos cecinerunt. Attende vero ad suavem dicendi formam; quum enim directa oratione narrare posset de Hippolytae fraudibus et Pelei castitate, nunc Musas haec canentes facit in ipsis nuptiis, ut non traderetur simpliciter, sed simul ornaretur

et praedicaretur pulcherrima laude herois virtus, exemplo Pytheae proposita. — *Κρηθεΐς*, filia enim Crethei erat, soror Peliae et Aesonis, Hippolyta dicta, aliis Hippodamia. — *δόλῳ πεδᾶσαι*, opprimere, occidere, cf. Fragm. Thren. nr. 6. — *ξυνᾶνα*, forma soluta affuit Pyth. III, 48. Hoc loco post praegressum *νίν* vides sodalem et amicum Pelei significari, non tori socium, ut vulgo interpretantur sine idonea causa, quum *ἀκοίταν* sequatur, nec opus sit duabus vocibus nunc in hac re. — *ποικίλοις βουλεύμασι*, fingens se de adulterio a Peleo compellatam. — *Μαγνήτων σκοπόν*, quum pleraeque Magnetum urbes Minyis Iolciacis parerent, cf. Müller. Orchom. p. 252. — *συνέπαξε*, concinnavit, ut *συντιθέναι, πλάττειν λόγους*. Blomfld. ad Aesch. Prometh. v. 1066. — V. 30. *νυμφείας εὐνᾶς ἐπείρα*, tentaverit concubitum cum coniuge iuvenili Acasti. — V. 31. *τὸ δ' ἐναντίον ἔσκεν*, cf. Heindorf. ad Plat. Theaet. p. 333. Stallbaum. ad Apolog. p. 32. Pro *τὸ δέ* plenius interdum dicitur *τὸ δὲ ἀληθές*. — V. 32. *τοῦ μὲν ὀργὰν κνίζον αἰπεινοὶ λόγοι*, eius mentem irritarunt temeraria verba. Ad *κνίζον* cf. Pyth. XI, 23. *αἰπεινοί*, audaces, improbi, ut videtur. — *ἀπανάνατο*, repudiavit. Eurip. Med. 232., *ἀνήνασθαι πόσιν*. Dicitur enim cum accusativo rei et personae. Nunc pr. *ἀπανάνατο εὐνήν*, ut est Hom. Od. X, 297. — *ξεινίου*, quum hospitio exceptus apud Acastum degeret Peleus. — *ὀρσινεφής*, cf. ad Ol. IV init. — *κατένευσεν, ὥστε πράξειν*, promisit se comparaturum ei. Nota *ὥστε* post verbum promittendi. Thucyd. VIII, 86. *ἐπαγγελλόμενοι, ὥστε βοηθεῖν*. Ad *πράξειν* vero cf. Herm. Vig. p. 761. — *γαμβρόν*, affinem. Graecis *γαμβροί* appellantur quicunque per nuptias affinitate iuncti sunt, generi, soceri, uxoris fratres, sororum mariti, cf. Brunck. ad Soph. Oed. R. 70. Ac nunc Neptunus Amphitriten Nereïdem uxorem habens, Nereïdum est *γαμβρός*, ut maritus sororis. Hoc sensu vox Eurip. Electr. 1295. Sensus igitur: Se acturum cum Neptuno Nereïdum affini, ut consentiret. Poeta vero utitur hac sententia, ut ad Isthmia transitum faciat.

V. 37 — ad finem. Reversus ad res praesentes persequitur Pindarus familiae laudes. — *ὅς*, nota transitum Pindaricum ad aliam rem per simplex pronomen, ut Ol. I,

25. Pyth. IX, 5. — *Αἰγᾶθεν*, Aegae et Achaiae urbs et Euboeae, Neptuno sacra; intelligam hic Achaicam urbem, quae commemoratur Hom. Il. VIII, 203., ubi vid. Heyn. Nam hoc templum videtur Pindari aetate fuisse nobilius. Opponitur *Ἰσθμὸς Δωρία.* Porro recordaberis eorum, quae ad Pyth. V. 5. de *ἀποδημίαις* et *ἐπιδημίαις* deorum dicta sunt. Credebatur igitur Neptunus Isthmiorum tempore Aegis proficisci ad Isthmum, ibique praesens esse festis diebus. — V. 38. *ἔνθα μιν δέκονται*, ubi deum venientem laetae catervae cum tibiarum cantu excipiunt. Significatur haud dubie primus sollemnitatis Isthmiae dies, dies sacrificiorum, ubi pompae templum adeunt deum adoraturae et tauri immolantur (Nem. VI, 41.), quemadmodum sequente versu ludorum dies designantur. Ubique enim apud Pindarum, ubi ludicra festa indicantur, distinguuntur et coniunctim memorantur sacrificia et ludi, cf. ad Ol. VI, 69. et vid. Excurs. d. Olympiis. Alieni igitur cantus *τῶν τὰς νίκας κωμαζόντων*, quos Scholiastes intelligit. Denique de iunctura *μὶν — θεόν*, compara Hom. Od. I, 194. VI, 48. — V. 39. *καὶ σθένει γυίων ἐρίζοντι θρασεῖ*, licet etiam curribus certaretur in Isthmo, poeta more suo ludos ex eo maxime genere certaminum designat, quod huius loci est, gymnicum dico; cf. Isthm. IV, 9, 10. — V. 40. *πότμος δὲ συγγενὴς* cet., vis ingenita indicium fert de omnibus rebus, h. e., ut monet Heynius, vis ingenita omnium, quae aguntur, summam continet. — Post haec restat, ut de consilio versuum antecedentium moneam. Nexus hic est: Venit Peleus per nuptias etiam in affinitatem Neptuni, quem veneratur Isthmus; quare favente Neptuno Aeacidis, bonos successus sperare licet Aeginetis Isthmia adituris. Quaeritur iam, quis tunc aditurus fuerit Isthmia, quum certum sit et plane non dubium haec peculiarem ob causam dici. Nam ubique apud Pindarum, ubi similes loci leguntur, aut victor qui canitur aut alius ex familia novam victoriam meditatur, quod primus perspexit Boeckhius meus et passim notavit. Nunc responsio in promptu; Phylacidas iam tum cogitabat de Isthmia victoria, quem hic significari etiam locus Isthm. V, 5, 6. monstrat, ubi poeta ad hos versus alludit. Atque ita res convenit cum ratione carminis in Introductione explicata. Quum fabula de filiis

Aeaci propter Lamponis filios necesse sit posita fuerit, non esset bene neque ex arte factum a poeta, si tamen nonnisi de Pythea diceretur, si nulla significatio alterius fratris exstaret in toto carmine, qui licet diserte nominari non posset, ita tamen aliquo modo significandus erat, ut ratio carminis sibi constaret. Ac perspiciebant allusionem haud dubie omnes convivae praesentes. — V. 41 sq. Tu vero in Aegina, Euthymenes, Victoriae in amplexus quum rueres, praeclaris potitus es hymnis. *Αἴγινα* opponitur Isthmo, ubi Phylacidas vincet. *Νίκας ἐν ἀγκώνεσσι πιτνεῖν*, ornate dictum pr. vincere, ut Isthm. II, 26. Vicerat autem in Aeaceis, cf. Schol. v. 78. — V. 43. Profecto eadem via sequutum etiam nunc tuus avunculus celebrat ipsius cognatam gentem, Pythea; h. e. atque is nunc etiam te cognatum laudat naviter sequutum. — *μάτρως* nunc avunculus est Euthymenes; nam *πάππος πρὸς μητρός* fuit Themistius infra laudatus, cf. Schol. v. 90. — *μεταΐξαντα*, celeriter sequutum, de puero iam tenera aetate victore. Ceterum confer similes dictiones Pyth. VIII, 36. Pyth. X, 12. Nem. VI, 15. Isthm. III, 64. Adde *διώκειν* Plat. Phaedon. P. 61. B. — *ἔθνος*, ut *γένος* et genus (Heindorf. ad Horat. Satir. p. 138.), dicitur de uno Pythea. Et de constr. *ἔθνος μεταΐξαντα*, quam *σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον* grammatici vocant, vide Elmsl. ad Soph. Oed. R. 1167, et ad Eurip. Bacch. 1306. Buttmann. ad Soph. Philoctet. 497. et 713. Matth. Gr. p. 808. — *ἀγάλλει*, laudat. — V. 44 sqq. memorantur victoriae Pytheae. Nemea favet ei et mensis domesticus, quem Apollo amat; aequales autem domi vicit et Megaris. — *ἄραρεν*, favet, non adversatur, *οὐκ ἀντιξοεῖ*, ut dicit Ol. XIII, 34. Et conferenda *ἀρθμός*, *ἄρθμιος*, *ἀρθμεῖν*, *ἄρμενος*, *ἀνάρσιος*, pleraque ex Homero nota. Add. Blomfld. ad Aesch. Prometh. v. 199. Intelligitur vero praesens victoria. — Mensis domesticus, quem adamavit Apollo, est Delphinius, unus ex anni Aeginetici mensibus, vernus, ut videtur, fere cum Aprili Maiove comparandus. Vide dicta in Boeckhii editione. Hoc mense Delphinia acta, quae vidimus Pyth. VIII, 66, atque his vicerat Pytheas. — *ἅλικας*, pueros Aeginetas, *ἐλθόντας*, ad certamen qui venerant. — *ἐκράτει*, imperfectum, de quo cf. supra v. 5. — *Νίσου ἐν λό-*

φῳ, Megaris, Pyth. IX, 91. De ludis Megaricis dictum ad Ol. VII, 86; ibidem etiam Aeginetici indicati omnes. Postremo ut de toto loco moneam, quid est quod domestica bis nominat? Nempe in Nemea, *Πανελλήνων πανηγύρει*, certavit cum exteris, domi autem et Megaris cum sodalibus suis, ut solebant Aeginetae primum Megaricos, Epidaurios, Thebanos, Atticos ludos adire, antequam ad sacra certamina venirent. Pytheas igitur cum sodalibus suis Megara venerat eosque etiam ibi vicerat. Iam clara est forma loci: „Vicit in Nemea et domi in Delphiniis, et sodales quidem suos et domi et Megaris.“ Iam conveniunt etiam sequentia: Laetor, quod tota urbs, tota iuventus, de laude ludicra certat. — *μάρνασθαι* de certaminibus, cf. ad. Nem. I, 30. — V. 48. Scito, dulce Menandri ope laborum praemium nactus es. *ἴσθι*, ut *ἴσθι, κελαδήσω* Ol. X, 11. — *ἐπαύρεο* aoristus est, cf. d. h. v. Buttm. Lexil. I. p. 80. Gr. ampl. II. p. 84. Ad construct. cf. Matth. Gr. p. 635. — *σὺν τύχᾳ*, Nem. IV, 7. — Sequitur: Oportet vero ab Athenis magistrum athletis adesse. Ibi enim haec ars inprimis florebat quum propter alios ludos tum propter Panathenaea; unde luctam a Minerva inventam tradiderat Ister. — *τέκτων*, rei gymnasticae artifex, magister. — V. 50. Si autem Themistium venisti cantaturus, ne cesses diutius. Non ob solum Themistium venit revera, sed est haec Pindarica forma dicendi in tali transitu. Sic Ol. IX, 84. Lampromachi Isthmicae victoriae dicit se venisse laudandae, sic Ol. XIII, 97. Oligaethidarum Isthmiis et Nemeaeis rebus gestis, quae pars sunt argumenti. — *ἵκεις*, vi perfecti, veluti Hom. Il. XVIII, 406., collat. Buttm. Gr. Ampl. II. p. 156. — *ῥιγεῖν*, cessare, ut frigere dicunt Latini, Cic. Familiar. XI, ep. 14. Verrin. IV, 25. Ceterum fuit Themistius, Pytheae avus maternus, eximius athleta, memoratus etiam Isthm. V, 61. — *δίδοι φωνάν, ἀφίει*, Eurip. Iphig. Taur. 1161. Constructio est *δίδοι φωνὰν φθέγξαι τε*, interpositis verbis: *ἀνὰ δ᾽ ἱστία τεῖνον πρὸς ζυγὸν καρχασίου*, ut vertam: ede vocem velis expansis omnibus et dic. Carchesium quum sit summa pars mali, vela expandere usque ad antennam carchesii est omnia vela expandere, quod fit, ubi *πλησίστιος οὖρος* in expeditissimo cursu. Constat vero velorum comparationem saepissime

usurpari de magna intentione et studio, ac supra Pyth. I, 91. de hospitalitatis studio eam positam vidimus, alias ad orationis contentionem, ubertatem, magnificentiam transfertur, ut hoc loco, ubi sensus est: ede vocem grandisonam. Pertinet eodem loquutio πάντα κάλων κινεῖν, ἐκτείνειν, de qua vid. Heindorf. et Stallbaum. ad Platon. Protag. p. 338. A, ibique laudatos alios viros doctos. Adde denique dictionem ἐφεῖναι καὶ χαλάσαι τὰς ἡνίας τοῖς λόγοις Platon. Prot. l. cit., de qua dixit Ernest. Lex. Technol. Gr. rhetor. p. 153. — V. 52. Constructio videtur: πύκταν τέ νιν φθέγξαι ἑλεῖν ἀρετὰν καὶ παγκρατίου διπλόαν ἀρετὰν νικῶντα, ut tres sint victoriae. De quo genere constructionis, ex quo ad πύκταν suppleo ἀρετάν, non διπλόαν ἀρετάν, cf. Boeckh. Nott. critt. ad. Ol. VII, 86. Boeckhius tamen duas statuit victorias fuisse, alteram pugilatu, alteram pancratio partam. Crederem hoc, si πυγμᾶς legeretur, nunc quum πύκταν dixerit poeta, cavere mihi voluisse videtur, ne duae tantum intelligerentur. Ceterum διπλόα ἀρετά, duplex victoria, ut Isthm. IV, 19. — Ἐπιδαύρῳ, cf. Nem. III fin. — Προθύροισιν Αἰακοῦ, h. e. et in vestibulo Aeacei suspendisse coronas. De Aeaceo, fano Aeaci cum luco, ubi sepulcrum Aeaci, cf. Pausan. II, 29. Müller. Aeginet. p. 161. Saepe ibi victores ludorum gymnicorum coronas suspenderunt dedicatos Aeaco, cf. Nem. VI, 17. VIII, 13. — σὺν ξανθαῖς Χάρισσιν, beneficio Gratiarum, quae victorias s. coronas dederant. Hoc facere Gratias vidimus iam Ol. II, 50.

CARMEN NEMEAEUM SEXTUM.

INTRODUCTIO.

Alcimidas puer Aegineta oriundus erat e gente Bassidarum nobilissima, quae inter Heraclidas fuisse videtur, cf. Müller. Aeginet. p. 138., nec minorem gymnicam gloriam habuit; fuit enim tam insignis pugilatus studio, ut Pindaro teste per totam Graeciam alia nulla reperiretur pluribus pugilatus coronis ornata, atque ex

sacris quidem ludis vigesima quinta fuerit haec ab Alcimida reportata victoria. Tamen ut est imbecilla humana natura, etiam haec eximia gens non conservaverat semper eundem roboris vigorem; qui enim hoc ordine se exceperant Agesimachus, Soclides, Praxidamas, Theo, Alcimidas, ex his Soclides et Theo caruerant laude gymnica, quiescente alternis vi athletica et reviviscente, ut agri alternis quiescunt et fructus ferunt. Quibus rebus quomodo poeta usus sit, statim videbimus. De tempore nihil relatum, tamen propter Melesiam aliptam in fine memoratum suspicari licet circa Ol. 80. victoriam partam. Cantatum vero carmen in Aegina est, credo in convivio gentis. Argumentum hoc est: Post prooemium, in quo docetur genus humanum ex eadem matre cum diis ortum viribus tamen plane differre et fato ubivis obnoxium esse, transit poeta statim ad Alcimidae laudem, qui gentis indolem arvis similem spectandam praebeat nunc fructus ferentibus, nunc dum quiescant vires novas colligentibus, et in vestigiis Praxidamantis avi incedat, qui primus Aeginetarum Olympionices et quinquies coronatus in Isthmo terque in Nemea, sustulerit oblivionem Soclidae patris, qui maximus natu filius Agesimachi pugilis fuerit. Nunc universe laudat eximiam gentem: nullam aliam plures pugilatus coronas tulisse; esse Bassidas iam antiquitus claros, quorum laudes poetae et historici tradiderint, et posse eos largam materiam praebere hymno, ut non opus sit aliunde ornamenta petere. Cuius rei probandae causa excitat ex prioribus instar omnium duos eximios viros, Calliam Pythiis et Creontidam Isthmiis et Nemeis victorem, quos ornate praedicat. Exin pergit posse Aeginam multis modis laudari, quum Aeacidarum virtutes et res gestae insigne decus insulae paraverint, quorum nomen per terram et mare volet et usque ad Aethiopes delatum sit Memnone ab Achille caeso; ingressos esse hanc latam viam laudis iam antiquiores poetas, quos sequatur ipse etiam lubens; tamen quod ante pedes undarum sit, maximas semper movere curas. Venisse vero se lubenter, ut duplex munus exsequatur, et cum Aeacidis laudet vigesimam quintam Bassidarum victoriam, quae plures etiam essent, nisi in Olympia sors iniqua Alcimidae et Polytimidae coronam eripuisset. Denique in fine paucis ornat Melesiam magistrum. His narratis restat, ut compositionem carminis explicem. Revocare felicissime gentium aut singulorum viro-

rum virtutes, res gestas, fata ad rationem suam causamque, atque ita elicere summam aliquam sententiam, quae pro fundamento carminis sit, nosti ingenii Pindarici praeclaram esse laudem. Nunc gentis nobilissimae singulare robur tot victoriis ornatum similitudinis hominum cum diis insigne documentum erat, quemadmodum eiusdem gentis per intervalla orta imbecillitas imbecillitatem generis humani luculenter monstrabat. Hinc summa sententia huius carminis est, quae in prooemio proponitur: Homines et similes esse diis et dissimiles maximopere; atque in hac declarata societate similitudinis et dissimilitudinis, mirifico naturae humanae fundamento, inest poetica vis universi hymni. Ac primum quidem post prooemium transit ad id, in quo imbecillitas gentis conspicitur, ostendens eius vim athleticam non viguisse semper, sed alternis quievisse, ut quam unus assequutus esset certaminum laudem, ea continuo proximus careret, nec nisi qui hunc exciperet recreato cum robore certaminum gloriam renovatam haberet. Quo loco laudanda est exquisita ars poetae, qui ita haec tractavit, ut significans quod significandum erat simul molestiam sententiae minueret mirifice, quemadmodum infra explicabo. Exin in secunda parte carminis tractatur praestantia singularis Herculeae gentis, quae fere princeps sit pugilatu in Graecia et viginti quinque victorias e sacris certaminibus tulerit, ut altera pars sententiae illustretur de similitudine hominum cum diis in tanto nunc robore conspicua. In tali argumento non est multis aliunde petitis ornamentis opus, proprias laudes afferunt Bassidae; quare etiam eo hoc carmen distinctum est, quod nulla fere mythica ornamenta habet. Verum plane abesse ab hymno epinicio Aeacidarum nomen non poterat; poeta nunc elegit ex his fabulis id, quod in summa brevitate praestantiae gentis omnium maxime conveniret. Dicit enim de gloria Aeacidarum per terras et mare ad Aethiopes usque propagata Memnonis caede, maximo Achillis facinore, ut magnifica imagine etiam Bassidarum nomen significet non cohiberi Aeginae finibus, sed per totam Graeciam cognitum et ad exteros trans mare divulgatum. Postremo in fine duas victorias Olympicas iniqua sorte nuper ereptas memorans pulcre redit ad initium carminis et ad vim fatalem, cui etiam huius gentis fortuna subiecta sit. His adde quae infra ad singulas partes de tractatione monita sunt.

EXPLICATIO.

V. 1 — 7. Prooemium. De hominum cum diis similitudine et dissimilitudine. — ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος cet., unum genus hominum est, unum deorum, quae nata quidem ex una matre sunt (h. e. cognata sunt), vi tamen plane differunt, quandoquidem illud nihil est, aheneum vero coelum semper manet firmum. Verba: ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος vulgo male interpretantur: unum idemque est hominum et deorum genus, contra claram mentem poetae et linguam, quum repetitio pronominis nonnisi disiungendi vim habere possit. Matthiae V. Cel. in Seebodii Archivo (für Philol. und Paedagog.) ann. 1825. p. 682. his a me iam in Boeckhii editione positis verbis opponit, qui ex una matre sint, eorum haud dubie unum genus esse. Quod quomodo dicat non intelligo; quum enim terra omnium animantium atque etiam plantarum communis mater sit, nemo contendat haec omnia propterea eiusdem generis esse. Quod autem addit particulas ἁμὰ μέν, ἁμὰ δέ similiter de una eademque re dici, veluti Demosth. Pr. Coron. p. 330. Bekk. ὑπελείπετο γὰρ αὐτῶν ἕκαστος ἑαυτῷ ἁμὰ μὲν ῥᾳστώνην, ἁμὰ δέ, εἰ γίγνοιτο, ἀναφοράν, lector ipse videbit, si res aliqua simul et hoc et illud commodum habeat, non dici haec commoda unum idemque esse. Omnino alienae illae particulae, quae semper disiungunt et nusquam significant quod vir praestantissimus censet. Pindari autem explicationem quam dedi, ea non poterit, opinor, idoneis argumentis refutari. — πνέομεν, spiritum ducimus, vitam habemus ex una matre Terra, unde cetera omnia nata esse constat, cf. Hesiod. Theog. 116. — πᾶσα κεκριμένα, separat eos vis tota diversa, quoniam deorum vis immortalis est. Comparavit Heynius κεκριμένην γενεήν Hes. Scut. Hercul. 55. — V. 3. ὡς τὸ μὲν οὐδέν, alterum enim debile est et caducum, cf. exempla loquutionis Matth. Gr. p. 816, et vid. ad Pyth. VIII, 95. — ὁ δὲ χάλκεος cet., cf. Hom. Od. VI, 42. Hes. Theog. 126. Dictio suavis et poetica. — V. 4. ἀλλά τι προςφέρομεν ἔμπαν sqq., tamen quodammodo similes sumus sive magna vi mentis sive cor-

pore immortalibus. Ut διαφέρειν est differre, sic προςφέρειν similem esse, cf. versum laudatum in Schol. ad Nem. III, 127. Et Pind. Fragm. Inç. nr. 70. Vulgo προςφέρεσθαι Herod. I, 116. Omnino non rarum est verba a φέρω composita transitivam potestatem deponere, ut ὑπερφέρειν, προφέρειν, ἀναφέρειν, συμφέρειν, ἐκφέρειν, notante Musgravio ad Soph. Oed. Col. 1489. — φύσιν, corpore, veluti Isthm. III, 67. de statura, et alias, ut Soph. Oed. R. v. 740. Aegre hanc significationem in Passovii Lexico desidero. — Mox ἤ — ἤτοι pro vulgari ἤτοι — ἤ, cf. notata in Boeckhii editione et vid. Matth. Gr. p. 1256. Utitur autem disiunctivis particulis, quia alius mente, alius corpore diis similis, ut nunc Bassidae membrorum robore. — V. 6 sq. construe: καίπερ ἐφαμερίαν οὐκ εἰδότες ποτὶ οἵαν τινὰ στάθμαν ἄμμε πότμος ἔγραψε δραμεῖν οὐδὲ μετὰ νύκτας, et verte: quanquam nec interdiu nec noctu quamnam nos fatum iusserit currere ad metam scientes, h. e. quanquam semper obnoxii fato, nec quae interdiu nec quae noctu instent scientes. — μετὰ νύκτας, noctu, ut μεθ᾽ ἡμέραν interdiu, pro quo nunc ἐφαμερίαν dixit metam, ad quam per diei tempus curritur. — στάθμαν, cf. ad Pyth. IX, 122. — ἔγραψε, iussit, proprie legem scripsit, veluti sunt θεοὶ τοὺς νόμους βροτοῖς γράψαντες Eurip. Ion. 442. Proprium enim γράφειν et scribere de legibus. Tamen πότμος non est persona, nec quisquam de hoc cogitavit. Confer igitur Nem. IV, 42. V, 17. — Postremo de universo prooemio notabis haec: Docetur primum homines cum diis ex una matre ortos, sed minuitur statim haec laus subiecta sententia de diversitate virium; docetur porro nos quodammodo similes esse diis, sed opponitur etiam huic dicto aliud de fato, cui simus obnoxii: deprimitur igitur laus similitudinis nostrae cum diis et extollitur sententia de imbecillitate humana, ut, nisi Pindarum penitus perspicias, credas eum nonnisi diversitatem hominum et deorum docere voluisse. Cave vero decipiaris; voluit proponere utrumque, et similitudinem et dissimilitudinem, ut in Introductione exposui: sed similem esse diis certum quendam hominem, certum quoddam genus tanta laus est, ut caute et decore tractari deberet. Quare non amplificavit gloriosus hanc sententiae partem, ut ineptus poeta fecisset, sed depressit eam quovis

modo, quasi dicturus nonnisi de altero. Eadem de causa in sequentibus locum de imbecillitate humana aperte transfert in huius gentis fortunam, laudem vero similitudinis cum diis directis verbis omnino cavet ei tribuere, satis habens ita praedicare eam, ut attentus lector comparato prooemio facile perspiciat quod eloqui poeta non poterat. Et bene intelligebant talia veteres, et delectabantur, credo, etiam audaciore laude, si tecte, modeste, decore tractaretur. Similiter in Pythio primo Hieronis magnificentiam regiam cum Iovis divina maiestate comparat, ut vidimus, non disertis verbis eloquens, quod ineptum fuisset, sed ita tamen significans, ut dubitari non possit. Vide quae de indirecto dicendi genere apud Pindarum explicuimus in Dissertatione huic libro praemissa.

V. 8 — 25. De vi fatali in Bassidarum gente, quae alternis gymnicum robur deficere vidit. Prima verte: Exhibet etiam nunc Alcimidas indolem gentis suae similem spectandam frugiferis arvis, quae alternis modo fructus camporum suorum copiosos hominibus praebent, modo quiescentia vires colligunt. — καὶ νῦν, quoniam ante, in fine prooemii, de vi fatali dixerat generatim. Porro simplex sententia haec est: Etiam Alcimidae gens alternis passa est virium defectum. Sed suavius comparatione arvorum utitur: Similes Bassidae arvis, quae modo fructus ferunt, modo quiescunt. Minus enim moleste ferimus quae communia intelligimus esse nobis cum rerum natura. Comparatio eadem Nem. XI, 38 sqq. Verum etiam hoc iucundius expressit sic: Similis Bassidarum indoles arvis, quae modo fructus ferunt, modo quiescentia vires colligunt, quo artificio hoc consequitur poeta, ut non in quietis nomine subsistat oratio, sed cum quiete novarum laudum spem videamus coniunctam, atque ita tandem Alcimidas, recreatam habens gentis virtutem, recte dici potuit gentis sibi innatam indolem spectandam praebere talem, quae, si defectum vigoris interdum experiatur, nova tamen semper per quietem gloriae subsidia nacta sit. Disces etiam ex hoc exemplo insignem Pindaricae orationis artem. — τεκμαίρει, ostendit, probat (bewährt) facto et virtute sua. Activum verbi primus habet Pindarus hic et Ol. VI, 73., ubi similis significatio. Ad

constr. τεκμαίρει ἰδεῖν cf. Ol. IX, 74. — τὸ συγγενές, τοὺς συγγενεῖς, gentem suam, ait Hermannus. Meo iudicio hic quidem praestat vertere: indolem gentis sibi ingenitam, hanc enim τεκμαίρει Alcimidas. — ἄγχι, nota sunt ἄγχιστα ἐώκει, ἐοικώς, ἔοικω, unde similitudinis significatio fluxit, conspicua in ἀγχίθεος Hom. Hymn. in Ven. 201. — βίος ἐπηετανός, Hesiod. Op. 21. — V. 12 sqq. ἐρατῶν, propter victoriam, cf. Ol. IV, 9. — ταύταν αἶσαν, hanc fortunam, victoriam ludicram. Pronomen igitur ex antecedentibus illustrandum. — μεθέπων, consectans, διώκων, a venatione (Ol. III, 31.) petita metaphora, quam ostendit sequens κυναγέτας. Nempe dicturus est Alcimidam sequi vestigia avi, huc tendit oratio. Hinc dicitur Alcimidas venator nota vestigia premens, ut consectaretur victoriae laudem. — Διόθεν, a Iove dandam. Pyth. XI, 50. θεόθεν divinitus data. — οὐκ ἄμμορος, felix, particeps, qui non sine praemiis rediit. De voce cf. ad Soph. Oed. R. 248. et Porson. ad Eurip. Hec. Praefat. p. XII. Lips. — πόδα νέμων, movens, ut ἐκνέμειν πόδα Soph. Ai. 367., ubi vid. Lobeck. Ad totam loquutionem ἐν ἴχνεσιν Πραξιδάμαντος πόδα νέμων cf. Iacobs. Animadv. in Eurip. p. 9., et vid. supr. Nem. V, 43. — ὁμαιμίου non superfluum, quum possis per adoptionem habere avum non consanguineum. Tacetur vero pater pueri, quum hic gymnica gloria careret. Postremo verte totum locum: Rediit enim e Nemeae praeclaris certaminibus puer certator, qui hanc consequi cupiens a Iove fortunam nunc apparet non infelix in lucta venator, vestigiis Praxidamantis avi incedens. — Praxidamas, nobilis athleta sui temporis, primus Aeginetarum Olympionices fuerat, ut hic videmus. Vicerat Ol. 59. teste Pausan. VI, 18, 5. — Iunges vero στεφανωσάμενος Αἰακίδαις πρῶτος ἔρνεα ἀπ᾿ Ἀλφεοῦ, et vertes: Ille enim Olympionices quum esset, primus qui corona oleagina ab Alpheo se coronaret in honorem Aeacidarum. Honori enim domesticis heroibus esse victorias civium satis e Pindaro constat; hoc loco praeterea suspicari licet, quod maxime verisimile, Praxidamantem coronam, quae prima esset Olympica in Aeginam reportata, dedicasse Aeacidis in Aeaceo, de qua re vide ad Nem. V. fin. Sustulit hic Soclidae patris oblivio-

nem, ut Alcimidas nunc Theonis parentis. — Ceterum de medio στεφανωσάμενος vide ad Ol. VII, 81., ubi tamen quod addidi de usu passivo aoristorum medii in aliis locis non negando nunc etiam cautius dictum velim, quum pleraque omnia incerta sint; cf. Mehlhorn in Programmate Scholastico Glogaviensi Michael. 1828. p. 12. — ὑπέρτατος, natu maximus, deficiente statim in primo filio robore gymnico, quod in Agesimacho erat. — V. 24. Nam hi tres coronas adepti ad summam laudem pervenerunt, qui etiam soli certamina adierunt. — πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἐλθεῖν est summam virtutis laudem consequi, quod fit victoria. Vid. Pyth. XI, 56. et Isthm. III, 50. Simonid. in Br. Anal. T. I. p. 123. ἐς ἄκρον ἀνδρείας ἱκέσθαι [Anth. Pal. VII, 558. ἐς γὰρ ἄκρον μούσης τε καὶ ἥβης ἦκον ἐλάσσας.] — πόνων ἐγεύσαντο, Pyth. X, 7. — Postremo vides, quam pulcre poeta totum hunc locum adornaverit: orsus ab Alcimidae victoria adscendit ad Agesimachi nomen, posita in medio Soclidae mentione, Theone vero etiam silentio praeterito, atque ita mirifice cum significatione imbecillitatis laudem victoriarum coniunxit, ut propemodum obliviscaris illam, et nonnisi hanc tractatam credas. Nempe quae generatim dicuntur iniucunda facile fers, quia non tangunt te proxime; at translata ad te statim tibi molesta sunt et displicent; quod sciens poeta de Bassidarum imbecillitate dixit lenissime, quum de universa imbecillitate humanarum rerum in prooemio gravissime dixisset.

V. 25 — fin. Pars altera carminis, eximias Bassidarum laudes proponens iniecta etiam Aeacidarum mentione. Dixi in Introductione hoc loco illustrari similitudinem Bassidarum gentis cum diis, quod licet non eloquatur poeta disertis verbis nec potuerit eloqui, at significavit quantum satis prooemio iis, qui nasum habeant et intelligant poesin. In ipsa enim hac oppositarum rerum, similitudinis et dissimilitudinis, coniunctione inest poetica ratio carminis. — σὺν θεοῦ τύχᾳ pie praemissum, ut in tanta laude. Moneo talia, ut ad omnes attendas classicae orationis virtutes. — οἶκον, gentem. ταμίαν, comparatione ducta a thesauro coronarum plurimarum, quem servet haec domus; unde etiam στεφάνους dixit, non νίκας, et οἶκον, non πάτραν. Ita enim postulabat metaphorae ratio. —

μυχῷ Ἑλλάδος, Hom. Il. VI, 152. Od. III, 263. — V. 28 sqq. Dicit: Spero me magna dicendo scopum assequuturum tanquam ab arcu sagittam mittentem, h. e. spero me tantam gentis virtutem dignis laudibus ornaturum. — ὡτ᾽ ἀπὸ τόξου ἱείς, scil. ὀϊστόν, h. e. certo iactu, quasi si ab arcu mitterem sagittam. Pergit: εὔθυν᾽ ἐπὶ τοῦτον —᾽ εὐκλεῖα, recta igitur dirige huc, o Musa, carminum ventum laude gravem. Est haec sententia antecedentis quasi apodosis, ut asyndeton per quare explicandum sit. Vide iterum Excursum de Asyndeto. — οὖρον ἐπέων, ut οὖρον ὕμνων Pyth. IV, 3., ducta metaphora a navigatione (Pyth. II, 62.), in qua nunc Musa dirigere debet ventum. — ἐπὶ τοῦτον, scil. οἶκον, ad huius enim laudes oratio tendit. Male vero Scholiastes supplet σκοπόν, opinor, iniucunde commixtis duabus metaphoris, quum sagittae σποπόν versus non navigetur. — εὐκλεῖα accusativus, cf. Matth. Gr. p. 230. — Sequitur: παροιχομένων γὰρ ἀνέρων — ἐκόμισαν, praeteritorum enim virorum pulcra facta poetae et historiarum scriptores iis foverunt, Bassidis quae multa sunt, h. e. priorum enim gentis virorum talis exstat memoria per poetas et historicos tradita tamque multa sunt egregia facta, ut non desit unde laudes petam. — παροιχόμενοι, ut praeteriti Propert. II, 13, 52. Obiter nota ψυχὰς οἰχομένων in Fragm. Hermesian. ap. Athen. XIII. p. 597. — ἀοιδοί, qui victorias cecinerunt olim ab iis reportatas. — λόγοι, historiae, h. e. λόγιοι scriptores historiarum, Pyth. I, 94. Intelligit logographos, quorum quidam in rebus Aegineticis Bassidarum videntur mentionem fecisse. — ἐκόμισαν, foverunt, servarunt, ne interirent. — σφίν ad τοῦτον, h. e. ad οἶκον refer, obvio usu, veluti infr. 48. Hom. Od. I, 277. Sic αὐτούς ad πόλιν relatum Sophocl. Oed. C. 942. Add. Stallbaum. ad Platon. Phaedon. p. 23. et Bernhardy Grammat. p. 288. — Βασσίδαισιν cum vi praepositum ad emphasin nominis, h. e. eaque multa sunt tali genti, qualis Bassidae. Ceterum notavimus nominum emphasin ad Ol. IX, 75. — παλαίφατος γενεά per appositionem additur voci Βασσίδαισιν, transeunte tamen poeta ad nominativum, non negligenter, sed consulto, ne languescat oratio

in continuata descriptione, sed nova cum vi surgens alacrius procedat. Conferre licet Homerica Il. VI, 396. X, 437. Od. 1, 51. Aesch. Pers. 34. Vide plura exempla ap. Bernhardy in Synt. p. 68. Nondum video recte tractari harum constructionum vim in omnibus grammaticis, cf. modo Matth. Gr. p. 804. Pertinet eodem transitio ad accusativum ab alio casu in appositione, ut in nobilissimo loco Soph. Antig. 850. *ἔψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας, πατρὸ τριπόλιστον οἶτον*, quod ibi ad pathos augendum pulcre est institutum. Nimirum praeter grammaticam etiam rhetorica et poetica ars orationis nobis discenda est, nimis hucusque neglecta. — *ἴδια ναυστολέοντες ἐπικώμια*, propria laudes navi vehentes, quemadmodum qui navem habent propriis mercibus onustam, ut non opus sit aliena bona conquirere ad explendam eam. Dictio accommodata Aeginetarum studiis nauticis et mercatoriis. *ναυστολεῖν* hic proprie dicitur navi aliquid vehere, ut Eurip. Or. 739; aliis in locis est navi proficisci, ut Aristoph. Thesm. 1112. — *Πιερίδων ἀρόταις* cet. Nunc aliam iuxta ponit metaphoram, ut faciunt in rebus ornatius amplificandis. Sunt vero *Πιερίδων ἀρόται* poetae, cf. Nem. X, 26. Vid. praeterea Pyth. VI, 2. — Exin a V. 35. instar omnium excitat duos viros e prioribus; neque enim dubitabis e praeteritis hoc esse, si antecedentia accurate legisti. — *χεῖρας ἱμάντι δεθείς*, ut teneas etiam hunc fuisse pugilem. — *ἀπὸ ταύτας αἷμα πάτρας*, Ol. VII, 83. *σπέρμ' ἀπὸ καλλιάνακτος.* — *ἁδὼν ἔρνεσι Λατοῦς*, placens liberis Latonae, quos praesides Pythiorum vidimus Pyth. IV init. — *Χαρίτων ὁμάδῳ φλέγεν*, intelligendi sunt vespertini cantus amicorum *κωμαζόντων*, victorem recentem celebrantium, de quibus vid. Introd. ad Ol. IV. et ad Pyth. VI. et cf. Pyth. VIII, 20. Nem. X, 35. Gratias cantibus victorialibus praeesse persaepe vidimus. Hoc igitur Gratiarum cantu Callias splenduit celebratus. Suaviter dictum *ἑσπέριος φλέγεν.* — *πόντου τε γέφυρα ἀκάμαντος*, et Isthmus, *ἐν ἀμφικτιόνων ταυροφόνῳ τριετηρίδι*, in circumcolentium urbium trieterico festo, quum Isthmia primis et tertiis Olympiadum annis celebrarentur, honoravit, Creontidam, *Ποσειδάνιον ἂν τέμενος*, in sacro Neptuni pineto. Locus, ut vides, ornatissimus. Vocem *ἀμφικτιόνες* legimus iam

Pyth. IV, 66., et X, 8. Sed quid hic significat? Constat quidem praesides Isthmiorum Corinthios fuisse, cum Corinthiis vero aliae complures civitates inde a mythico tempore ad hos ludos celebrandos coniunctae fuerunt, quae etiam postea *θεωρίας* mittebant, ut Athenienses. Sic vides quos nunc *ἀμφικτίονας* dicat. Ceterum de forma huius Amphictyoniae confer quae Müllerus meus Histor. Orchom. 360, 1. de priscis Triphyliae civitatibus exponit. — Ad reliqua vid. Nem. V, 38. Sequitur *βοτάνα τέ νιν — ὄρεσιν.* Sita Nemea prope Phliasios montes cum cupresseto sacro, ubi templum Iovis erat et ludi habebantur. Hic locus dicitur *νάπα λέοντος* Isthm. III, 11. *χόρτοι λέοντος*, unde quod ibi crescebat apium, victores et nunc Creontidam coronans, *βοτάνα λέοντος* nominatur. *ἔρεφε* pr. *ἔρεψε* Schmidius probante Hermanno, qui imperfectum explicat: gerebat coronam. — *ἄσκιος*, umbrosus, ut *ἄσκιος ὕλη* Hesychio explicatur *ἡ δασεῖα ὕλη*. Disputavit de hoc genere verborum nuperrime Nitzschius in Commentario docto ad Odyss. I, 20., ubi vide aliorum indicatas sententias, neque tamen res iam ad liquidum est perducta. — Ceterum etiam in urbe Phliuntis ludos habitos apparet ex Epigr. Simonid. 75., qui tamen ab hoc loco alieni. *ἄσκια ὠγύγια ὄρη Φλιοῦντος* memorantur ad ornatum. — V. 47. *πλατεῖαι πάντοθεν ἔντι πρόςοδοι*, lati undique et expediti aditus sunt ad laudes Aeginae. Cf. Isthm. II, 33. *οὐ γὰρ πάγος οὐδὲ προςάντης ἁ κέλευθος γίγνεται, εἴ τις εὐδόξων ἐς ἀνδρῶν ἄγοι τιμὰς Ἑλικωνιάδων.* Et Isthm. III, 19. *ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾶ κέλευθος* cet. Bacchylid. ap. Plut. Num. c. 4. (Fragm. Bacchyl. Neue p. 57.) *εἰ δὲ λέγει τις ἄλλως, πλατεῖα κέλευθος.* — *λογίοισιν* nunc universe doctis priscarum rerum, cf. Creuzer. V. Cel. de Arte Histor. Graec. p. 176., quoniam *λόγοι* etiam mythicae traditiones sunt Pyth. III, 80. Sic nunc vox etiam poetas comprehendit. — *ἐπεί σφιν Αἰακίδαι* sqq., quum insulae Aeacidae praebuerint insignem gloriam facinora magna edentes. *σφίν* ad *νᾶσον* refer, ut v. 31. referebatur ad *οἶκον*. — *ἔξοχος αἶσα* praeclara, magnifica fortuna est gloriae insigne decus, quo excellit Aegina. — V. 51. *αὐτῶν*, Aeacidarum. — *πέταται*, Isthm. III, 27, 59. — V. 52. *βαρὺ δέ σφι δεῖξε νεῖκος*, gravem iis ostendit pugnam Achil-

les, quum e curru descendisset et solus cum Memnone manum consereret, ut faciunt Homerici heroes, spectantibus Aethiopibus. — ἔγχος ζάκοτον, similia laudant interprett. ad Horat. Od. 1, 3 fin. — V. 55. καὶ ταύταν μὲν cet., atque hanc latam laudum viam antiquiores iam ingressi sunt poetae et cecinerunt Aeacidas eximie. — ἕπομαι δὲ καὶ αὐτὸς ἔχων μελέταν, sequor et ipse lubens nec sine studio; μελέταν, σπουδήν, vid. Schol. et cf. Ol. I, 107. ἔχων τοῦτο κᾶδος. Quum Pindarus hic pauca tantum de Aeacidis dixerit, ne quis hoc tantorum heroum incuria factum credat, lubenti animo se et ipsum dicit Aeacidarum res canere ad exemplum priorum, quanquam nunc etiam aliis rebus occupetur. Hoc inest in sequentibus: Verum quod ante pedem navis quoque tempore volvitur undarum, id dicitur cuique maxime percutere animum, h. e. ut nautis maximam curam affert quae ante navem tollitur unda, quomodo eam superent, sic etiam me praesens maxime labor sollicitum habet. — πὰρ ποδὶ ναός, ante carinam navis. — ἑκόντι δ' ἐγὼ νώτῳ μεθέπων κ. τ. λ. hoc est: non invito vero ego tergo subiens duplex onus nuntius veni, praeter Aeacidarum dictam laudem quintam super vicesimam hanc canens victoriam e sacris certaminibus reportatam, quam Alcimidae exhibuit clara gens. Duplex onus est enim Aeacidarum priscorum et huius vigesimae quintae Bassidarum victoriae laus. ἑκόντι νώτῳ dixit propter vocem ἄχθος. — ὅ γ' ἐπάρκεσεν, quam celebrandam suppeditavit. — V. 63 sqq. Duas apud Cronii lucum tibi puer eripuit et Polytimidae sors temeraria coronas Olympicas. Polytimidas fuit alius puer e Bassidarum gente, Alcimidae cognatus. — πὰρ Κρονίου τεμένει, Olympiae in sacro loco ad Cronium collem. — κλᾶρος προπετής est sors, quae Alcimidae et Polytimidae, quum manus in urnam demitterent, temere prolapsa se obtulerat et educta eos composuerat cum adversariis nimis robustis, ut vincerentur. Sortitionis rationem, qua certantium paria componebantur, vide accurate descriptam ap. Lucian. in Hermot. c. 40. Bip. Tom. IV. p. 55. Quaeras vero, cur poeta commemoraverit hanc rem infelicem. Nempe gentem celebraturus pugilatu unam omnium

celeberrimam, iam in prooemio graviter dixerat de imbecillitate generis humani; ostenderat deinde Bassidas revera etiam fortunae vicissitudines expertos; nunc post omnes laudes enarratas redit ad idem, repetitque in fine quod initio significaverat, prudenter moderans eximiae laudis splendorem obscuriorum temporum commemoratione. Pulcra virtus optimorum poetarum est modum tenere in laude, et in optima fortuna etiam inconstantiam rerum humanarum in memoriam revocare. Ceterum de criticis rationibus huius loci, ut nunc a Boeckhio constitutus est, vide quae exposita sunt in Explicationibus editionis maioris Boeckhii. — Postremo paucis etiam magistri mentionem facit, ut moris erat. Dicit: Delphino celeritate per mare parem dixerim Melesiam manuum et roboris rectorem, h. e. dexterrimum et maxime agilem gymnasticae magistrum, qui agilitatem membrorum viriumque praesentissimum usum monstrare et docere possit discipulos, ut pauci alii. Comma, quod vulgo positum est post *Μελησίαν*, delendum fuit. Delphini celeritatem notavimus Pyth. II, 50. — *ἁνίοχον*, cf. Iacobs. Animadv. ad Eurip. p. 308. Et cf. Isthm. III, 89. — *χειρῶν*, Ol. IX, 111.

Carmen Nemeaeum septimum.

INTRODUCTIO.

Victoriam, quam canit hoc carmine Pindarus, Scholiastes reportatam dicit Nemeade decima quarta; quae res repugnat Eusebii testimonio primam Nemeadem Ol. 53, 1. actam referentis, ut decima quarta ante Pindari tempora fuerit. Quare Hermannus felicissima coniectura pro Nemeade decima quarta censet quinquagesimam quartam apud Scholiasten substituendam, in quo pro numero *ιδ'* rescribitur *νδ'*, et pro altero qui in Scholiis est *ιγ'*, corrigitur *νγ'*, qua Nemeade, quae iam non decima tertia, sed quinquagesima tertia est, quinquertium Nemeae institutum per-

hibet Scholiastes. Probavit haec etiam Boeckhius. Sic Nemeas quinquagesima quarta incidit in Ol. 79, 3., aut Ol. 79, 4., si, ut cum Corsino Boeckhius censet, Nemeades non primis et tertiis, sed secundis et quartis Olympiadum annis actae sunt. Hactenus de tempore. Vide plura de his rebus in Boeckhii editione. Carmen autem scriptum est Sogeni, puero eximio, Thearionis filio, e gente Euxenidarum nobili, qui, ut refert Scholiastes, primus Aeginetarum puerorum quinquertio vicit. Ac probabile etiam, quod Hermannus notat, neminem Euxenidarum ante eum victoria e sacris ludis reportata inclaruisse, quum nullae aliae gentis victoriae laudentur. Argumentum hoc est: In prooemio invocatur Ilithyia genitrix liberorum, sine qua non haberemus validam iuventutem; ac quum non omnes ad eadem nati simus fato, per hanc deam Sogenes virtute distinctus victor canitur inter quinquertiones. Habitat enim in urbe epiniciorum et certaminum studiosissima; si quis autem vicit, lubentibus canitur Musis; nam magnae virtutes obscurae sunt hymnis carentes, et unum tantum novimus speculum pulcris factis, si Mnemosynes beneficio compensentur carminum cantilenis. Prudentes de futuro tempore cogitant nec sumptibus parcunt, quum dives pauperque pariter moriantur. Ego vero, pergit, maiorem credo quam pro rebus gestis famam Ulyssis factam per dulces cantus Homeri, quum magnificum quiddam insit versibus eius et ars decipiat fabulis iucundis multitudinem; nisi enim caecum esset vulgus, non occidisset se de armis iratus Aiax fortissimus Graecorum post Achillem ante Troiam. Verum communis est mors et inglorium gloriosumque pariter attingit; honos vero eorum est heroum, quorum deus Delphicus auget famam mortuorum auxiliatricem, qui ad umbilicum terrae venerunt; in Pythio vero pavimento sepultus iacet Troiam Neoptolemus postquam vastavit, unde redux primum in Epirum venit ibique breve tempus regnavit, tum Delphos petiit, manubias deo agens, ubi in pugna propter carnes sacrificiorum eum feriit sacerdos cultro. Doluerunt Delphi hospitales, at fato satisfactum est, ex quo Aeacidarum aliquem oportebat in sacro loco sepultum habitare Delphis inspectorem iustum pompis heroicis ludisque, quod munus nunc exsequitur Neoptolemus optime. His narratis abrumpit orationem Pindarus, quum omne nimium displiceat, et ad res praesentes

redit. Ac primum quidem nunc Thearionis patris fortunam laudat, qui divitiis beatus atque etiam certamina olim adire ausus, mentis vigorem conservet licet senex. Dico haec, ait, ut vera sunt; hospes sum et procul habens invidiam canam te ut mereris. Cogniti sunt mores mei per totam Graeciam a Thebis ad ultimam Achaeorum urbem prope mare Ionium, probantque carmina mea non me esse malignum. Post haec ad Sogenis laudem redit, ac praemissa affirmatione se non transiturum veritatis modum in laudando, parat puero coronam singularem e coralio, auro et ebore. Recordatur deinde etiam Iovis Nemeorum patroni et Aeaci, tum transit ad Herculem, Gigantum domitorem, inter cuius duo sacella salvus habitavit Sogenes. Hunc precatur, ut cum Iove et Pallade avertat mala a familia et robur iuveni ac seni adesse velit firmum, fortunamque praesentem praeclaram etiam posteris conservet et augeat. Se vero affirmat noluisse unquam improbis verbis lacerare Neoptolemum; verba tamen plura de ea re non facturum. — Dicendum nunc est de vera ratione carminis, quam rem paullo difficiliorem vix recte expedias, nisi et quid poesios ratio postulet memineris et Pindaricorum carminum analogiam ante oculos habeas. Igitur, ut ab hoc ordiar, videmus etiam in hoc carmine ut in aliis mythicam partem et non mythicam, quarum ea debet esse ratio, ut sibi respondeant. Accedamus primum ad eam partem, quae directam orationem habet faciliorque est ad intelligendum, et quaeramus, quae sententia insit; tum considerabimus mythica et componemus utrámque partem. Praedicat poeta in prooemio Sogenem ab Ilithyia eximio robore instructum, huius deae beneficio victoriam tulisse quinquertii, divinitus insitas virtutes significans resque cum deo gestas; dicit deinde sine poesi etiam magnas virtutes obscuras manere et esse unum tantum speculum rebus pulcris, si Mnemosynes beneficio illustratae compensentur. Nempe ut est in exitu Pyth. I. *τὸ παθεῖν εὖ πρῶτον ἄθλων, εὖ δ᾽ ἀκούειν δευτέρα μοῖρ᾽· ἀμφοτέροισι δ᾽ ἀνὴρ ὃς ἂν ἐγκύρσῃ καὶ ἕλῃ, στέφανον ὕψιστον δέδεκται.* Ac data opera id agit Musa in fine, ut coronam laudis singularem Sogeni componat e coralio, auro et ebore, pretiosissimam et durabilem maxime, quam non edat dens aut vetustas. Haec igitur satis clara videntur; nunc antequam ad mythica pergam, quaero primum, quorsum haec

dicantur et fiant? Vix videtur mihi dubitari posse, quod olim non perspexeram, Thearionis domum invidia laborasse et graves inimicos obtrectatoresque virtutis habuisse, qui, quum gens antea ingloria fuisset, etiam huius victoriae laudem calumniis quibusvis obscurare et opprimere conarentur. Videbimus infra, quae poeta post Thearionis laudem de ingenio suo a malignitate alieno subiicit, quomodo etiam huc pertineant; ducit vero eodem locus in fine de Hercule Gigantum, validissimorum hostium, domitore, in cuius tutela inter duo sacella dei felix Sogenes victurus sit; nec minus postulat hoc ut statuamus comparatio fabularum, de quibus statim dicemus; denique apparet sic, cur laudet Sogenem, quod de futuro tempore cogitaverit et carmen sibi paraverit virtutis speculum futurum, atque, ut uno verbo dicam, universa carminis sententia non potest explicari aliter. Sed veniendum est ad mythicam partem. Scripserat Pindarus non diu ante hoc carmen in paeane Delphis facto, Neoptolemum ibi periisse rixantem de carnium portione debita, quem locum Aeginetae quidam perperam interpretati graviter reprehenderant poetam, quod quum Neptolemum sacrilegii faciendi causa Delphos venisse fabulae quaedam ferrent, etiam in illis verbis simile quid inesset. Quae quidem perversa opinio quum eo valeret, ut Aeacidarum summorum heroum fama impie laesa videretur, verendumque esset, ne minueretur favor urbis Thebanum vatem insigniter colentis, Pindarus data opera hunc errorem refutandum censuit, ut et Neoptolemo honos esset et suorum ipsius morum probitas constaret. Intexuit igitur fabulam de Neoptolemo eamque tractavit magnifice, ut nihil de illo heroe dici posset honorificentius; simul vero, quod non minus admireris, ita ea narratione utitur, ut ceteris rationibus carminis commode inserviat et cum summa eius sententia conveniat optime. Nam Aeacidae sunt omnium rerum summum in Aegina exemplum; horum fabulis laudes pariter ac fata victorum illustrantur. Tamen quum vulgo Neoptolemi fabulae non soleant tractari in his epiniciis, ubi Pelei, Telamonis, Achillis, Aiacis maxime nomina legere consuevimus Aegineticis rebus propiora, addit et praemittit Aiacis exemplum, atque inde via munita ad Neoptolemi laudes transit tanquam principem carminis partem. Quo quidem artificio etiam illud consequutus est, ut ab opposito Ulyssis exemplo or-

diri mythica licuerit, ad perspicuitatem et ad vim universae carminis sententiae mirifice apto, quemadmodum omnino magna vis poesios in oppositionibus luculentis versatur. Quid igitur? Quam vulgo magnam famam Ulysses habet, ait, per suavia mendacia Homeri credita multitudini, ea tamen non potest intelligentem fallere; invidis artibus vicit Aiacem, ut hic se ipse interficeret, nec colitur Delphis inter ceteros heroes. Verus honos est eorum heroum, quibus deus in umbilico terrae apud se Delphis cultis auget gloriam post mortem auxiliatricem; colitur ibi Aiax olim contemptus ad Troiam, habitat insigni honore ornatus Neoptolemus, quum Troia eversa eo venisset, occisus quidem iniuria a sacrificulo, sed in fatis erat, ut Aeacidarum unus, prope ipsum templum sepultus in sacro septo, heroicis pompis praeesset et ludis inspector. Vides iam quid Pindarus dicat, et quomodo haec cum reliquo carmine conspirent mirifice: Aiax et Neoptolemus praeclaris rebus gestis pariter distincti, ambo gravem iniuriam passi sunt, sed iidem aeternum honorem habent apud Delphicum deum. Talis est genuinae virtutis praestantia, quum contra futilis sit, etiamsi magnum poetam inveniat, callidis artibus subnixa fama, qualem invidi quaerunt Ulyssi similes. Quare etiam tua virtus, o Sogenes, licet malevoli homines eam opprimere conentur, vivet per Mnemosynen post mortem superstes et coronam habebit non interituram, quemadmodum Aiacis et Neoptolemi gloria, licet iniuriam passa, Delphis claret indelebilis. Interim viventem precatur ut Hercules tueatur, Gigantum domitor, detque cum robore felicem ad finem cursum. Atque haec nunc mea est de carminis difficillimi ratione sententia. Disputavit de hoc carmine etiam H e r m a n n u s in Dissertatione de Sogenis Aeginetae victoria quinquertii Lips. ann. 1822., in qua quae de singulis quibusdam locis dixit infra videbimus, nunc illud affero, contendi ab Hermanno Pindarum consolari in hoc carmine gentem Euxenidarum, quod diu ingloria fuerit. Non indicavit Vir praestantissimus quod ante alia indicandum erat, qualem sententiam poeticam subiiciat universo carmini. Nam quod Neoptolemum maxime huius consolationis causa laudatum dicit v. 49 — 51. sic interpungens et explicans, n o n m e n d a x t e s t i s i l l e p r a e e s t c e r t a n t i b u s A e g i n e t i s: f i d e n t e r h a n c d i c o v i r t u t i b u s

eorum viam ad laudem esse, ab ipso patrio solo exortam, quasi ibi aliquando gloriam inventuri sint, quam maiorem per Sogenem iam habent, in his ego nihil video quod pro fundamento poetico Pindarici carminis esse possit; nec perspicias ex ista hypothesi, cur de Ulysse dicat Pindarus, cur de Aiace, cur de caeso Delphis Neoptolemo, et cur omnino heroes comparet quorum profecto non diu ingloria fuit bellica virtus; at si explices, ut a nobis supra factum, commodam omnia rationem habere videntur.

EXPLICATIO.

V. 1 — 20. Prooemium. De Sogenis victoria quinquertii, debita eximio robori ab Ilithyia ei insito, et de poesi rerum gestarum speculo, quae sine ea obscurae maneant. — Ilithyia, valetudinis et virium corpori insitarum auctor, naturalis socia Parcarum est, unde *πάρεδρος Μοιρᾶν*. Vidimus eam in consortio Parcarum Ol. VI, 42., et cf. plura ap. Spanh. ad Callim. in Dian. 22. Dicitur hic magnipotentis (*μεγαλοσθενέος*, altera forma est *μεγασθενής*, cf. de utraque Blomfld. ad Aesch. Sept. v. 70.) Iunonis filia, quia Iuno Argiva a colonia Epidauria in Aeginam traducta insigniter colebatur apud Argivos, cf. Schol. Pind. Pyth. VIII, 82. Müller. Aeginet. p. 149. Nunc ad dignitatem deae illustrandam opus fuit his magnificis epithetis et nominibus. Sed hoc in promptu est; illud magnopere veteres ad hunc locum interpretes vexavit, cur omnino invocet Ilithyiam Pindarus. Nempe vult Sogenem magna et eximia virtute, divinitus insito robore valere, qui *δαιμονίᾳ* victor exstiterit, quem in finem nulla hic propior dea erat Ilithyia, ut natus videretur ad res praeclaras. Talem laudem invidiae opponit futilique malevolorum famae et cum Aeacidarum heroica virtute comparat. — V. 2 sq. *ἄνευ σέθεν οὐ φάος* cet., sine te non lucem, non nigram conspicati noctem tuam sororem consequuti sumus Iuventam, h. e. nonnisi per te cum vitae iucunditate consequimur validam pubertatem. *Οὐ,*

οὐ neque — neque, ut constat, et neque lucem neque noctem conspicere, est omnino non vivere, in quo, quum iucunditatem vitae poeta simul significare vellet, non *νύκτα*, sed *εὐφρόναν* composuit cum nomine *φάος*. — Porro quum per Ilithyiam etiam virile robur habeat qui vir corpore valet, Pindarus hoc loco pubertatem nominat ob Sogenem in pubertate constitutum. Spectat eodem vox *ἀγλαόγυιος*. Talis enim est Sogenes. Est vero Hebe soror Ilithyiae, ut filia Iunonis. — *ἀδελφέαν* nunc trisyllabum, ut saepe, cf. Seidler ad Eurip. Electr. 134. — V. 5. *ἀναπνέομεν δ' οὐχ ἅπαντες ἐπὶ ἴσα*, habemus tamen non omnes vitam ad eadem, h. e. non omnibus magna gerere datum. *ἀναπνεῖν* hic, ut saepe, spiritum habere, vivere. Aberrat Passovii lexicon. — V. 6. *εἴργει δὲ πότμῳ ζυγένθ' ἕτερον ἕτερα*, retinent fato constrictum alium alia. *πότμῳ ζυγέντα*, ut *ὁρκίοισι ζυγείς* Eurip. Med. 733., *θεσφάτοις* Eurip. Suppl. 220. Porro cur posita haec sententia? Ut oppositione hac augeatur vis sequentium verborum, quod artificium orationis saepe notavimus. — *σὺν δὲ τὶν καὶ παῖς ὁ Θεαρίωνος* cet., per te vero etiam Thearionis filius Sogenes virtute distinctus canitur victoria clarus inter quinquertiones. — Verba: *σὺν δὲ τίν* opposita sunt *πότμῳ*; non assequimur eadem omnes fati culpa, per te vero quum aliis tum Sogeni laus venit. — *κριθείς*, distinctus, *ἔκκριτος γενόμενος*, ut Soph. Philoct. 1425. *ἀρετῇ τε πρῶτος ἐκκριθεὶς στρατεύματος*. Adde Isthm. IV, 12. — *εὔδοξος μετὰ πενταέθλοις* iungendum, gloriam habens inter quinquertiones, in quo *δόξα* ut saepe de victoriae laude, veluti Isthm. III, 16. — Vox *ἀείδεται* praeparat sequentia. — V. 9 sqq. Habitat enim in urbe bellicosorum Aeacidarum, quae valde gaudet epiniciis cantibus. — *μάλα δ' ἐθέλοντι* cet. Neque enim cives aliis civitatibus certaminum usum relinquunt, sed quam maxime consortes et ipsi volunt esse horum laborum. — *σύμπειρον ἀγωνίᾳ θυμὸν ἀμφ.*, animum habere et ipsum certamina expertum, certaminum peritum. Cum dativo iuncta vox, ut Hom. Od. III, 23., *οὐδέ τί πω μύθοισι πεπείρημαι πυκινοῖσι*, ubi cf. Nitzsch. Indicat dativus id, in quo quis versatur, vim suam experitur. Sic Latini iure peritum dicunt. Add. Hom. Il.

XV, 282. ἐπιστάμενος ἄκοντι. — ἀμφέπειν, ἔχειν, ut Latine fovere animum pr. habere. Similiter infra v. 90. Varia vocis exempla collegit Tafel. ad Ol. I, 12. — ἐθέλοντι cum vi de studio. cf. ad Ol. II, 97. Eliciendus vero pluralis πολῖται ex voce πόλις, cf. ad Nem. VI, 31. — V. 11. Εἰ δὲ τύχῃ τις ἔρδων, si quis autem vicit, felix fuit in certamine, τυχεῖν pr. εὐτυχεῖν, notatum iam Ol. II, 51. — μελίφρον' αἰτίαν, dulce argumentum Musis praebet, fluentis Musarum iniicit, lubentibus canitur Musis. αἰτία, causa quae moveat cantum, argumentum. — ῥοαῖσι Μοισᾶν, carmina et prosae etiam orationis ubertatem cum flumine et fluctibus comparari notum, cf. ad Ol. XI, 10. Tamen apud bonos scriptores semper ad causas comparationis attendendum. Et nunc quidem, quum mox speculum dicat poesin, pulcherrime praeparat hoc, rem quae canitur ferri significans in limpido flumine Musarum. — ἀλκαί, ἀρεταί. Gaudent Musae has celebrare, quum sine poesi obscurae sint. — ἔχοντι σκότον, premuntur tenebris, ignotae manent, Eurip. Fragm. incert. LI. ἡ δ' εὐλάβεια (inertia laborem fugiens) σκότον ἔχει καθ' Ἑλλάδα. Ad sententiam vero cf. Horat. Od. IV, 9, 25. Vixere fortes ante Agamemnona multi, sed omnes illacrimabiles urgentur ignotique longa nocte, carent quia vate sacro. Quae adscribo, ut observes simplicitatem Pindari hic et Pyth. III fin., ubi similia dicuntur. — V. 14 sqq. ἔργοις δὲ καλοῖς cet., rebus autem pulcris unum tantum novimus speculum, si Mnemosynes beneficio inveniant compensationem molestiarum per carmina. καλοῖς nunc ob sequens ἔσοπτρον. Speculum vero quale poesis habeat, iam significavit, est flumen Musarum, imagines rerum pulcherrime reddens. Ceterum de speculis veterum disputarunt Spanhem. ad Callim. in Pallad. 17., et Beckmannus in Hist. Invent. Tom. III. p. 467 sqq. — ἑνὶ σὺν τρόπῳ, hoc uno pacto. — Μναμοσύνας ἕκατι, per Mnemosynen, cf. ad Ol. XIV, 20. Mnemosynen matrem cum Musis invocatam a poetis memorat Plato Euthyd. P. 275. d. ὥστ' ἔγωγε, καθάπερ οἱ ποιηταί, δέομαι ἀρχόμενος τοσῆσδε τῆς διηγήσεως Μούσας καὶ Μνημοσύνην ἐπικαλεῖσθαι. Hoc autem loco Pindarus suaviter et ponderosa cum brevitate pro Musis Mnemosynen solam memorat, quae a

memoria nomen habet. Dicit igitur: Mnemosyne s. poesis memor servat res gestas, ne obscurentur et intereant, speculo fulgentem imaginem exhibens. Similis sententia, at minus pulcre dicta est in Scol. Aristot. (Analect. Br. I, 177., Iacobs. Anthol. T. I. p. 111.) *ἀθάνατόν μιν αὔξουσι Μοῖσαι Μναμοσύνας θύγατρες.* — *λιπαράμπυκος*, cf. Ol. VII, 64. — *εὕρηται*, quum *ἔργα* dici possint *πόνους*, *μόχθους ἔχειν*, recte etiam dicentur *ἄποινα μόχθων ἔχειν*, *εὑρέσθαι*. Sunt autem, ut saepe vidimus, carminum laudes optimum laborum praemium. Adde Horat. Od. IV, 8, 21., ibique Mitscherl. — V. 17 sq. Prudentes nautae perendinum ventum futurum explorant nec lucri cupiditate damnum capiunt. — *τριταῖος* est ὁ *εἰς τρίτην ἡμέραν μέλλων πνεῖν*. Mutationes coeli ventique videntur saepe triduo ante praesensisse nautae, quum litora legerent. Quod genus navigationis plura signa mutationis venti offerri dicitur. — Mox *ὑπὸ κέρδει βλάβεν* explicuit Boeckh. in Nott. critt. ad Nem. IX, 33. Iungendum *ὑπό* est cum *βλάβεν* et *κέρδει* est lucri cupiditate, ut Pyth. III, 54. Prudentes mercatores posthabent lucrum, quod facere possint diutius morando, et properant, si tempestatem instare sentiunt; sic nunc laudandus Sogenes, quod de futuro vento cogitavit et in tempore prospicere maluit memoriae factorum carmine choroque parando quam parcere sumptibus et maius gloriae damnum pati, praesertim circumventus malevolorum invidis artibus. Has enim iam hic respici credo. Quanquam enim proposita sententia per se talis est, ut cuivis victori dici possit, proprium tamen est boni scriptoris etiam ea, quae multis dici possunt, non dicere ubique, sed ubi peculiaris causa. Sic in carmine Nem. I. laudatum vidimus Chromium ob prudentem divitiarum usum, quod futura praevideret, quum obtrectatores et reprehensores haberet. Ceterum putide Scholiastes de sola pecunia poetae danda cogitat, quum etiam in choregiam sumptus faciendi essent et in epulas epiniciorum. Haec omnia intellexit Pindarus, suavius tamen per metaphoram significavit. — V. 19. Asyndeton vides per *γάρ* explicandum: Nam dives pauperque pariter moriuntur, ut stultum sit iusto parcius esse. — *θάνατον πάρα νέονται*, ut Eurip. Phoeniss. 1062., *ἐπὶ θάνατον οἴχεται*, Hom. Il. XXIV, 328., *θανατόνδε κιών*. Ad sententiam cf. Horat. Od. II, 3, 21., II, 14,

11. ibiq. Mitscherl. Observabis autem iterum simplicitatem Pindari.

V. 20 — 49. Mythica pars carminis. Orsus ab Ulysse immerito et ultra veritatem ab Homero laudato pergit ad Aiacem et Neoptolemum, fortissimos heroes, passos gravem ambos iniuriam, at nunc aeterno honore florentes. — ἐγὼ δέ. Hunc transitum ad alium rerum ordinem observavimus iam Nem. I, 33. Add. Isthm. I, 14, 32. Sensus: Atque ita recte sapientes victores iudicant; ego vero censeo Ulyssem quidem non dignum laude poesios fuisse, quam habet per Homerum. — ἢ πάθεν, quam pro iis, quae passus est et gessit. Intelligendi Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἄεθλοι, quibus convenit verbum πάσχειν, veluti Hom. Il. III, 128. Ceterum ἢ πάθεν est pr. ἢ ἃ ἔπαθεν, maior est fama quam ea, quae sustinuit. Contemnit et maxime improbat Ulyssis mores, sed moderate nunc loquitur; nam in privata causa, in calumniis et inimicitiis, quibuscum Sogenes conflictabatur, reprehendendis non ea acerbitate opus erat, quam in publica re adhibuit in sequenti carmine. — ἔλπομαι, cf. Fragm. Paean. nr. 10. — ποτανᾷ τε μαχανᾷ, artique alatae, nam μαχανά ars poetica, lectum iam Pyth. VIII, 35.; ποτανός autem, volans, alata et res est quae laudibus extollitur et ipsa ars cum Musis, cf. ad Pyth. VIII, l. cit. Inest vero in epica poesi Homeri propria quaedam sublimitas, quam nunc intelligit. — σεμνόν τι, magnificum quid, quod fidem faciat. — ἔπεστι, veluti Aristoph. Nub. 1025 ὡς ἡδύ σου τοῖσι λόγοις σῶφρον ἔπεστιν ἄνθος. — V. 23. σοφία τε κλέπτει παράγοισα μύθοις, et peritia eius decipit fabulis. Est enim σοφία nunc scientia mythorum, quos suaviter narrat. — V. 24 sqq. εἰ γὰρ ἦν cet., nam si multitudo posset veritatem perspicere, non tulisset iudicium contra Aiacem et Ulyssi dedisset Achillis arma. — ὁ καρτερὸς Αἴας, cum vi, ut ὁ καρτερὸς Βελλεροφόντας Ol. XIII, 81. — [ὅπλων χολωθείς, iratus propter arma, Achillis scilicet, quae Ulyssi data erant, quum Aiax ea sibi posceret praemium virtutis. V. C. F. R.] — ἔπαξε διὰ φρενῶν, non adegisset per praecordia laevem ensem; incubuit enim gladio in terram defixo, ut intelligendi sunt loci apud Pindarum, cf.

Nem. VIII, 23. Idem significat Sophocles, cf. Lobeck. ad Ai. p. 354. et 372., qui etiam alias aliorum traditiones indicat. Ceterum Aiacem violentam sibi attulisse mortem post illud armorum iudicium plurimorum fuit et antiquissimorum opinio, de quo disputat docte idem Lobeckius ad Aiacem p. 361., ubi etiam de aliis fabulis dictum. — κράτιστον Ἀχιλλέος ἄτερ docet Hom. Il. II, 768 sqq. et tota Ilias. Horat. Satir. II, 3, 193. heros ab Achille secundus. — πόρευσαν εὐθυπνόου Ζεφύροιο πομπαί, attende ad ornatum orationis in fortissimo heroe, plane ut Nem. III, 59. — κομίσαι, ut reduceret, infinitivo consilium causamque itineris indicante. Ceterum cf. Ol. XIII, 59. — V. 30. Ἴλου πόλιν, qui filius Trois, pater Laomedontis fuit, unde Priamus. — ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται, sed ad omnes venit vis lethi atque etiam Aiax occubuit communi necessitate. Ad verba κοινὸν ἔρχεται cf. Nem. I, 32. — κῦμα Ἀΐδα, unda Orci, h. e. vis lethi abripiens, tanquam unda, omnes invicto impetu. Non igitur πάγκοινος λίμνη Acherontis intelligenda, quae dicitur Soph. Electr. 137., aut Stygii fluctus Horat. Od. IV, 8, 25., ut patet etiam ex sequentibus verbis, sed comparandae sunt loquutiones κῦμα συμφορᾶς, κλυδὼν κακῶν, aliae, de quibus vide ad Ol. XI, 37. Iam addit: πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα, caditque in inglorios et gloriosos. ἐν pr. ἐς, ut Pyth. II, 11. Sententiam si ita interpretamur, ut reges et infimos homines intelligamus, veluti apud Horat. est Od. II, XIV, 11. „sive reges sive inopes erimus coloni," aut celebres et non celebres rebus gestis, alterum Aiaci bene convenit, non item alterum Ulyssi. At nisi fallor, de his heroibus ante omnes cogitavit poeta, qui Aiacem et Neoptolemum opponat Ulyssi in hoc carmine. Quare ἀδόκητον intellige ἄφαντον, ψεφηνὸν εὐδοξίᾳ, verae virtutis laude carentem, δοκέοντα autem virtutis gloria illustrem, quam in rem cf. ad Nem. III, 38. Iam nexus erit hic: Communis mors abripit pariter deteriores et praestantiores viros, at honos non est pariter omnibus post mortem, sed iis, quibus deus gloriam fovet. Ac δοκεῖν de honesta fama virtutis et praeclare factorum dici notavimus ad Ol. XIII, 56., estque δόξα Pindaro semper praeclarae virtutis gloria, quum λόγος possit etiam callidorum hominum esse. — τιμὰ δὲ γίγνε-

ται ὧν θεὸς ἁβρὸν αὔξει λόγον τεθνακότων βοαθόον, τοὶ παρὰ μέγαν ὀμφαλὸν εὐρυκόλπου μόλον χθονός, „honos autem est eorum heroum, quorum deus auget florentem gloriam mortuorum auxiliatricem, qui ad magnum umbilicum terrae venerunt.“ Locus gravissimus, de quo uberius disputavi in Boeckhii editione. Pertinent huc Scholiastae verba ad v. 68. Celebrata sunt Delphis ξένια heroum, in quibus deus credebatur eos hospitio excipere, qui olim, quum viverent, Delphos venerant, puta alium alio tempore, deum adoraturi; his igitur communi festo honos habitus. Fuit autem pompa sollemnis multarum victimarum, ut patet ex Pindaro v. 46., in qua citabantur nomina heroum, quorum in honorem habebantur haec ξένια. Post sacrificia ludi acti. Ut alia conferas, vidimus Ol. III. Theoxenia Dioscurorum, et Ol. IX, 102. exponit Boeckhius de Theoxeniis Delphicis, alio festo, et Pellanensibus. Qui potissimum heroes fuerint hi Delphis culti, non constat; clarum tamen ex ipso Pindaro est fuisse maxime insignes, ut Aeacidas, Pelopidas, alios, ac non fuit inter eos Ulysses. Hic enim, quum ultra veritatem laudatus dicatur ab Homero, et opponatur Aiaci et Neoptolemo, praestantissimis heroibus, si una cum iis cultus esset Delphis atque eius etiam λόγον ἁβρόν augeret deus, corrueret universa Pindari argumentatio et plane inepta esset. Cur non fuerit in iis, ignoramus, fortasse casu factum erat, quanquam omnino non magnus videtur fuisse eius honor inter Graecos; Pindarus vero eximie nunc ea re utitur propter insignem auctoritatem Delphici templi in sacro umbilico terrae. Floruit (ita eius mentem expono) olim inter Achivos Ulysses callidis et invidis artibus vincens Aiacem et poetam etiam invenit praeclarum; nihilominus futilis est gloria eius; contemnitur a Delphico deo nec honorem ibi habet cum ceteris heroibus. Nihil vidi magnificentius excogitatum. Veniamus ad singula. — Τιμά nunc, ut vides, cum emphasi dicta; λόγον habet Ulysses, at non τιμάν. — ἁβρόν, ut κῦδος ἁβρόν Ol. V, 7., Isthm. I, 50. — βοαθόον, ut iis post mortem opituletur et testis eorum virtutis sit. Quod hic optime propter Aiacem et propter Neoptolemum dictum, quorum alter contemptus erat a Graecis ante Troiam, alter caesus a sacrificulo sacrilegii fama laborabat. Similiter credo Sogeni hic a Mnemosyne datus hymnus

βοηθόος erit etiam post mortem, si invidi homines de fama eius detraxerint. Ceterum *βοηθόος* auxiliatorem significat Hom. Il. XIII, 477. XVII, 481.; in priore loco Aeneas auxilio venit, in altero currus in auxilium adhibetur. — *μέγαν ὀμφαλὸν χθονός* consulto pro Delphis dicit ad magnificentiam loci, ubi nunc coluntur heroes prope Apollinem. — V. 34 sq. *ἐν Πυθίοισι δὲ δαπέδοις κεῖται, Πριάμου πόλιν Νεοπτόλεμος ἐπεὶ πράθεν*, in Pythio autem solo sepultus iacet Troia Neoptolemus eversa, insigni collocatione verborum, ut et verbum *κεῖται* vim suam habeat et substantivum *Νεοπτόλεμος*. Sensus enim: In Pythio autem solo ut etiam sepultus sit, Neoptolemo contigit; nam ceteri heroes, ut venerant, discesserant iterum; Neoptolemus autem fatali vi etiam retentus est ibi, ut sepulcrum haberet *ἐν ἄλσει παλαιτάτῳ θεοῦ παρ᾽ εὐτειχέα δόμον*, ut mox dicit, h. e. *ἐν τῷ ἱερῷ περιβόλῳ τοῦ Ἀπόλλωνος* prope ipsum templum, ubi sepultum iacuisse Neoptolemum Pausan. X, 24, 5. dicit. Vide etiam Asclepiad. in Schol. v. 62. et Strab. IX, 421. — *Πριάμου πόλιν ἐπεὶ πράθεν*, formula ab Homero Od. I init. etiam de Ulysse dicta. Sed constat primas partes Neoptolemi fuisse in Troiae excidio (Soph. Philoct. 61. Achivi dicuntur *μόνην ἔχοντες τήνδ᾽ ἅλωσιν Ἰλίου*) inprimisque nobilis Priami caedes est, de qua vide Boettig. Archaeol. Pict. p. 330. Nunc opus fuit hac laude ad dignitatem et praestantiam herois declarandam, tantopere fato honorati. Atque ita oratio deducta est ad Neoptolemum, de quo data opera agit. Quemadmodum etiam nos in Boeckhii editione traditiones de fatis et rebus gestis huius herois pluribus indicavimus. Hic breviores sumus. — V. 36. *τᾷ πόνησαν*, ubi etiam Danai laborarunt. Videtur Danaos nunc Argivum, Peloponnesiacum exercitum sub Atridis dicere maxime, quum Neoptolemus e Myrmidonibus esset. — V. 37. *Σκύρου μὲν ἅμαρτε*, ubi eum nutritum iam Homerus tradit Il. XIX, 326. Inde post Achillis mortem ductus Troiam res praeclaras gesserat, de qua re luculentus locus Hom. Od. XI, 508 sqq. — *πλαγχθέντες ἵκοντο*, ipse cum sociis. Nota pluralem positum post singularem. Non absimile exemplum Hom. Od. IV, 520. — *εἰς Ἐφύραν*, est Epirotica, de qua vid. Strab. VII. p. 324. collat. Müller. Dor. I. p. 418. Fuit perantiquum

caput Thesprotiae, situm ubi Acherusia palus per flumen Σελλήεντα in mare exit. Postea Κίχυρος dicta urbs, ac videntur etiamnunc priscae architecturae reliquiae adesse. Erat vero ibi portus primarius Epiri (Γλυκὺς λιμήν), unde etiam Neoptolemus huc defertur. Inde puta eum profectum in Molossiam ibique regem factum. — V. 38. Μολοσσίᾳ. Molossorum enim reges Aeacidae; et post Neoptolemum quidem filius Molossus regnum suscepit, ex Molossi autem fratre Pielo reliqui reges oriundi fuerunt, inter quos a Neoptolemo aetate quintadecima fuit Tharypas circa Ol. 85., sub quo Epirus Graeco cultui assuevit. Vide locos in Boeckhii editione indicatos. — φέρεν, habuit, cf. ad Nem. III, 17. — ἀκροθίνια sunt pars praedae melior electa diis. — κτέανα Τρωΐαθεν ἀκροθινίων sunt opes manubiarum seu opulenta ἀκροθίνια Troia reportata, quae Apollini dedicare volebat. Explicationes vocis ἀκροθίνια collegit Wetst. ad Hebr. VII, 4. — V. 42. ἵνα κρεῶν νιν ὑπὲρ μάχας ἔλασεν ἀντιτυχόντ' ἀνὴρ μαχαίρᾳ, ubi propter carnes eum pugna congressum feriit vir cultro. Constructio est ἀντιτυχόντα μάχας ὑπὲρ κρεῶν, in qua ἀντιτυχεῖν μάχας dictum ut apud Homerum ἀντιάσαι πολέμοιο, πόνοιο, ἔργων, μάχας, ἀέθλων, nisi quod ἀντιάσαι ibi est de industria adire, ἀντιτυχεῖν forte incidere significat. Tum μάχα ὑπὲρ κρεῶν veluti Eurip. Phoeniss. 1345. εἰς ἀσπίδ' ἥξειν βασιλικῶν δόμων ὕπερ. Alia constructio est: ἀντιτυχόντα, ipsi obviam factum, ὑπὲρ κρεῶν μάχας pr. ὑπὲρ τοῦ μάχεσθαι περὶ κρεῶν, ut pugnaret de carnibus. Verum sic ipsa pugna nondum orta erat, quod vides non ferendum, ne alia addam. Sed ad rem est veniendum. Explicate diximus de ea in Boeckhii editione indicatis locis veterum, unde nunc potiora delibamus. Constans erat traditio Neoptolemum Delphis occisum esse, ac plerique tradiderunt eum a Machaereo sacerdote Delphico occisum ad aram. Causa necis non eadem omnibus credita. Constat Apollinem Achilli mortis auctorem fuisse; hinc narrabant Neoptolemum Troia eversa Delphos profectum, ut Apollinem de caede patris postularet et templum diriperet. Atque hoc est pervulgatum illud ἱεροσυλίας crimen, cuius vulgaris fama Neoptolemum insimulabat. Ipsam Pythiam caedem Neoptolemi imperasse. Alia sententia fuit haec, Neoptolemum non venisse hostili animo ad deum, sed sacrificia

ut offerret, atque ibi forte orta rixa cum sacerdotibus periisse, quod nunc vides Pindarum sequi. Idem, ut Scholiastes ad v. 94. refert, in paeane Delphico paullo ante hoc carmen scripto de eadem re dixerat ita: Periisse Neoptolemum ἀμφιπόλοισι μαρνάμενον μοιριᾶν περὶ τιμᾶν. Est μοῖρα pars debita (gebührender Antheil), ut constat, et debebatur in sacrificiis certa pars carnium sacerdotibus, quos debitos honores dixerat Pindarus, de quibus pugnatum esset. Haec verba moleste tulerant Aeginetae, strenui heroum suorum defensores, et reprehenderant poetam, ut narrat Aristodemus in Scholiis v. 150., ἐπὶ τῷ δοκεῖν ἐν Παιᾶσιν εἰπεῖν τὸν Νεοπτόλεμον ἐπὶ ἱεροσυλίᾳ ἐληλυθέναι εἰς Δελφούς. Qui enim de debitis honoribus carnium cum sacerdotibus pugnasset, eius videbatur hostilis animus significari; quodsi hostili animo aderat, ἐπὶ ἱεροσυλίᾳ venerat et ad templum diripiendum. Sic ratiocinati, ut credibile est, Aeginetae, accusabant Pindarum, quod probasse videretur perversam et impiam de ἱεροσυλίᾳ herois narrationem. Hic igitur nunc oblata prima commoda occasione se defendit totam rem disertius proponens atque ita explicans, ut plane nihil impii in verbis suis inesse appareat. Caesum eum esse Delphis a sacrificulo in rixa super carnibus dixi, et etiam nunc dico, sed dicens hoc calumniari nolui. Quum enim honoratissimi sint heroes Delphis culti, in fatis erat, ut Aeacidarum aliquis ibi sepultus sollemnibus heroum ξενίοις praeesset, atque hic est Neoptolemus. Non venit hostili animo, sed sacrificia afferens deo, et immeritam iniuriam passus est a sacrificulo isto, quam moleste tulerunt Delphi; verum ita fatale erat, ut ad maiores honores veniret. Sic Pindarus causam suam agit magnificentissime. Improbat tamen hanc propositam, etiam Scholiastis probatam, explicationem Hermannus in Dissertatione de Sogene, negans omnino id egisse Pindarum, ut se expurgaret Aeginetis, „Id grammaticos commentos esse, ut haberent quo quae in extremo carmine de Neoptolemo dicta sunt explicarent; apparere hoc inde, quod verba paeanis illius multo minus excusatione indigeant quam quae in hoc Nemeaeo carmine de eodem Neoptolemo dici videamus.“ Ego haec verba Hermanni legens maximopere miratus sum, quid tandem spectasset vir acutissimus hoc scribens. Pindarus hic dicit: ἵνα κρεῶν νιν ὑπὲρ μάχας ἔλασεν ἀντιτυχόντ᾽ ἀνὴρ μαχαίρᾳ, et dicit

ita, postquam narravit cum sacrificiis Neoptolemum venisse Delphos; praeterea subiicit *βάρυνθεν περισσὰ Δελφοὶ ξεναγέται.* Nunc quaero lectorem, quid tandem in his excusatione indigeat? Non venisse heroem hostili animo, occisum forte rixa orta super carnibus, graviter rem tulisse hospitales Delphos, quid quaeso in his inest Neoptolemi honorem laedens? An quod cultro sacerdotis caesus occubuit? Potest etiam fortissimo accidere, ut non suspicans periculum inopinato impetu occidatur, praesertim si in fatis erat, ut ibi periret heros; quod ipsum addit poeta. Nunc considera iterum mecum verba paeanis, periisse Neoptolemum *ἀμφιπόλοισι μαρνάμενον μοιριᾶν περὶ τιμᾶν.* Qui de debitis honoribus pugnat, videturne is hostilem animum habere, an non? Meo iudicio aut nihil dixit contra Neoptolemum Pindarus, aut his verbis dixit vel videri potuit dixisse. Omnino clarum est accuratius haec consideranti, quod iam in Boeckhii editione notavi, orationem in utroque carmine accommodatam esse loco quo caneretur. Delphis debitos templo honores memorat, de quibus pugnaverit heros, in Aegina simpliciter dicit de carnibus forte rixam ortam, demta vel lenissima reprehensione herois; nam ista rixa oriri potuit etiam, si sacerdotes, uti non semel fecit hoc genus hominum, iusto plus carnium postulaverant. Et ut brevis sim, quis serio credat a Pindaro in hoc carmine scribi potuisse de Neoptolemo, Aeginetarum heroe, quod excusatione indigeat! Quae quum ita sint, nulla idonea causa est, quare pro commento grammaticorum habeamus Aristodemi in Scholiis narrationem, qua reiecta carmen rite explicari non potest, quam ipse Pindarus testatur veram esse loco in fine carminis considerando. — V. 43. Molestissime rem tulerunt Delphi hospitales; neque enim meruit mortem Neoptolemus iniusta vi, sed sacerdos iste violaverat ius hospitii. Ac ferebantur heroi quotannis inferiae (Pausan. X, 24, 5.). Quod enim idem I, 4, 4., narrat, verum non est. — V. 44. *ἀπέδωκεν*, persolvit quod fatale erat. Sequentia in antecedentibus iam explicata. — V. 47. *πολυθύτοις*, erat igitur pompa multarum victimarum. — V. 48. *εὐώνυμον ἐς δίκαν*, ut bona iustitia in iis regnet, ut omnia iure, rite et ex ordine fiant. *εὐώνυμος*, fausta, *ἀγαθή*, notante Eustathio ad Il. XII. p. 852, 5. cf. Boeckh. Nott. crtit. — *τρία*

ἄπερ διαρκέσει, proverbialis formula, cf. Erasm. Adag. IV, 4, 84. Igitur paucis, ait, defungar. — V. 49. οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ, non mendax testis certaminibus praeest. Altera pars sollemnitatis ludi fuerunt, ut supra monitum. Neoptolemus inspector erat universi festi. Ac mens poetae haec: Satis esse de ludis dicere, in quibus quum omnia iustissime fiant, praemia nonnisi ex merito tribuantur, posse inde intelligi, quomodo universo festo heros praesit. Atque ita tandem patefactum est iustissimum esse Neoptolemum heroem, iniuria ἱεροσυλίας insimulatum. Consulto congesta haec: θεμίσκοπον, εὐώνυμον ἐς δίκαν, οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς.

V. 50 — ad finem. Poeta ad praesentia redit, et dicit primum de Thearione, ubi etiam de se suisque moribus oblata commoda occasione exponit, deinde de Sogene, postremo Herculem invocat, ut tueatur familiam. — Αἴγινα, τεῶν Διός τ' ἐκγόνων cet., est quidem vis et audacia haec, Aegina, tuorum et Iovis filiorum splendidis virtutibus, ut possim dicere insignem laudem domesticam, sed modus tenendus. Igitur constructio est: θρασύ μοι τόδε, h. e. τόλμα μοι ἥδε, quum adiectiva neutrius generis pr. substantivis ponantur, ut e tragicis maxime et Thucydide notum; cf. Poppo ad Thucyd. VI. p. 168. Matth. Gr. p. 555. Similiter participia neutrius generis usurpari constat, cf. Matth. Gr. p. 1126. Add. Bernhardy Syntax. p. 326 sq. Iam confer Ol. IX, 80. εἴην εὑρησιεπής, τόλμα δὲ καὶ ἀμφιλαφὴς δύναμις ἕσποιτο. Add. Ol. XIII, 11. Similiter audacia dicitur Latinis, ut Propert. II, 10, 5. — ὁδὸς λόγων, genus laudum, cf. ad Ol. I, 110. Et εἰπεῖν, ut ᾄδειν, λαχεῖν ὁδὸν λόγων, ἐπέων, ὕμνων dicitur, cf. locos apud Kusterum ad Aristoph. Equitt. 1012. Porro ἀρεταῖς εἰπεῖν ὁδὸν λόγων, ut Nem. I, 7. ἔργμασιν νικαφόροις ἐγκώμιον ζεῦξαι μέλος. Denique ἀρεταῖς εἰπεῖν κ. ὁδὸν λόγων οἴκοθεν est virtutibus laudem insignem dicere e rebus domesticis petitam. Cecinerat Neoptolemi laudes, quae habentur in extero solo, Delphis; nunc dicit suppetere sibi etiam alias Aeacidarum laudes ex rebus domesticis et quae propius etiam Aeginam tangant, veluti de Aeaco celeberrimo Aeginae rege (cf. Nem. VIII.), de precibus filiorum olim ad Iovis

aram factis (Nem. V.) et quae sunt aliae fabulae; sed licet haec omnia iucundissima futura sint, tamen finem esse faciendum; fastidium afferre ipsum mel et Veneris gaudia, *τὰ τερπνὰ ἄνθε᾽ Ἀφροδίσια.* Sunt *ἄνθεα* oblectamenta, et vidimus *ἀποδρέπεσθαι* de fructu Veneris gaudiorum Pyth. IX, 110. Ad dictum cf. Moschus in Megara 71. *ὅτε δή γε καὶ εὐφροσύνης κόρος ἐστίν.* Haec omnia quid sibi velint, in promptu est. Abrumpit poeta fabulas, quia dixit quae volebat omnia. Quod igitur iam dicit alia se potuisse addere de Aeacidis, nisi modus servandus esset, ea figura dicendi est, quales ubique vidimus. Ubique enim perpulcris formulis utitur, quum fabulas abrumpit, et ad praesentia redit. Hermannus tamen consolationem Euxenidarum subesse ratus aliter haec cepit. V. 50 sq. interpungit sic: *οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ, Αἴγινα, τεῶν Διός τ᾽ ἐκγόνων. θρασύ μοι τόδ᾽ εἰπεῖν φαενναῖς ἀρεταῖς ὁδὸν κυρίαν λόγων οἴκοθεν,* et vertit: „Non mendax ille testis praeest certantibus Aeginetis; fidenter hanc dico virtutibus eorum viam ad laudem esse, ab ipso patrio solo exortam.“ Contra haec Boeckhius iam monuit de Crisi Pindar. §. 43. *ἐκγόνους Αἰγίνας Διός τε* esse Aeacidas, non Aeginetas. Profecto nihil certius habeo per totum Pindarum. Ne Myrmidones quidem a Pindaro Iove et Aegina prognati dici poterant omnes, nedum Dorienses cives historici temporis. Ac ne Alexandrini quidem ita dixissent, quanquam hi in talibus liberiores esse coeperunt, cf. ad Ol. XIII, 14. Pindarus ne illud quidem ausus est, ut *παῖδας Αἰγίνας* diceret Aeginetas, ut est terra mater civium; at Iovis et Aeginae progenies nulla est praeter nobile genus Aeacidarum. Quae quum ita sint, interpunctio ista ferri nequit; sublata autem hac interpunctione tollitur etiam interpretatio loci ea nixa. Omnino quod Hermannus ad consolationem Euxenidarum, qui diu inglorii fuerint, magnam partem carminis refert, id mihi, fateor, maximopere displicet. Euxenidarum nomen in toto carmine non legitur nisi v. 70. in verbis *Εὐξενίδα πάτραθε Σώγενες.* Quodsi consolari eos voluisset Pindarus, dixisset de ea re apertius, dixisset de inbecillitate generis humani, de fato, quod interdum praeclaris gentibus incumbat gravius, et quae sunt alia huiusmodi. Nunc autem de huius gentis virtutibus, fato ne verbum quidem, et tamen Neoptolemi fabula et alia plura huc referuntur.

Non novi simile quid in his carminibus, nec dubito dicere talem carminis rationem mihi abhorrere videri ab usu et arte Pindari. — Pergit Hermannus: „Quae his adnectit in omni re bonam esse requiem, nec quidquam semper vigere (κόρον ἔχει), aliis autem alia obtingere, neque eundem hominem omni felicitate frui, satis ostendere videntur non abstinuisse Euxenidas a sacris certaminibus, sed non esse victoria potitos." Iterum dissentio, qui nihil huiusmodi hic videam. Primum enim versus 52 sq. in transitu positi a fabulis ad res praesentes nihil continent, quod ad summam sententiam huius carminis pertineat, quum similia multa dicta reperiantur apud Pindarum; sed sunt hae formulae iucunda ornamenta poesios Pindaricae, ex quibus nusquam quod sciam aliquid gravioris momenti eliciendum. De sequentibus autem nunc videndum. — V. 54 sqq. Natura autem differimus, sortiti alius haec, alia alii, ut vero unus felicitatem omnem consequatur, fieri non potest; non habeo dicere, cui hoc Parca bonum stabile dederit. Te vero, Theario, non paucis eximiis bonis fortuna ornavit. Vides quid poeta agat. Transiturus ad Thearionem orditur dicere de imperfecta humani generis fortuna, ut sic magis ornetur laus Thearionis, qui plura eximia bona coniuncta habebat. Est igitur consilium horum versuum rhetoricum, quemadmodum saepe in hoc Commentario de vi oppositionum monuimus. Ut etiam in his mihi non videatur inesse quod Hermanno placet. — φυᾷ διαφέρομεν, sententia sic nexa antecedentibus: fastidium creant, dixerat, etiam dulcissimae iucunditates. Iam pergit: Natura vero contingunt alii alia gaudia, bona, nec unus habet omnia. Vides nunc etiam illud, cur abrumpens fabulas sic formaverit orationem, ut etiam μέλι et ἄνθεα Ἀφροδίσια nimia displicere dicat; dicturus enim de felicitate Thearionis a singulis iucunditatibus ad generalem illam sententiam viam sibi munit, quam praemittere volebat. — βιοτὰν λαχόντες, ὁ μὲν τά, τὰ δ' ἄλλοι, h. e. ὁ μὲν ταύταν, ἄλλος τ' ἄλλαν, vitam, vitae gaudia nactus alius alia, nam de his solis sermo. βιοτάν praemisit necessario, quum post mellis et Veneris commemorationem ad universae vitae humanae rationem transeat. Deinde suavius neutra posuit, cf. Pyth. VI, 21. Quod non est pr. βιοτᾶς τὰ μέν,

τὰ δέ dictum, ut vides. — τυχεῖν ἀνελόμενον, tam felicem esse, ut auferat omnia, in quo τυχεῖν pr. εὐτυχεῖν (v. 11.), consructio autem ut Eurip. Orest. 1218. εἴπερ εὐτυχήσομεν ἑλόντες. — τοῦτο τέλος, hoc felicitatis fastigium. — ἔμπεδον, certe non diu quisquam habuit summam felicitatem; quod adiectum videtur heroum quorundam causa, ut Cadmi, Pelei, qui aliquamdiu maximam habuerunt felicitatem, cf. Pyth. III, 89. — V. 58 sq. Theario, tibi vero convenientem copiam divitiarum praebet, et audaciam ad praeclaras res gerendas nacto non laedit vigorem mentis. — ἐοικότα καιρόν, h. e. nec pauca, nec maxima. — Verba: τόλμαν καλῶν ἀρέσθαι bene Hermannus eo refert, quod ipse etiam aliquando certamina tentaverit Theario; nempe olim ante multos annos. Nunc enim senex est (cf. etiam Schol. 99.), quo pertinent certissime verba: σύνεσιν οὐκ ἀποβλάπτει φρενῶν, quod docet vel ἀποβλάπτει, laedit eripitque, ut facit γῆρας. Mimnerm. Stob. Florileg. CXVI, 33. p. 592. γῆρας — ὅτ᾽ ἄγνωστον τιθεῖ ἄνδρα, βλάπτει δ᾽ ὀφθαλμοὺς καὶ νόον ἀμφιχυθέν. Quare non probo Hermanni explicationem: „Tibi, Theario, non contemnenda contigit felicitas, ut quum tentaveris certamina, non desit animi moderatio.“ — V. 61. ξεῖνός εἰμι, hospitio tibi iunctus sum. Dico igitur haec lubens et ex veritate, alienus a vituperatione, invidia et obtrectatione, qualis est inimicorum tuorum. — ἀπέχων, procul amovens, arcens, ἀπεχόμενος. cf. Ast ad Platon. Phaedr. p. 240. — ὕδατος ὥτε ῥοάς cet., laudabo te veram laudem tanquam aquae rivos, h. e. largissimam, ducens ad amicum virum. Hoc enim nunc significat haec metaphora. — ποτίφορος, conveniens; debita bonis viris haec merces. — μισθός de laude Pyth. I, 77., ut merces Horat. Od. IV, 8, 22. — V. 64 sqq. ἐὼν δ᾽ ἐγγὺς Ἀχαιὸς κ. τ. λ., nec Achaeus, si adsit, Ionii maris accola, me vituperabit —, et inter cives circumspicio vultu sereno, h. e. inter omnes Graecos de probitate mea constat. — ὑπὲρ ἁλός, h. e. ad mare habitans. Strab. VII. p. 324. ὑπέρκειται δὲ τούτου μὲν τοῦ κόλπου Κίχυρος, ἡ πρότερον Ἔφυρα πόλις Θεσπρωτῶν· τοῦ δὲ κατὰ Βουθρωτὸν ἡ Φοινίκη. ἐγγὺς δὲ τῆς Κιχύρου πολίχνιον Βουχαίτιον Κασσωπαίων, μι-

κρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ὄν. Ibid. p. 326. ἀναμέμικται δὲ τούτοις τὰ Ἰλλυρικὰ ἔθνη τὰ πρὸς τῷ νοτίῳ μέρει τῆς ὀρεινῆς καὶ τὰ ὑπὲρ τοῦ Ἰονίου κόλπου· τῆς γὰρ Ἐπιδάμνου καὶ τῆς Ἀπολλωνίας μέχρι Κεραυνίων ὑπεροικοῦσι. Thucyd. I, 46. ἔστι δὲ λιμὴν καὶ πόλις ὑπὲρ αὐτοῦ κεῖται ἀπὸ θαλάσσης, laudatus Boeckhio ad Pyth. I, 18., ubi idem usus. Add. Herod. IV, 18 sqq. Nempe regiones mari adiacentes dicuntur ὑπὲρ θαλάττης sitae, quoniam mari altiores sunt, similiterque qui post accolas maris habitant supra hos habitare dicuntur. Desideramus hanc significationem in Passovii lexico. Iam ut redeam, verba: Ἀχαιὸς ἀνὴρ Ἰονίας ὑπὲρ ἁλὸς οἰκέων significant Achaeorum ultimos, remotissimos, Ionium mare accolentes, quales erant Dymaei. Nempe Pindarus provocans ad universae Graeciae testimonium, oppositas Graeciae regiones nominat, Thebas patriam urbem in orientali Graeciae parte sitam et diversos in occidentali Graecia Achaeorum ultimos; horum omnium neminem malignitatis poetam accusaturum. — Addit προξενίᾳ πέποιθα. Suspicatus sum iam in Boeckhii editione et etiamnunc suspicor Pindarum hospitia gratuita habuisse per Graeciam, qualia Amphictyones alio tempore decrevere Polygnoto; cf. Plin. Hist. Nat. XXXV, 9, 35. De qua re disputat Boettiger Archaeol. Pictur. p. 272. Quae si προξενίας vocabulo significantur, pulcherrima lux loco affunditur. Vides enim Achaeorum ultimos tantum pro exemplo commemorari, ut non cogitandum sit de peculiari aliquo προξενίας vinculo inter Dymaeos et Pindarum; requirit sententia maius quid, quod ad omnes Graecos pertineat; quodsi hospitia gratuita Amphictyonum consilio decreta habebat per Graeciam poeta, ut apud omnes honos suus constaret, quodnam luculentius poterat afferre testimonium? — δέρκομαι λαμπρόν, ut qui nulla pallescat culpa. Lenius est οὐ κρύπτω φάος ὀμμάτων Nem. X, 40. Sed hic cum vi loquitur intentiore. — οὐχ ὑπερβαλών, moderatus, non superbus. Est ὑπερβάλλειν modum excedere, ut constat, vide modo Lexica; hinc ὑβρίζειν, ἀδικεῖν, ut ὑπερβολία est ὕβρις, ἀδικία, cf. Hesych. Hoc loco poeta addit: βίαια πάντ᾽ ἐκ ποδὸς ἐρύσαις, violenta omnia procul submovens. Nam a pedibus removere, ut ex oculis, est procul amovere, ne tangas et implicceris. Conferri potest ἔργων ἀδίκων ἐκτὸς εἶναι Theogn. v. 741. — ὁ δὲ

λοιπὸς εὔφρων ποτὶ χρόνος ἕρποι, utinam etiam quod restat tempus laetum accedat (ἕρπων χρόνος Nem. IV, 43.), faxit deus, ut per reliquum tempus conservem animum virtutis conscientia laetum. — V. 68 sq. μαθὼν δέ τις ἂν ἐρεῖ cet., qui rem probe exploraverit (carmina mea cognoverit) dicet, num extra numerum melodiae incedam, malignum cantum fundens. Provocat denique etiam ad carmina sua et ad testimonium eorum, qui haec cognoverint. ἂν c. fut. hodie explicant omnes grammaticae. [Hermannus autem de particula ἂν libr. I. cap. VIII. p. 11195. Thes. Steph. ἂν h. l. ad ἐρεῖ referendum esse negat. Audias ipsum: Apud Pindarum Nem. VII, 100. (68.) vulgo legitur: μαθὼν δέ τις ἂν ἐρεῖ. Boeckhius, recte iudicans usum Pindari ἐρέει requirere, ἂν delendum putat. At hoc vix addiderint librarii, quos credibilius est τὶς inseruisse. Patet vero ἂν non ad verbum, sed ad participium (μαθών) referendum esse." V. C. F. R.] — παρὰ μέλος ἔρχεσθαι est πλημμελεῖν, recedere ab harmonia sonorum, inconcinna ac dissona loqui, ἀναρμόστως et ἀμούσως, quod facit etiam is, qui non γλυκὺν et πραῢν, sed ψόγιον ὄαρον ἐννέπει. Ac notum παρὰ μέλος εἰπεῖν, φθέγγεσθαι, ᾄδειν, inconcinne, incomposite, absone loqui, Plat. Critia p. 106., B. Legg. III. p. 696., D. Lucian. Eunuch. c. 2. Plutarch. Themist. 5. Hoc loco etiam Scholiastes explicat: παρὰ τὸ προσῆκον λέγω. Atque eundem praepositionis παρά usum habes in παράμουσος, παραχορδίζειν, de quibus cf. Blomfld. ad Aesch. Choephor. v. 460. — Perlectis singulis videndum de consilio universi loci. Affirmat Pindarus se non esse invidum et malignum, nec laedere quenquam. Quem in finem? Quum haec subiiciantur post Thearionis laudes, primum huc referri debent, ne alieno loco posita sint. Monuimus autem supra invidia laborasse videri hanc victricem familiam, quare nunc aptissime hominum istorum maledicentiam tangens se procul habere affirmat tales artes et lubenter impertire laudes probis viris, fere ut in sequenti carmine. Sed non minus certum est non propter solum Thearionem haec omnia dicta. Loquitur per multos versus de ea re, loquitur gravissime et ad universam Graeciam provocans, quod non potuit facere nisi propter graves, quas expertus erat, criminationes. Nec est quod diu quaeramus. Vidimus in antecedentibus revera reprehensum esse

Pindarum, quod de summo heroe Neoptolemo impie cecinisset. — Quis iam non sentit cum veteribus grammaticis hanc rem simul ab eo spectatam, qui quum ante fabula Neoptolemi magnificentius declarata se defendisset, nunc commode interposito hoc loco etiam directius mores suos defendit? Pulcre vero institutum est, ut simul pluribus rationibus inserviat locus, defendens poetam, nec non Thearionis inimicos tangens; positusque inter patris et filii laudes etiam variationem commodam infert. Postremo commemoranda mihi Hermanni est de hoc loco sententia, qui ita interpretatur: „Tibi, Theario, non contemnenda obtigit felicitas, ut, quum tentaveris certamina, non desit animi moderatio. Absit, ut te reprehendam, qui te debita potius laude, optimo virtutis praemio ornem. Neque si adesset Achivus ille, qui te vicit, mihi succenseret, quod te laudo; id et hospitio eius fretus dico et rectis oculis cives intueri suetus, non superbus et ab iniuria facienda abhorrens. Sed laetum tibi posterum tempus veniat: tum cognito qui sis dicet quis, an dissono te carmine reprehendere voluerim.“ Addit: „Achivum illum, qui, licet victor, tamen virtutem Thearionis expertus esset, nominatim commemorare parum decorum fuisset, ne ubi Thearionem laudare poeta vellet, victorem eius laudare videretur. Quare a patria eum designat.“ Haec Hermannus. Ego quod vir praestantissimus excogitavit de Achivo homine Thearionis victore probare non potui. Victores adversarios eorum virorum commemorare, quos praedicat, abhorrere videtur ab arte Pindari, et est insuavissimum genus laudis, quod nusquam alias hic deprehendas. Poeta priores Thearionis conatus honorifice uno verbo significat, *τόλμαν καλῶν ἀρομένῳ*, et hoc optime, in quo Pindarum agnosco; cetera ab Hermanno illata dicam; nam in tali re, qualem Hermannus statuit, tot verba facere plane nullo cum emolumento laudis et ubi melius omnino taceas, mihi quidem videtur eiusmodi, ut Pindaro tribui non possit. Atque haec quidem de his. Pindarus nunc a v. 70. ad Sogenis laudem accedit. Quam rem praeparat sic: Sogenes, deiero me non ultra terminum egressum nunc concitaturum linguam, ut iaculum aereum, quod non sudantem a lucta cervicem ante fervidiores solis radios dimisit. Si labor est, at plus voluptatis conse-

quitur. Sine me. Victori quidem, si altius elatus vociferor, laudes debitas non piget persolvere. Ac nectere coronam facile; exspecta; Musa tibi parat coronam ex auro, ebore et coralio. Parat Pindarus Sogenis praeclarae virtuti coronam eximiam, singularem; quum autem puer esset Sogenes et obtrectatores haberet, qui nimias esse tales laudes pueri clamaturi erant, opponit poeta calumniis futuris verba modo lecta, antequam ad ipsam coronam accedat. Eorum hic mihi videtur sensus: „Iuro me non excessisse modum in eo, quod dicam, iaculo ultra terminum proiecto, ut in quinquertio facere solent, qui immenso iactu adversarium ab ultimo certamine, lucta, deterrent atque ita liberantur labore, antequam in fervidiores radios solis incidant.“ Quanquam enim ultra terminum iaculari per se gloriosum erat (Horat. Od. 1, 8, 12. „Saepe trans finem iaculo nobilis expedito“), tamen hoc tentatum videtur etiam ea de causa a certantibus, ut sic deterrito adversario ab ulteriore certamine ἀνιδρωτί et ἀκονιτί vincerent. Quod Sogenes quidem haud dubie non fecerat; nam si fecisset, male diceret Pindarus: non faciam quod tu fecisti, et reprehenderet eum; sed strenue puer omnia proposita certamina exsequutus erat, ne dubita, atque ita etiam Pindarus facere vult, qui comparatione iaculationis utitur, ut solet comparationes ducere ab iis certaminibus, in quibus victores certarunt. Ait igitur, ut pergam exponere poetae mentem: Ne quis calumniator dicat etiam me, quemadmodum fit in quinquertio, ut quam celerrime opera canendi defungar, ingentes et nimias laudes posuisse, affirmo me minime ultra terminum iaculari, sed quemadmodum tu omnia quinquertii certamina rite atque ex ordine peregisti cum sudore et pulvere, sic etiam ego longissime quidem iaculabor, sed non ultra finem, iactoque iaculo etiam cetera omnia persequar, quae tempus et honos vester postulaverit. (Et hoc facit longo et magnifico de Hercule loco subiecto.) Si labor fuerit in ea re, at compensabitur is laetitia peracti laboris. Quare sine me facere, ut volo. Quodsi tamen vel sic nimis magna voce laudare te videar, quum pueri etiam optimi parcius laudari debeant, ne quis calumniator te ob id reprehendat, quasi tu postulaveris, sed mihi tribuant, qui victoribus largissimam laudem solvere amo. Sed, ut dixi,

non concedo me excessisse modum dicendo. Ita Pindarus, opinor. Accedimus ad singula. — *Εὐξενίδα πάτραθε*, qui gente Euxenida es. *πάτρα* enim gens est. Hoc uno loco et sic legitur huius gentis nomen, ad cuius consolationem Hermannus magnam partem carminis refert. — *τέρμα προβάς*, h. e. *ὑπερβάς*, ut explicat Hesychius in voce. Quae glossa huc referenda videtur. Eadem Scholiastae sententia est. Vox ut tot alia constructa secundum sensum, qui ei tribuitur. Negat hanc explicationem Hermannus, et vertit: terminum praefiniens, ut latine dicas praeire terminum; id autem esse temere iaculari et extra concertationem. „Iaculo aut scopum petebant, ait, aut quam longe quis iacere posset experiebantur, quod est *εἰς μῆκος* iacere. Qui iaculo discove de spatii magnitudine certaturi essent, iis aut nullus positus erat terminus, sed qui omnium longissime iecisset victor habebatur, aut designabat aliquis finem proiecto iaculo discove, ut qui iam certaturi essent eum vel superare vel saltem aequare deberent. Tali iactu quum non de victoria certetur, *τέρμα προβαίνειν* idem erit atque temere et extra concertationem iaculari.“ Contra haec recte Philipp in Dissertatione de Pentathlo p. 54 sqq. monuisse mihi videtur nullum esse illud certamen *εἰς μῆκος*, quod sumit Hermannus. Iaculandi una tantum ratio fuit, ut scopus praepositus feriretur, commemoratus etiam Pindaro non semel, cf. Ol. XI, 71. XIII, 94. Nem. IX fin.; sine scopo tantum disco certabatur, victorque renuntiabatur qui omnium longissime iecisset, quo omnes utebantur, discum. Praeterea equidem maximopere offendor tropico usu loquutionis, *τέρμα προβάς*, eo, quem Hermannus ponit. Non enim verisimile Pindarum egregium dicendi artificem, quum significare vellet: iuro me non temere et inconsiderate dicere, hoc ita expressisse: iuro me non terminum praefiniisse. — *ἀπομνύω μὴ ὄρσαι*, me iam non concitare s. concitaturum linguam, ut iaculum ultra terminum iactum. De aoristo vide laudatum iam supra Stallbaumium ad Platon. Phaedon. p. 57. Sed potest etiam verti: Affirmo me non concitasse linguam ultra terminum s. nihil nimiae laudis posuisse in eo quod dicam, quod propter Hermannum moneo. — *ὃς ἐξέπεμψεν* cet. Monueram iam in Boeckhii editione non spectari hic Sogenem, sed hunc potius aliter fecisse; idem Hermannus denuo multis verbis docet. Sensum satis expli-

cuimus supra. Orta vero propter hunc locum lis inter Boeckhium et Hermannum de ordine certaminum, quibus quinquertium constabat. De qua re hic dicere longum. Contendit Boeckhius hunc ordinem fuisse: ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην, et hanc sententiam iterum defendit de Crisi Pindar. §. 43. Hermannus post cursum et saltum tertiam luctam ponit, tum discum et iaculum, sive quartus sive quintus iaculo locus datus sit. Contra quae etiam Philipp disputat in Dissertatione de Pentathlo. Luctam ultimum locum tenuisse etiam nobis maxime probabile. Atque ita poterat aliquis trans finem iacto iaculo deterrere adversarios ab ultimo et gravissimo luctae certamine, et ἀνιδρωτί ante meridianum calorem reportare victoriam. παλαίσματα enim nunc proprie dicta de ipsa lucta. Ingeniose Müllerus meus in quinquertio ait primum pedibus certatum (ἅλμα, ποδωκείη), tum manibus (δίσκος, ἄκων) denique toto corpore (πάλη). — γυῖον, corpus, ut Ol. VIII, 68. — εἰ πόνος ἦν, vertas: si labor fuit in certamine tuo, at nunc voluptas maior consequitur. Me quo minus hoc verum habeam, retinet illud, quod de Sogenis certamine in proxime antecedentibus non dictum, et quod, quum cetera omnia ad Pindari operam pertineant, hic versus sic alieno loco positus esset. Quare verto: si labor fuerit, at compensabitur hic labor laetitia bene peracti carminis. Quare sine me facere. Praeterito ἦν igitur etiam sic recte utitur, ut statim iterum ἀνέκραγον dicit. Add. Ol. VIII, 54. — ἀνέκραγον, ut ἀναβοᾶν, ἀνακλάζειν, est sublata voce clamare, et πέραν ἀερθείς est paullo altius elatus. Pro πέραν Atticus scriptor πέρα dixisset, quod proprie motum significat, cf. Hermann. ad Soph. Oed. Col. v. 889. Quodsi igitur, ait, etiam paullo altius elatus clamavero, victori quidem non parce laudes persolvo. — κατατιθέναι de debitis et promissis; cf. Musgrav. et Reisig. ad Soph. Oed. Col. v. 218. — V. 77. εἴρειν στεφάνους ἐλαφρόν, ac ne est quidem magnus labor, coronas nectere facile. — ἀναβάλεο, Hermannus: impone tibi eam; vulgo vertunt: exspecta, morare paullisper, ut est ἀναβάλλεσθαι differre opus, negotium Hom. Il. II, 436. Herod. III, 85. — Restat, ut de Hermanni explicationibus dicam ita scribentis: „Quum ubi victor Sogenes lau-

dandus erat, non hoc fecerit, sed consolatus sit gentem eius patremque, ita tamen, ut eos simul laudaret, iam et expurgare se debet, quod aliena dixisse videatur et Sogeni debitam laudem persolvere. Eo fine quid est quod aptius dicere potuerit, quam illud ipsum, quod eum dixisse putamus: iuro me non temere haec et inconsiderate attulisse, ut qui iaculo terminum praeit expers luctae laboris, qui quo gravior, eo dulcior est: sine me: si longius evagatus sum, omissa largiter rependam.“ Respondeo ad haec: Patrem quod laudavit, excusatione nulla egebat, quum patres legitime laudentur in carminibus, quae pueris scripta, et ridiculum sit patris laudem excusare. Deinde sententiam de consolatione Euxenidarum quod attinet, vidimus de ea supra; nunc addo Pindarum, si de fabulis se excusare voluisset, quod aliena dixisse videri posset, non hoc loco id facturum fuisse, ubi nemo scire potest quid spectet, sed statim post narratas fabulas, veluti quum Ol. XIII, 93., dicit: *ἐμὲ δ᾽ εὐθὺν ἀκόντων ἱέντα ῥόμβον παρὰ σκοπὸν οὐ χρὴ τὰ πολλὰ βέλεα καρτύνειν χεροῖν.* Porro poetam revera per totum hunc locum non de eo loqui quod fecerit, sed quod facturus sit, mihi quidem etiam e verbis, *ἔα με*, liquet. Nexus enim est: Non excedam modum in eo, quod dicam, quare sine me facere ut volo. Ac quum tam singularis corona hic componatur et componatur puero, quis sibi persuadeat nihil praemisisse Pindarum de ea re, quam secus acceptum iri probabile erat? Quod enim Hermannus opponit, minui laudem Sogenis confessione nimii praeconii, ad id nunc satis responsum videtur clariore explicatione universi loci supra proposita. Verum satis de his. Pindarus ita eximie excitata exspectatione animorum, tandem ad ipsam coronam accedit. Disputavimus de ea explicate in Boeckhii editione; nunc breviter haec ponimus. Finge tibi coronam ludicram; nam tali haec poetica laudis corona similis esse debet, utpote victori destinata. Ac ramus quidem ex auro fit; aurum enim solum ex iis, quae Pindarus nominat, ramo curvando aptum. Porro quum ramus principalis habeat ramulos teneriores utrinque prognatos, hos quoque ex auro facit Musa; nam quum ferrumine iungendi essent ramo principali, non poterant ex ebore fieri; ac debebant ramo principali similes esse. Deinde etiam folia ex auro videntur facta, ut in aureis coronis fieri solebat,

veluti corona oleaginam auro imitans dicitur στέφανος θαλλοῦ χρυσοῦς. — Sequitur λείριον ἄνθεμον, lilium, quod recte nonnulli in Scholiis coralium intelligunt. Coralium Graeci e mari mediterraneo legebant idque erat rubens, descriptum Plinio Hist. Nat. XXXII, 2, 11. Atque hoc non dubitamus etiam Musae placuisse, quae inde fecit bacas coronae. Lilium id dicit Pindarus comparatione ducta a lilio rubente; nisi in ea opinione fuit, quae vulgata apud veteres fuisse videtur, coralium sub aqua candidum esse et molle, exemptum durescere et rubescere. Postremo de ebore quaeras, quisnam huius nunc usus, quae difficilis quaestio est. Probavi Boeckhii sententiam, qui etiam flores innexos putat, qui elegantissime ex auro, ebore et coralio componentur. Atque haec quidem corona est. Cur autem talem paraverit, indicavimus iam in Introductione. Facta est e materia nobilissima et firmissima, auro, ebore, coralio. Quippe Διὸς παῖς ὁ χρυσός· κεῖνον οὐ σὴς οὐδὲ κὶς δάπτει, ut est in Fragmentis; atque etiam ebur et coralium durabilem materiem habent. Est igitur corona et pretiosissima et quae non marcescat unquam, sed perenni splendore nitens servet memoriam praeclarae virtutis, quemadmodnm Aeacidarum gloria Delphis splendet indelebilis. — Post haec persequitur cetera poeta, quae dicenda habebat. — V. 80. Διὸς δὲ μεμναμένος ἀμφὶ Νεμέᾳ cet., Iovis autem recordatus, mentionem faciens, propter Nemeam, cane placide. Nempe non iam ille intenta voce (ἀνέκραγον dixerat) uti vult qua ante, sed placide loqui et lenius versare hymnorum cantum; ita enim convenit dignitati Iovis. — ἀμφὶ Νεμέᾳ, propter Nemeam, h. e. quum patronus Nemeorum sit et victoriae huius Nemeaeae dator. — θρόον ὕμνων δόνει, continuante poeta metaphoram a iaculi vibratione petitam, ut est Pyth. 1, 44. ἄκοντα παλάμᾳ δονέων. Supra paullo vehementius concitaverat linguam, nunc vult lenius. Est enim mihi non dubium hoc significari. Nec minus certum δόνει non ad Sogenem pertinere, sed poetam semetipsum intelligere, ut raro prima persona, ἐγώ, utitur, plerumque secunda. A Sogene haec verba aliena sunt. — V. 82 sqq. Pergit: Regem deorum in hoc solo, in Aegina, decet leni voce canere. — λέγοντι γὰρ cet., dicunt enim Aeacum eum procreasse per semina a matre Aegina nympha

susecpta, suae quidem regem clarae patriae, tuum vero, Hercules, hospitem et fratrem. Tendit oratio ad Herculem, ut mox patebit; quod fieri recte non poterat nisi post Iovem etiam Acaco honoris causa memorato. Quare per hunc ad Herculem transit. — *ὑπό*, per, ut Isthm. V, 44. cf. Passov. Lexic. — *πολίαρχον*, regem. — *εὐώνυμος*, clara victoriis, rebus gestis, ut Nem. VIII, 47. XI, 20. Ol. II, 7. — *Ἡράκλεες*, vocativo utitur ad maiorem vim; nam ad Herculem, ut dixi, tendit oratio. — *προπρεῶνα*, h. e. *πρόθυμον*, *πρόφρονα*. Est proprie pronus, proclivis, *προπρηνής*. — *ξεῖνον*, nam Hercules in Aegina etiam colebatur hospes Aeaci et Aeacidarum, cf. Schol. Nem. IV., 36. Pind. Isthm. V, 35 sqq. — V. 86 sqq. Pergit: *εἰ δὲ γεύεται ἀνδρὸς ἀνήρ τι — ἀμφοτέρας ἰὼν χειρός*, si homo ab homine utilitatem habet, vicinus intento animo amans vicino est bonum omnibus rebus aequi parandum; si vero etiam deus hoc praebeat, per te Sogenes vivet feliciter, quandoquidem hic ab utraque parte te vicinum habet. — *γεύεται*, fruitur, h. e. commoda capit ex, ut *ἀπολαύειν τινός* dicitur in utramque partem, docentibus Lexicis. — *νόῳ ἀτενεῖ* dixit Hesiod. Theogn. 660. De voce *ἀτενής* agit Ruhnken. ad Tim. Lex. Platon. — De sententia Schol. apte comparat eundem Hesiodum Op. 346. Et propius etiam accedit Alcmanis verbum: *μέγα γείτονι γείτων*, cf. Heyn. Hom. Il. T. VIII. p. 302. et Welck. Fragm. Alcm. p. 65. — *εἰ δ' αὐτὸ καὶ θεὸς ἂν ἔχοι*, si vero etiam deus id habeat, hunc animum habeat, ut vicinus vicinum adiuvare velit benevole. Ceterum cf. Notam criticam ad h. l. — *ἐν τίν*, in tuo praesidio. Usitatus usus praepositionis, cf. Blomfld. ad Aesch. Pers. 177. Valcken. ad Herod. III, 85. Matth. Gr. p. 1141. — *ἐθέλοι*, velit, maxime cupiat, h. e. poterit. Inprimis frequens hoc sensu *οὐκ ἐθέλω* pr. *οὐ δύναμαι*. cf. Passov. Lexicon in v. Praeterea *ἐθέλει* c. infinitivo dicitur pr. *μέλλει* de rebus inanimatis, Wessel. ad Herod. VII, 49. collat. Passov. Lexic. — *Γίγαντας ὃς ἐδάμασας*, qui validissimos hostes domuisti, ut etiam Sogenem tueri possis contra malevolorum hominum conatus. Significavi enim iam in Introductione etiam hunc locum ad inimicos per-

tinere, quos necesse est habuerit Thearionis domus. Atque ita demum vera lux huic loco affunditur; neque enim talia sine causa scribit Pindarus. — πατρὶ ἀταλὸν ἀμφέπων θυμόν, patri obsequiosum fovens animum. Additum, quum nonnisi bono filio dii faveant. ἀμφέπων v. 10. — ἀταλός, puerilis, pueriliter mollis, laetus, amans, nunc pr. obsequiosus, ut vides. — εὐκτήμονα ἀγυιάν, ob domos opulentas Euxenidarum, ζαθέαν ob templa deorum. — V. 93 sqq. Quum quadrigalibus velut curruum in iugis domum habeat inter delubra tua ab utroque latere, h. e. profecto in tua tutela vivet feliciter, quum ab utraque parte a te tangatur quam fieri potest proxime. Hoc enim inest in comparatione iugorum. De ea sic dicit Schneid. ad Xenoph. Cyrop. VI, 2, 51: „More antiquo unus temo atque unum iugum duos equos iungebat. Deinde quadrigas temones duos iuxta se positos iisque equos quattuor duobus iugis iunctos habuisse docet locus clarissimus Pindari Nemeorum VI, 137.“ Duos igitur temones ex hoc loco colligit Schneiderus, quum duo iuga sint, atque erit nunc hic sensus: Duo Herculis sacella ita includunt domum tuam, ut quasi duo iuga quadrigalia amplectantur eam, sitam in spatio intermedio. Et profecto duo iuga iuxta se posita cogitanda videntur. Neque vero quadrigae certantium in ludis obversatae sunt Pindaro, quum in his unum tantum iugum esset temoni iunctum et equi duo subiuges, ζύγιοι, duo autem funales, παράσειροι, παρήοροι, cf. Pausan. VI, 10, 2. Credam igitur a plaustris comparationem ductam, in quibus duo iuga esse potuere. Nimis exilis haud dubie visa comparatio bigae, ubi inter duos equos temo; quare hanc sprevit. — ἀμφοτέρας ἰὼν χειρός, sive eat dextrorsum sive sinistrorsum; pr. simplici ἀμφοτέρας χειρός, veluti est λαιᾶς χειρός Aesch. Prometh. v. 720. — V. 95. Ἥρας πόσιν, Iovem simpliciter sic appellat usu Homerico, veluti Il. VII, 411. X, 329 al. Hercules orare debet summum Iovem filiamque Iovi proximam, quae est Ἀλαλκομενηΐς, cf. Hom. Il. IV, 8. Hoc enim epitheton Minervae respici puto, quod licet ab Alalcomenis, Boeotiae vico, derives, ubi colebatur dea perantiquo cultu, ipsum tamen vici nomen ab antiquiore aliquo Minervae propulsatricis nomine ortum esse maxime probabile est, cf. Müller. Orchom. p. 213.

Quicquid est, Graecis quum audiebatur Ἀλαλκομενηῒς Ἀθήνη, non potuit non simul in mentem venire verbum ἀλαλκεῖν. Iam vide totum locum: „O beate, te decet Iovem exorare et caesiam Minervam; potes enim hominibus mala gravia avertere saepe alias (θαμά); praesta igitur te ἀλεξίκακον etiam nunc his, Iovi et Palladi ut adiuvent persuadens.“ De Hercule ἀλεξικάκῳ cf. Müller. Dor. I. p. 455. — ἀλκή, remedium adversus mala. — V. 98 sq. Construe: Εἰ γάρ σφισιν ἐμπεδοσθενέα βίοτον ἁρμόσαις διαπλέκοις, ἥβᾳ λιπαρῷ τε γήραϊ εὐδαίμον᾽ ἐόντα, utinam iis robustam vitam pertexas, iuventute et fortunata senectute pariter felicem. Loquitur enim de patre et filio. — γῆρας λιπαρόν, senectus felix Hom. Od. IV, 210., ubi cf. Nitzsch. Commentar. — ἁρμόσαις διαπλέκοις, iungas et texas, apta cum vi, firmam et robustam vitam quum optet, cuius vis non facile dissolvatur. Ceterum constat πλέκειν, διαπλέκειν, καταπλέκειν βίον esse etiam διάγειν, cf. Bergl. ad Aristoph. Av. 754. Herodot. IV fin. V, 92. Ad sententiam denique confer Oraculum Delphicum apud Demosthen. in Mid. 15., ubi iubentur Athenienses περὶ ὑγιείας Iovi, Herculi et Apollini Prostaterio sacrificia facere. — V. 100 sq. παίδων τε παῖδες ἔχοιεν αἰεὶ γέρας τόπερ νῦν καὶ ἄρειον ὄπισθεν. Scholiastes suspicatur eos sacerdotium aliudve munus apud Aeginetas habuisse, qua coniectura non opus. Multo aptius, quod etiam nexus sententiarum commendat, hoc est: Et nati natorum semper habeant haec fortunae eximiae ornamenta et maiora etiam. Vides quam graviter et intente vitae incolumitatem et fortunae iis precetur, quibus etiam Musa coronam nectit maxime durabilem. Tali honore talibusque votis digna praeclara eorum virtus, talibusque votis opus etiam propter inimicorum malevolas artes, quibuscum conflictatos eos esse non dubium. — V. 102 sqq. Subiicit nunc in fine pauca etiam de se et de criminatione iniusta, quam expertus erat. Dicit: Meus autem animus nunquam concedet se improbis Neoptolemum lacerasse verbis; ceterum plura verba de ea re nemo a me exspectet; eadem ter quaterque repetere inopia est, pueris velut blatero facit, est Iovis Corinthus. Significat Pindarus, ut etiam alias facit in fine, cf. Ol. II fin., quo spe-

ctet fabulae de Neoptolemo supra proposita tractatio. — ἑλκύσαι, ut ἕλκειν, σύρειν, verba usitata sunt de saeva mortuorum tractatione, cf. Barth. ad Stat. Theb. V. p. 132. Constat res satis ex Homero et notatur hic etiam a Scholiasta. Gravissima hic vox, ut significet mortuum heroem se impie tractare non potuisse; nimis rude hoc esse. — ἀτρόποισι, indecoris, qualia incultis, rudibus moribus conveniunt. Hermannus explicat: „Hoc si iis obtigerit, non putabo me absonis verbis iniuriam fecisse Neoptolemo, quem dixi Aeginetis in certando favere." Vidimus supra hoc non ita dixisse Pindarum; quare redeundum nobis fuit ad explicationem in Scholiis traditam, quam fictam esse a grammaticis ne minima quidem iusta suspicio est. — ἀμπολεῖν, revolvere, repetere, Soph. Philoct. 1238: δὶς ταὐτὰ βούλει καὶ τρὶς ἀναπολεῖν μ' ἔπη. Aliis locis est in memoriam revocare, secum reputare, vide quos laudat Iacobs. ad Philostrat. p. 445. — ἀπορία, exilitas ingenii. — τέκνοισιν ἅτε μαψυλάκας, scil. τρὶς τετράκι τε ταὐτὰ ἀναπολεῖ, ut quum infantibus blatero identidem idem garrit. μαψυλάκας est a μάψ et ὑλάω, ὑλάκη, cf. Boeckh. Nott. critt. Sappho γλῶσσαν μαψυλάκταν dixit, monente Boeckhio. — Διὸς Κόρινθος. Megara, colonia olim Corinthiorum, diu his subiecta fuit, tandem vero impatiens iugi Bacchiadarum, defectionem ausa est et proelio se liberavit, remissis cum contemtu legatis Corinthiorum, qui Iovis filium Corinthum heroem identidem repetebant poenas sumpturum. Facta res videtur ducentis fere annis post Heraclidarum reditum. Inde natum proverbium Διὸς Κόρινθος de continua repetitione eiusdem rei. Cf. Schol. h. l. et ad Aristoph. Ran. 440. et vid. Müllerum Dor. I. p. 88, 9. omnia complectentem.

Carmen Nemeaeum octavum.

INTRODUCTIO.

Carmen consecratum est Dinidi, puero Aeginetae, qui bis vicerat stadio, vicerat etiam aliquando pater Meges, mortuus quum Pindarus scriberet. De tempore nihil traditum; videtur tamen factum carmen Ol. 80½, de quo mox. Cantatum vero est publice in Aeaceo, Dinide coronam Aeaco dedicante. Videamus argumentum. In prooemio celebratur pubertas amoris nuntia, quae alium mansuetis necessitatis manibus gestet, alium asperis; iucundum vero esse felicioribus amoribus potiri. Quales etiam Iovis et Aeginae olim fuerint, unde ortus Aeacus celeberrimus insulae rex, manibus consiliisque insignis, quum videre et consulere cupiverint venientes undique homines, cuius imperiis sponte parere voluerint Attici duces et Spartani Pelopidae. Conversus hinc ad Aeacum ipsum preces facit sollemnes pro urbe et civibus; cum deo enim felicitatem esse diuturniorem, qui etiam Cinyram aliquando oneraverit divitiis in Cypro. Iamque dicturus de hoc, tamen antequam pergat, revocat se; esse enim iam multa dicta, nova autem excogitare periculosum videri propter malevolorum hominum invidiam. Invidia enim, pergit, semper invadit bonos, cum deterioribus vero non contendit. Illa etiam Aiacem confecit. Fieri enim solet, ut indisertus vir, licet fortis animo, posteriores ferat in lite, mendacio autem honos et praemium detur. Quemadmodum tunc clandestinis suffragiis Ulyssem Danai foverunt, aureis autem armis orbatus Aiax occubuit, quanquam longe illo fortior et qui Achillis ad cadaver et aliis diebus graviora hostibus vulnera inflixisset. Enimvero erat infesta fraus etiam olim, blandorum ista verborum comes, doli meditatrix, maleficum opprobrium, quod quicquid splendidum est et eximium invadit, obscurorum vero gloriam futilem extollit. Absint a me, ait, tales mores, ut placens civibus moriar, laudans laudabilia, castigans vero nefanda. Sic reversus ad res praesentes, quum plurimi sint usus amico-

rum, ipse carmine prodesse cupit victoribus, testans res bene gestas, et postquam etiam de patre dixit mortuo, finem facit, laetus, quod aptum lenimen laboris attulerit victori laudatorium hymnum, quales iam olim post certamina bellica et ludicra recreaverint heroes. — Accedimus hinc ad alterum quod faciendum restat, ut disputemus de vera sententia carminis, quae res etiam hic paullo difficilior non pertractata est a nobis in Boeckhii editione. Censeo vero nunc ita, fundamentum carminis oppositione amoris et invidiae contineri, et probaturos hoc spero, si mecum perpenderint, qui paullo magis in Pindaro et in poesios studio versati sint; nam et maximam partem argumenti hae res implent et pulcherrima est vereque poetica earum oppositio, qua nihil maius reperitur in toto carmine. Sed explicanda sunt quae dixi paullo diductius. Igitur ut a secunda carminis parte ordiar, quid est quod de invidia dicit? Non pugnare eum adversus umbras et somnia, sed esse gravius aliquid quod spectet, clare ostendit vis verborum, acerbitas sententiarum, totus locus, qui post narratam graviter Aiacis iniuriam octo versus subiectos habet acerrimis verbis plenos. Quid igitur? Utrum Dinidis familia inimicos habebat, an insula Aegina? De sola privata inimicitia quo minus hic cogitetur, et ipsius loci eximia gravitas prohibet, quum nusquam alias apud Pindarum tali modo privatae calumniae exagitentur et Aeaci laudata potentia politica, quae cur laudetur intelligi nequit, nisi publica tum insulae pericula fuerunt. Quae quum ita sint, conieci iam olim in Boeckhii editione carmen scriptum esse Ol. 80$\frac{3}{4}$, quo tempore post pugnam ad Cecryphaliam parabatur ab Atheniensibus ista oppugnatio, cui etiam succubuit insula. Ponimus igitur carmen post Pyth. VIII., ubi in Introductione de horum temporum historia diximus. Vidit idem Thierschius in Versione Germanica et probavit hanc sententiam Boeckhius. Consideremus nunc iterum poetam. Athenienses potentiae nauticae et mercatoriae Aeginae invidebant; Pindarus tractans haec ut poesis postulabat, dicit de iniuria, quam Aiacis bellica virtus ad Troiam passa sit, quum invidia iam olim optima quaeque invaderet et lingua fraudesque Ulyssis vincerent, atque ita significat praesentem Atheniensium calumniam et invidiam, quae insulam aggrediatur gloria bellica et ludicra insignem, et

cum insulae salute etiam singulorum civium ornamenta delere pessime cupiat. Sic vero etiam Dinis simul tangitur communi malo, atque etiam huius laudibus infesta est ista omnibus Aeginetis inimica invidia hostium iniustorum, quemadmodum contra inter iustos et sapientes viros laetus in altum crescit virtutis honos, ut ait. Quanquam enim supra dixi non videri privatas hic inimicitias castigari, non tamen volui malum tractari a Dinidis fortuna plane alienum. Immo ratio carminis postulat, ut etiam hunc his rebus adversis implicitum cogitemus; Dinidis laudi carmen scriptum, consentaneum est igitur etiam propter hunc dici de invidia, quae omnia pulcra invadat. Atque ita videmur nobis locum propositum ab omni parte explicuisse: Loquitur mythice, quum Athenienses nominare non posset, loquitur acriter, quum universae insulae salus agatur, videmus tamen, ut par est, etiam victoris decora communi periculo laborare. Denique egregie cum his omnibus convenit supplicatio Aeaci pro salute urbis et civium. Accedimus hinc ad primam partem carminis, in qua isti tristi invidiae malo pulcherrima inventione opponitur felicior amoris fortuna, de qua re nunc dicendum. Vidimus iam supra aliquoties amores memoratos in carminibus pueris scriptis, et hoc loco recte notavit etiam Scholiastes prooemium Dinidis pubertati accommodatum esse, quod probatum Boeckhio et Thierschio. Ac quis contendat non factum, quum puer canatur in pubertate constitutus? Igitur hoc non dubium; sed non sufficit toti loco explicando. Transfertur prooemii sententia in sequentibus ad Aeginam nympham et canitur Iovis et Aeginae faustis amoribus ortus Aeacus: ut facile appareat etiam hanc primam carminis partem non solum propter Dinidem, sed aliam propter insulam scriptam. Quid est igitur quod nunc dicit poeta? Nempe quae praeclara est opinio antiquae religionis, Aeacidae apud Pindarum ut virtutum omnium in Aeginetis fons et origo sunt, sic fortuna Aeginae quodammodo in huius summae gentis fortuna inest praestituta, urbis fato indissolubili quodam vinculo cum heroibus suis nexo: ut quae mythica in Aeacidarum fabulis habentur conspicua, haec mutata ratione etiam insulae sint fata et laudes. Igitur in praesenti causa ut Aiacis eximia virtus invidia laboravit ad Troiam, sic nunc eodem malo laborat insula cum civibus; atque ut faustis

amoribus ortus Iovis et Aeginae Aeacus non vi, sed auctoritate, admiratione, amore sponte parentes habuit maximarum urbium heroes, similiter insulam fata voluerunt non aggredi alios vi, et bellis dominari, licet fortem, sed pacifica mente, iustis et pacatis consiliis communem benevolentiam habere urbium. Et fuit Aegina ut bellica et gymnica virtute clara, ita pacis et tranquillitatis amans, utpote mercaturae maxime dedita, Hesychiae cultrix, quae hospitalitate, iustitia, moderatione eximie placeret, ut recte dici posset ad id facta, ut floreret favore populorum. Quae quum ita sint, tandem res eo perducta est, ut mentem Pindari plane perspicere liceat. Orditur carmen a pulcriore fortuna et a bono omine: ostendit Dinidi amoris et coniugii fausta gaudia, qualia Iovis et Aeginae olim fuerunt; ostendit insulae fortunata Aeaci tempora et communem amorem exterorum, tanquam fatis ei debitam fortunam, postremo preces addit ad Aeacum deum, ut haec plane contingant. Sic demum ad calumniae, fraudis, invidiae pessimas artes transit, quibus nunc circumvenitur insula cum civibus: tristia, tristissima haec sunt, quibus ne frangerentur animi, quod quaeso dulcius omen et solatium opponi potuit illis praemissis pulcherrimis de amore dictis? Atque haec quidem hactenus. Exin accedit ad finem, et iustum se virtutum testem professus, qui adversans calumniae et obtrectationi carmine fidem faciat rebus gestis, modeste laetatur aptum se ludicrorum laborum lenimen Dinidi attulisse, qui tam magnificum solatium publico in periculo proposuit. Tu vero, lector, disce etiam ex hoc carmine, quanta fuerit ingenii Pindarici profunditas.

EXPLICATIO.

V. 1 — 16. **Prima pars carminis de amore.** Ac prooemium quidem (v. 1 — 5.) est de pubertate Veneris nuntia; post prooemium canitur Iovis et Aeginae faustis amoribus ortus Aeacus rex admiratione et amore heroum exterorum cultus. — ὥρα, pubertas, pubertatis flos. Ad κᾶρυξ cf. ἄγγελος Iacobs. Anthol. T. VII. p. 102. Delect. Epigr. p. 234. — ἐφί-

ζοισα γλεφάροις, quum oculi formosi puberum praecipue sint amoris sedes, quanquam alias etiam genae commemorantur, ut par est. Vide de utroque exemplorum copiam ap. Cel. Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 13, 8. Etiam ἐφιζάνειν in talibus frequens, ut ἵμερος ἐφιζάνων ὄμμασι, γέλως ἐφιζάνων τῷ προσώπῳ, alia, cf. praeter laudatum Mitscherl. ad Horat. etiam Iacobsium ad Philostrat. p. 347. — V. 3. Sensus: Pubertas sedens in oculis puberum et accendens amores in iis, qui eos vident, alium puberum mansuetis manibus necessitatis gestat, alium aliis, h. e. alium dulci vi ducit ad felices amores, alium dura et aspera ad infelices. — χεῖρες ἀνάγκας, cf. Pyth. IV, 234. — ἑτέραις, h. e. asperis, per euphemismum, cf. Valcken. Diatrib. p. 112. et vid. supra ad Pyth. III, 34. — Postremo ad penitius intelligendum locum illud tenendum est, quod poeta prooemii sententiam mox ad Iovis et Aeginae amores translaturus, hinc loquutionis rationem duxit, ut solet generalium sententiarum formas e rebus specialibus petere, quibus accommodantur, vid. quae monui ad Ol. VII, 8. et ad Ol. VIII, prooem. Rapuit autem Iuppiter Aeginam nympham Phliunte et tulit in Oenonam insulam, postea Aeginam dictam, ubi ex amplexibus amantium natus Aeacus, cf. locos allatos in Boeckhii editione et Pindarum ipsum Isthm. VII, 21. Quum igitur deus captus pubertatis decore Aeginam mansuetis necessitatis manibus s. miti vi ferret in Oenonam ad faustos amores, Pindarus in hac generali sententia rem ad pubertatem ipsam transtulit, quam dicit alium suavi vi necessitatis ferre, alium aspera, s. alium secundis, alium adversis implicare amoribus. Neque tamen dea et persona hic est ὥρα, sed metaphorica oratione utitur poeta, ut saepius haec distinximus, cf. ad Nem. V, 17. IV, 3. Ceterum non attendit, ad veram rationem loci Hermannus, opinor, contra quem in Boeckhii editione dixi. — V. 4 sq. „Iucundum vero est opportunitatem nactum in omni re felicioribus amoribus potiri posse." Atque hoc optat Dinidi. Dixit vero ante de infaustis et faustis amoribus pariter, ut sic magis extolleretur haec ultima sententia, quo tendebat oratio; de quo artificio saepius monitum, cf. ad Ol. I init. et vid. infr. v. 137 sq. Porro quum duae partes sint huius sententiae, vis omnis in fine est, ut vides, quae autem praemittuntur, καιροῦ μὴ

πλαναθέντα πρὸς ἔργον ἕκαστον, idem consilium rhetoricum habent, ut augeant pondus ultimorum verborum. Qui infelix est in aliis rebus, vix felicior sit in amoris pulcra et rara fortuna; at illud felicissimum, si quis secunda fortuna in ceteris rebus usus sic faustis etiam amoribus potitur. — μὴ πλαναθέντα, h. e. τυχόντα, ut toties ἁμαρτεῖν, vide modo Indices ad tragicos, et cf. ἀμπλακεῖν Ol. VIII, 67. καιρός, opportunitas, fortuna, successus. — Postremo scriptum hoc prooemium propter Dinidem esse satis explicatum est in Introductione; nunc illud addo, ne quis omnia propter solos Aeginae Iovisque amores dicta putet, ad hos breviori via veniri potuisse et debuisse. Manifesto enim longius petita laus ὥρας, nisi Dinidis pubertatem respexit. — V. 6. Quales etiam circa Iovis et Aeginae lectum versati sunt ministri Veneris gaudiorum. ἔρωτες h. l. non sunt dii, praecessit enim ἐρώτων ἐπικρατεῖν, credas tamen videre deos; nam poeta qui sensus sunt quasi deos circa lectum versari et amantium gaudia adiuvare facit. Huiusmodi fictiones non sunt personificationes, quas proprie dicimus, sed personificationum speciem habent eoque delectant. ποιμένες, cf. ad Ol. X, 9. Apud Coluth. 198. dicitur Ἀφροδίτη λεχέων ἐπίκουρος paullo aliter. Ad δῶρα Κυπρίας vid. Heyn. Virg. Aen. IV, 33. — Οἰνώνας, hic quidem necessario dixit, quum Aeginam appellare insulam non posset. — Χειρὶ καὶ βουλαῖς ἄριστος, ut toties de heroibus. Inprimis vero consilii, iustitiae, sanctitatis causa Aeacum posteritas celebravit, cf. Müller. Aeginet. p. 21. — V. 8. πολλά, h. e. πολλάκις, cf. Stallbaum. ad Plat. Phaedon. p. 35. Neque enim nunc πολλὰ λιτανεύειν est multis verbis orare, ut nosti πολλὰ λίσσεσθαι ex Homero, quod hic nihili. Sensus: Plurimi homines undique adibant domum eius saepe multumque, et rogabant, ut eum videre liceret et consulere de rebus suis. — V. 9. ἀβοατὶ γάρ, non vocati, sponte, ut habet Hesychius ἀβοητί, ῥαδίως, ductum inde quod βοᾶν τινα, vocare aliquem dicitur, Pyth. VI, 36. Subiicit vero nunc id, quod in hoc genere maxime insigne, ipsos heroum principes ei sponte obtemperasse, in qua iunctura pr. quin etiam ponit γάρ, ut Nem. I, 67. — ἄωτοι, decora, principes. — V. 10. ἤθελον, ἑκόντες, ἀβοατί, cumulate ut vides, ut ostendat quantopere coluerint eum, non vi

bellisque subacti, sed sua sponte. Attende vero, quam pulcre poeta a Veneris amoribus orsus paullatim ad politicum exterorum amorem orationem deduxerit, utrumque genus una notione comprehensum invidiae oppositurus. Est hoc maxime poeticum et lyricum, ut passim Heynius notat lyricorum phantasiam grandiora ponere pluribus collectis in unum. — De voce *ἀναξία*, imperium, cf. Hesych. ibique not. Loquitur autem magnifice ad splendidiorem laudem, quum in fabulis esset heroes vicinos in litibus suis componendis eius iudicio usos, venerantes pacis foederumque non uno loco conciliatorem, cf. Müller. Aeginet. p. 20. — V. 11. *ἁρμόζειν στρατόν* est *κοσμεῖν*, et cogitandum de prisca Athenarum laude tactica, cf. Herod. VII, 161. Xenoph. d. Venat. 1, 12. — V. 12. *Πελοπηϊάδαι*, rara forma, vid. tamen Theocrit. Adoniaz. 142, ibique Valcken. Notandum vero Pindaro Pelopidarum potentiam paullo antiquiorem significari quam est ex vulgari chronologia, quod defendit Müller. Aegin. p. 36. — V. 13 sq. Supplicatio Aeaci pro urbe et civibus, satis explicata in Introductione. *ἀστῶν τῶνδε*, civibus huius urbis, ut Ol. V, 14. Canitur vero carmen haud dubie in Aeaceo, dedicante Dinide Aeaco coronam suam. — *μίτρα*, taenia lanea coronis imponi solita, notata est nobis Ol. IX, 90. Veluti quum Fragm. inc. 67. dicit, *ὑφαίνω δ' Ἀμυθαονίδαις ποικίλον ἄνδημα*. Sed nunc cogitandum potius de infula in supplicatione usurpata, ut constat, Tacit. Hist. I, 66. collat. Caes. B. C. II, 12. Liv. XXX, 36. Graecis haec vulgo *στέμματα* sunt. Eximie enim Pindarus, ut Nem. IV, 81. laudem Callicli mortuo dicendam *στήλην* appellavit, nunc carmen supplicatorium ad Lydiam harmoniam cantatum appellat Lydiam mitram sonore variatam, *καναχηδὰ πεποικιλμέναν*, ornatum sonis musicis tibiae. *καναχηδά*, ut *καναχαὶ αὐλῶν* Pyth. X, 39. add. Soph. Trachin. 641. *αὐλὸς οὐκ ἀναρσίαν ἰάχων καναχὰν ἐπάνεισιν*, ac vidimus *Λυδίους αὐλοὺς* in supplicatione iam Ol. IV. 19. Hanc igitur poeta fert Aeaco, non ipse, sed poetice praesens per carmen, ut toties vidimus. Denique hoc carmen est *ἄγαλμα* (plane ut Nem. III, 13.), ornamentum Dinidis duarum victoriarum et patris, qui credo semel vicerat, ut tres fuerint victoriae. — V. 16. Cum diis enim fundata et a diis profecta salus et felicitas durabilior. Cf. similia ap. Welckerum meum ad Theo-

gnid. p. 9. Habebatur vero Aeacus pro deo, cf. Müller. Aeginet. p. 162.

V. 17—39. De invidia, quam Aiax passus. Altera pars carminis. — ὅςπερ κ. τ. λ., deus etiam Cinyram olim in Cypro ornavit divitiis. De Cinyra vid. Pyth. II, 15. Nobilissimae divitiae singulari deorum favore ei concessae. Suid. v. καταγηράσας. Plat. d. Legg. II. p. 660., ibiq. Ast. p. 112. Interprett. ad Ovid. Met. X, 337., maxime Burmann. — ἔβρισε nunc active, quod rarius, veluti Aesch. Pers. v. 344., plerumque enim intransitive ponitur pr. gravem esse. Ceterum cf. Soph. Ai. 130. ibiq. Interprett. et vid. Pyth. III, 106. — V. 19. ἵσταμαι δὴ ποσσὶ κούφοις, h. e. subsisto paullisper; ut enim firmo pede subsistunt qui diutius morari volunt, sic levi pede qui paullisper. Ut alia conferamus, omni pede stare est omni contentione adhibita et totis viribus incumbendo, Quinctil. XII. c. 9. ad fin. Graece dicitur ὅλῳ ποδί, ἐκ δυοῖν ποδοῖν, ἀμφοῖν ποδοῖν. Cf. Heindorf. ad Horat. Satir. I, 4, 10., ubi legitur oppositum illud: „stans pede in uno." — ἀμπνέων τε πρίν τι φάμεν, et spiritum ducens paullisper, antequam plura dicam. Ἀπνευστί qui loquuntur, loquuntur temere; Pindarus igitur spiritum ducit, ut deliberet secum, an pergere debeat in hac fabula. ἀναπνεῖν est etiam vivere, ut vidimus Nem. VII, 5., et recreari, vires colligere, ut constat, quam significationem perperam hic Scholia amplectuntur. Porro τέ dicit c. participio post verbum finitum, respiciens ad sensum, qui hic: Sto morans paullisper et spiritum ducens. Add. aliam rationem Nem. XI, 45. — V. 20. πολλὰ λέλεκται, de Cinyra; νεαρὰ δ' ἐξευρόντα cet., nova autem excogitata tradere examini et subiicere iudicio hominum ad probationem maxime periculosum. ἅπας κίνδυνος, Aristoph. Nub. 954. Similiter ἅπασα et πᾶσα ἀνάγκη, de quo vid. Heind. ad Plat. Theaetet. p. 485. Et πᾶσα κακία Demosth. d. Coron. P. 319. πᾶσα εὔκλεια Soph. Ai. v. 436. πᾶν κέρδος, Eurip. Med. 459. At ἔλεγχος ut Ol. IV, 20. — ὄψον δὲ λόγοι φθονεροῖσιν, deliciae vero sunt verba quae dicas invidis, quaerentibus quod reprehendere possint. Marklandus ad Euripidis Suppl. v. 563. λόγους intelligit maledicta, convicia, ψόγους. At enim, quanquam illic

vera est significatio, hic tamen significantior vox eligi debebat, hoc si voluisset poeta. Nec sensus bonus. Quid sit ὄψον, accurate explicuit Boeckhius d. Oecon. Civ. Athen. T. 1. p. 111. — ἅπτεται, carpit, invadit, veluti Aristoph. Ran. 894., scil. ὁ φθόνος, eliciendum ex vocabulo φθονεροῖσιν, ut Aesch. Pers. 13. ἑὸν δ᾽ ἄνδρα βαΰζει, scil. Ἀσία, quum praecessisset Ἀσιατογενής. Add. ad Nem. VII, 10. Attende vero hic etiam ad causam mutatae orationis. Dixit de invidis, qui poetarum carmina carperent, dicturus est de invidia, quam Aiax expertus sit; hinc revocat orationem ab istis invidis ad invidiam ipsam, ut ab uno invidiae genere transeatur ad alterum. Simul mirifice augetur gravitas loci, ad quem accedimus substituta invidia pro invidis, ut ubique maximam vim habent atque sublimitatem et πάθος adiuvant abstracta sic posita pro concretis. Ita igitur pervenimus ad id, quo tendebat oratio. Sensisti enim haud dubie iam diu, quo consilio antecedentes versus a poeta scripti sint. Si carminis ratio postulasset longiorem de Cinyra narrationem, non tacuisset Pindarus nec timuisset reprehensores; nunc autem orditur de Cinyra et statim iterum mittit eum, nulla alia de causa, quam ut quasi timens invidos de invidia ipsa dicat ad eamque sensim transeat, ut solet pulcros transitus habere. — V. 23. δάψεν, absumpsit, acerbe dictum. Est vero invidia mordax. — φασγάνῳ ἀμφικυλίσαις, faciens ut incumberet in ferrum, circumvolveretur ferro in corpus adacto. Soph. Ai. 828., πεπτῶτα τῷδε περὶ νεοῤῥάντῳ ξίφει. Atque ipsum ferrum inde ἔγχος περιπετές ibid. 907. De eadem re Pind. Isthm. III, 54. ἀλκὰν ταμὼν περὶ ᾧ φασγάνῳ. Adde similia plura in Boeckhii editione laudata, et vide loquutiones apud Lobeck. ad Soph. Ai. p. 372. Postremo ἀμφικυλίσαις nunc repositum a Boeckhio pr. ἀμφικυλίσσαις, quum iota longum sit, cf. Iacobs. ad Anthol. Palat. Tom. III. p. 139. et Spitzner. in libro Germanico de Prosodia §. 52, 2. p. 55 ed. 3. — V. 24 sq. Fit enim non semel, ut aliquis dicendi quidem imperitior, at fortis tamen animo, posthabeatur in tristi lite, maximum vero versuto mendacio praemium proferentum est. τινά, non unum tantum. ἄγλωσσον, lingua, h. e. facultate dicendi carentem, indisertum nunc dicit, quum obversetur animo Ulyssis στοματουργὸς, λίσπη γλῶσσα ἀνελισσομένη, φθονεροῖς κινοῦσα χα-

λινούς, ut utar verbis, quae de simili Euripidis lingua Aristophanes habet in Ranis v. 848 Inv. Simul sic pulcra oppositio exsistit inter γλῶσσαν et ἦτορ. Similis oppositio Soph. Philoct. 97. γλῶσσαν μὲν ἀργόν, χεῖρα δ' εἶχον ἐργάτιν. Ceterum Soph. Trachin. 1060. ἄγλωσσον dixit τὸν βάρβαρον. Notabis porro collocationem verborum: Aiax causa cecidit, quum, licet fortis, dicendi tamen imperitior esset; sed ita iniucunde dixisset poeta, quum minuatur quodammodo iniuria et nimis extollatur imperitia dicendi. Quare inverso ordine dixit, prudentissime. Plura in hanc sententiam disputavi de hoc loco in Boeckhii editione. λάθα κατέχει, oblivio premit eum, h. e. ἀτιμάζεται, contemnitur, causa cadit, ut bene Heynius; sed leniorem praetulit consulto loquutionem. — ἀντέταται, protenditur, ducta loquutione a praemio certaminis ad consequendum proposito. — V. 26. Dolosis enim suffragiis Ulyssem Danai foverunt. Factum enim erat fraudulentis praestigiis quorundam, ut Ulysses maiorem suffragiorum partem ferret, inter quos fuit inprimis Menelaus, cf. Soph. Ai. 1135. — Χρυσέων ὅπλων, qualia erant Achillis arma a Vulcano facta, ut patet ex descriptione eorum apud Homerum et ex illo versu: χρυσὸς γὰρ ἐρύκακε δῶρα θεοῖο Il. XXI, 268. XXII, 165. — φόνῳ πάλαισεν, cf. ad Pyth. IV, 290. — V. 28 sqq. Et tamen dissimilia vulnera hostibus inflixerant in pugna circa Achillem recens caesum et aliis diebus. Constructio est: ἕλκεα ῥῆξαν ὑπὸ λόγχᾳ. ῥῆξαν, rumpendo fecerant, veluti Ovid. Met. V, 257. fontem dixit ungula ruptum. Hom. Il. V, 361. ἕλκος, ὅ με βροτὸς οὔτασεν ἀνήρ et οὐταμένη ὠτειλή Il. XIV, 518. XVII, 86. Odyss. XXI, 219. οὐλήν με σῦς ἤλασε. Soph. Antig. 673. ἕλκος τυφλωθέν. Qualia innumera apud scriptores. Ceterum ἄῤῥηκτος φυά pr. ἄτρωτος est Isthm. V, 47. Soph. Ai. 834. πλευρὰν διαῤῥήξαντα τῷδε φασγάνῳ. Denique obiter addo quod nosti, maxime proprium esse ῥήσσειν de ossibus quae franguntur, ut rupta membra apud Latinos. — De Achillis morte, eius auctore, loco, tempore explicate dixit Heynius ad Il. XXII, 359. Vehementer eo die pugnatum esse significavit Homerus Od. V, 309., ubi etiam videmus Ulyssem ei pugnae interfuisse, qui gloriatur Achillem caesum eiusque arma ne auferrent Troiani, prohibuisse, apud Soph. Philoctet. 373. et Ovid. Met. XIII, 284. — Postremo ut

de toto loco aliquid addam, si memineris haec omnia contra Athenienses dici nunc superbientes, non dubitabis hic alludi ad navalia facta Aeginetarum maxime in pugna Salaminia, ubi Graecorum suffragio palmam fortitudinis Aeginetae, non Athenienses tulerant, teste Herodoto VIII, 93. ἐν δὲ τῇ ναυμαχίᾳ ταύτῃ ἤκουσαν Ἑλλήνων ἄριστα Αἰγινῆται. Vid. infr. ad Isthm. IV, 48. — πάρφασις, callida persuasio et dolus, unde Hesychio explicatur ἀπάτη, cf. Boeckh. ad Ol. VII, 66. Vide etiam Hom. Il. XIV, 217. ibiq. Heyn., et adde verbum παρφάσθαι ἐπέεσσιν saepius apud Homerum lectum, ut Od. XVI, 286. μνηστῆρας μαλακοῖς ἐπέεσσιν παρφάσθαι. Simile est παρειπεῖν callide persuadere s. παραπείθειν, ut Il. I, 555., et omnino fallere, decipere c. accusat. person., cf. Valcken. Adoniaz. p. 356. — αἱμύλοι μῦθοι sunt verba male blanda, delinimenta verborum, ut ex Homero satis notum, quibus quum utatur πάρφασις, eorum ὁμόφοιτος, socia et comes, dicitur. Aristoph. Av. 680. luscinia est ὕμνων ξύντροφος, socia cantuum, quos canit. Istis autem verbis olim utebatur Ulysses, utebantur nunc inter Athenienses qui horum odia adversus Aeginetas alebant, incendebant. — V. 34. 'Quae vim infert ei, quod splendidum, obscurorum vero gloriam futilem extollit. Apollod. Fragm. IV, 12. ap. Br. Gnom. p. 188. πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ φθόνος βιάζεται. — ἄφαντοι, virtute genuina carentes, cf. Nem. III, 39. — σαθρόν, vitiosum, male sanum, οὐχ ὑγιές, cf. Toup. ad Longin. 18. p. 340. Weisk. et Ast. ad Plat. Legg. T. II. p. 254. Redit autem poeta magnificentius ad initium loci v. 22., more sollemni Graecorum. — V. 35 sqq. Subiicitur quod solum addi poterat, et quo absolvitur πάθος loci: Procul absint a me tales artes. ἁπλόαις, non σκολιαῖς istis, quibus invidia incedit διπλῇ. Cet. cf. βίᾳν κέλευθον ἄθεον Eurip. Herc. Fur. 432. — ἐφαπτοίμαν, Ol. I, 86. — προσάψω, ut μῶμον ἀνάψαι Hom. Od. II, 86., cf. ad Ol. V, 8. — Ad collocationem particulae μή confer Bernhardy Syntax. p. 461. Ceterum vide locum Pyth. XI, 58. — Χρυσόν et πεδίον iunxit tanquam duo praestantiora divitiarum genera, quae per excellentiam κτήματα dicuntur. Cf. Huschk. ad Tibull. I, 1, 1. Porro omissum in primo membro οἱ μέν, cf. Matth. Gr. p. 579. ibiq. laudatos. Denique totus hic locus eam vim habet, ut per oppositio-

nem magis extollantur sequentia. De qua re saepe monitum. — ἀστοῖς ἁδών, φίλος ἀστοῖς Epigr. ap. Brunck. Anal. I. p. 174. — Καί, etiam moriar talis. — αἰνητά, formam a Lexicographis parum curatam monet Schaeferus ad Gnomicos ed. Lips. p. 361. — ἐπισπείρων, sic Hesychius ἀρὰς ἐπισπεῖραι, etsi ibi ex singulari quadam ratione explicatum. Latini: labem, maculam adspergere alicui, infamia adspersum esse, alia habent. Obiter moneo Soph. Ai. 1005. ὅσας ἀνίας μοι κατασπείρας φθίνεις vertendum esse: Quot mihi satis doloribus moreris. Postremo contrariam loquutionem σπείρειν ἀγλαΐαν legimus Nem. 1, 13.

V. 40 — ad finem. Redit ex fabulis ad victorias Dinidis patrisque, et finem carmini imponit. — V. 40 sq. Crescit vero virtutis gloria, ut viridi rore nutrita arbor surgit, apud sapientes iustosque viros elata ad aetherem, h. e. valet autem multum poesis iusta (qualem modo descripsit suam); nam ut invidia deiicere conatur optima quaeque, sic a poetis iustis curata quam laetissime se tollit in altum virtutis gloria. Vides iam simul causam ornatus in hoc loco, ut saepe moneo in classicis scriptoribus nihil inanis inesse ornamenti. — ἀρετά, gloria, fama virtutis et rerum gestarum. — σοφοὶ δίκαιοί τε, qui docti sunt et iusti, sunt poetae iusti probique nec invidi; de poetis enim sermo. — ἀερθεῖσα πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα. Nosti Homericum Od. IX, 20. καί μεν κλέος οὐρανὸν ἵκει, quod Aristoph. Nub. 459. Inv. κλέος οὐρανόμηκες dicit. Lyricus, qui alias habet ἄρδειν δρόσῳ Χαρίτων Isthm. V, 64. ῥαίνειν ὕμνῳ, εὐλογίαις Pyth. VIII, 57., Isthm. V, 21. τρέφοντι εὐρὺ κλέος Πιερίδες, suaviter hic arboris comparatione utitur, quae laete nec tarde crescit in altum, ἄσσει. Hom. Od. VI, 163, 167., ἀνέρχεσθαι, Il. XVIII, 56, 437., ἀναδραμεῖν. Similes denique comparationes allatas vide ad Horat. Od. I, 12, 45., „Crescit occulto velut arbor aevo fama Marcelli", ubi tamen occulto aevo est sensim sensimque, non animadversis incrementi temporibus. — V. 42 sq. Usus enim sunt multiplices amicorum; maximi quidem, qui in rebus gerendis praestantur, sed tamen etiam poetarum officia sunt aliquid. φίλων ἀνδρῶν, ne nunc quidem missa cogitatione invidiae et malevolentiae. — ἀμφὶ πόνοις, in laboribus et rebus gerendis. —

μαστεύει δὲ καὶ τέρψις cet., cupit tamen etiam laetitia sibi ob oculos ponere fidem, h. e. cupit tamen laetitia victoris s. victor etiam oculis usurpare solidum rerum gestarum documentum, quod fidem faciat et testetur gloriam suam. Atque hoc ipsum poeta praestat bonus carmine. *πίστις* ut Latine fides de re, quae fidem facit, veluti Ovid. Ep. ex Pont. I, 5, 32., Petron. Satir. c. 97. Ac supra Ol. X, 6. vidimus *ὕμνους* esse *πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς*. — *ὦ Μέγα, τὸ δ' αὖτις* cet., O Mega, illud vero, iterum tuam animam ut reducam ex Orco, praestare non possum. *κομίξαι*, reducere ex Orco, ut Pyth. IV, 159. reducere in patriam. — *κενεᾶν δ' ἐλπίδων χαῦνον τέλος*, vanae spes futilem exitum habent et ad nihilum redeunt, ut iis indulgere stultum sit. — V. 46 sq. At genti tuae et Chariadarum phratriae magnam ponere columnam Musarum propter quattuor gloriosos pedes, hoc possum. Pro *ὑπερεῖσαι* Hermannus coniicit *ὑπερείσω*, sed praefero cum Boeckhio nunc *ὑπερεῖσαι*, ut *ἠθικώτερον*, relatum ad *οὔ μοι δυνατόν*. — *πάτρα* apud Pindarum gentem significat et patriam, hoc tamen ubi nulla ambiguitas. Atque hoc loco gens est; *Χαριάδαι* autem videntur esse plurium gentium societas, similis phratriis Ionicarum urbium, si uni maiori genti aliae se adiunxerant, nomen commune vero societatis a principe gente petebatur. Vide quae de his rebus uberius exposita sunt in Boeckhii editione, et add. Müllerum Hist. Dor. II. p. 81. — *λίθον Μοισαῖον* non esse hoc loco mortuo positam *στήλην*, ut Nem. IV, 81. laus Callicli dicenda appellatur, vel inde patet, quod etiam propter Dinidem ponitur; nam *ἕκατι ποδῶν εὐωνύμων δὶς δὴ δυοῖν*, est propter quattuor gloriosos pedes, quorum duo Dinidis, duo Megae sunt. Petita igitur comparatio ab eo potius genere columnarum s. *στηλῶν* est, quod Ol. VII, 86. Megaris et in aliis multis ludorum locis notavimus positum ad servanda victorum nomina lapidi inscripta. Ac nunc quidem *λάβρον λίθον*, ingentem columnam promittit, credo quae temporis iniuriae resistere possit, et quam non possit proruere pes invidorum hominum. Est igitur *λάβρος*, ut dicitur *λάβρον πῦρ, σέλας, λάβρος καπνός*, improbus, ingens, validus, nec de loquaci s. sonante columna cum Schol. cogitandum, quod abso-

num. — *χαίρω δὲ* cet., gaudeo vero convenientem in re gesta laudem fundere, s. lubens vero, ubi quid gestum est, convenientem rei largam laudem fundo, non invidus, ut pravi homines, sed ornare amans praeclare facta. — *κόμπον*, magnam laudem, clara voce dictam, Isthm, I, 43. — *ἱείς*, ut *ἀοιδὴν*, *αὐτὴν*, *φωνὴν ἱέναι*, cf. ad Aristoph. Av. 234. *χαίρω ἱείς* in vulgus nota constructio. — *πρόςφορον*, accommodatum, Thucyd. II, 46. — *ἐπαοιδαῖς* cet., incantationibus vero saepe aliquis molestiam laboris leniit. In quo *ἐπαοιδάς* carmina vocat, monente Hermanno, translata a medicorum artibus similitudine (Vid. incantationes medicas Pyth. III, 51.). Ac recte Scholiastes: *ὅτι ὡς ἐπαοιδῇ τις χρησάμενος κουφίζει τὸν κάματον, οὕτω καὶ ἐγὼ ὡς ἐπῳδῇ χρησάμενος τῷ ὕμνῳ κουφίσω τὴν κακοπάθειαν τοῦ ἠθληκότος.* Similes loquutiones sunt *φάρμακον*, *ἰατρὸς πόνων*, de quibus vid. Pyth. IV, 187. — *ἦν γε μὰν ἐπικώμιος ὕμνος δὴ πάλαι* sqq., enimvero laudatorius hymnus pridem fuit etiam ante Adrasti et Cadmeorum bellum, h. e. iam olim heroico tempore comissatio fuit post ludicra et bellica certamina, et recrearunt se heroes laudatorio cantu. Et quidni vere censeat Pindarus, modo ne haec cultioris poesios carmina intelligamus. — *τὰν Ἀδράστου τάν τε Καδμείων ἔριν.* Ne offendaris repetito articulo, quod olim mihi accidit, est hic recte positus, licet de uno bello agatur; conferas modo alia similia, ut Horat. Serm. 1, 7, 12. „inter Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem ira fuit capitalis," et Epist. 1, 2, 11. „Nestor componere litis inter Peliden festinat et inter Atriden." Quibus locis etiam Bentleius olim offensus est. Sed vide Hermannum ad Sophocl. Oed. Col. 812., qui tamen hoc Pindari genus non comparavit. Quod olim conieci *τῶν τε Καδμείων* etiam propterea reiiciendum est, quia gentium nomina nusquam articulum habent apud Pindarum. De sententia recte Scholiastes notat, quum Nemea vulgo instituta perhibeantur ineunte Adrasti expeditione (Apollod. III, 6, 4., Schol. Pind. Arg. Nem. et ad Nem. X, 49.), Pindarum ad hoc alludere. Consentaneum est enim in carmine ob Nemeaeam victoriam scripto dicere etiam ante Nemea fuisse *ἐπικώμιον ὕμνον.* Lector tamen post antecedentes carminis explicationes non dubitabit simul

praesentia tempora observata poetae, ubi Athenienses Aeginam expugnare parabant, ut olim Adrastus Thebas expugnatum ibat. Et optabat haud dubie Pindarus, ut accideret Atheniensibus quod olim Adrasto, de quo vid. Nem. IX, 18 sqq.

CARMEN NEMEAEUM NONUM.

INTRODUCTIO.

De Chromio, cui hoc carmen scriptum, vide Introductionem ad Nem. I. Victoria curulis, quae hic laudatur, non reportata erat in Nemea, sed Sicyone in Pythiis, ut satis e carmine ipso liquet, quod Nemeacis perperam annumeratum est a Grammaticis. Habebantur enim etiam Sicyone Pythia, quae instituisse videtur Clisthenes tempore belli Cirrhaei, Pindarus autem ab Adrasto repetit. *Ἆθλα* certaminis phialae binae fuerunt, videtur tamen simul etiam *στεφανίτης* fuisse hic *ἀγών*. Victoriam Chromii pluribus annis ante carmen partam docet v. 52.; carmen vero Boeckhius ad Ol. 77, 1. refert. Habitabat Chromius tunc Aetnae, et erat praefectus urbis ab Hierone constitutus; praesente vero, ut videtur, Pindaro, quum hunc hymnum accepisset, reverso ludorum tempore habet haec epinicia quasi recentis victoriae, et tanquam redux e certamine, ut solebant victores, sollemni pompa invehitur urbem; post pompam ad convivium ventum est in fine a poeta significatum. Carmen vero totum cantatum in pompa. Argumentum hoc est: In prooemio excitantur Musae, ut Sicyone Aetnam tendant ad Chromium et carmen parent, quum Chromius iam currum victorialem conscendat et ordiendum significet hymnum in honorem Latonae et liberorum nunc canendum. Exhortans se deinde ad laudem ludorum, quos Adrastus instituerit, simul hunc heroem se celebraturum dicit, qui rex olim Sicyonis novis festis et certaminibus ornaverit urbem, quum Argis fugisset bellis intestinis ab Amphiarao cum fratribus eiectus, et Sicyone imperium consequutus esset.

Rediisse tamen eum postea cum Amphiarao in gratiam; quo facto Adrasti familiam firmatam amicitia et opibus Amphiarai Danaorum potentissimam fuisse. Exin bellum adversus Thebas susceptum esse, sed contra voluntatem deorum, quum Iuppiter non excitasset eos, sed deterruisset fulmine misso ab expeditione. Factum sic, ut in apertam ruerent perniciem cum armis equisque; ad Ismeni ripas Argivos caesos et crematos in peregrina terra, Amphiarao autem diffidisse Iovem terram eumque abscondisse cum equis, antequam tergum hasta percussum haberet; in divinis enim terroribus fugere etiam filios deorum. Atque haec quidem hactenus. Iuppiter, pergit, si fieri potest, impetus terribiles Punicarum hastarum remove quam longissime, et bene constitutae reipublicae fortunam praebe Aetnaeis filiisque diuturnam, ac decoribus civilibus orna populum. Sunt ibi cives equorum studiosi et qui pecunias prae gloria contemnant. Chromio vero si quis adstitisset armiger in pedestribus, equestribus, navalibus proeliis, cognovisset discrimina belli; pauci sunt qui nubem belli in hostes vertere valeant manu animoque. Ut Hectori ad Scamandrum gloria floruit, sic ad Helorum Chromio iam in prima adolescentia, aliaque multa dici possent aliis diebus gesta terra marique. Ex talibus laboribus susceptis in iuventute et cum iustitia exsistit placida ad senectutem vita. Scito te a diis consequutum admirabilem felicitatem. Nam si quis praeter divitias etiam gloriam adeptus est, habet satis. Sed victoria gaudet cantu et audacior fit vox ad pocula; misceto iam aliquis craterem et distribuito vinum in argenteis phialis, quas equi quondam reportarunt Sicyone. Iuppiter precor mox pluribus hanc victoriam celebraverim, attingens quam proxime scopum Musarum. Ita Pindarus. Quodsi post haec de sententia carminis quaeritur, ea in promptu est, ut mihi videtur, et quae paucis declarari possit. Chromius fortitudine bellica inde a prima adolescentia insigni maximam gloriam consequutus est, ad quam nunc ludicra ornamenta accedunt; praeterea divitias habet. Fruitur igitur admirabili divinitus data felicitate. Tali homini quid magis commendari debet modestia et sapientia, ne plura concupiscendo deorum iram commoveat? Atque hoc inest in fabula de Adrasto et de interitu exercitus Argivi. Chromium praefectum Aetnae nosti partem regiae Syracusarum familiae fuisse,

quum sororem Hieronis in matrimonio haberet. Magna autem erat Hieronis potentia et auctoritas eo tempore, et Syracusanos principes erat quod diceres Graecorum maximos in Sicilia. At non minus magna erat ambitio; multa bella gesserant cum successu, successu creverat gloriae cupido; quare non mirum, si erat quod dissuadendum censeret poeta, quanquam quid tum moliti sint nescimus. Sic apertus est fabulae sensus: Non nimis fidendum viribus; fracti sunt etiam potentissimi viri, si bella tentabant invitis diis; *ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοις φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν.* Vides rationem carminis similem aliis multis, ubi cum laude gloriae fortunaeque eximiae coniungitur moderationis et modestiae commendatio. Ac monita poeta praemisit, laudes subiecit, et promittit in fine alias multas inter pocula dicendas.

EXPLICATIO.

V. 1 — 7. **Prooemium.** Hortatur Musas, ut Sicyone Aetnam tendant ad Chromium, qui nunc currum victorialem conscendat, vecturus per urbem in pompa. — V. 1 sqq. Ibimus ab Apolline Sicyone, Musae, laeto agmine recens conditam Aetnam, ubi apertae ab hospitibus victae patent fores, beatam ad Chromii domum. — *κωμάζειν*, comissari, laeto agmine tendere ad Chromium, *κῶμον ἀγοίσας*. Ol. X, 10. *ἔνθα συγκωμάξατε.* Et vid. plura apud Cel. Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 1, 10. — *παρ᾽ Ἀπόλλωνος.* Dubium non est Chromii haec epinicia reverso Pythiorum tempore habita. Apollo igitur nunc versatur Sicyone, ubi Pythia sua habentur, quemadmodum Neptunum vidimus Nem. V. in Isthmo versari praesentem, quum Isthmia aguntur. Cum Apolline etiam Musae ibi sunt, quoniam *κῶμοι* ibi habentur victoribus, ut fit vespere in locis ludorum, tempore certaminum, cf. Nem. VI, 39. Hinc nunc suaviter Musae ab Apolline Sicyone Aetnam vocantur, ut etiam ibi *κῶμον* habeant, etiam ibi Pythiam aliquam victoriam canant. — *νεοκτίσταν Αἴτναν*, quae condita erat Ol. 76, 1. Hoc autem carmen scri-

ptum videri diximus Ol. 77, 1. — ξείνων νενίκανται, ab hospitibus victae patent, ut saepe νικᾶσθαι c. genitivo. Soph. Ai. 1340, Aristoph. Nub. 1078. Valcken. ad Eurip. Hippolyt. v. 458. Abresch. ad Aeschyl. T. II. p. 209. Iacobs. Delect. Epigr. p. 421. Matth. Gr. p. 671. — V. 3. ἐς Χρομίου δῶμα, ad domum suam comitaturae victorem, qui pompam ducit a portis per vias urbis, ut, postquam deduxerint eum, hospitio ibi excipiantur. Hospitae enim fores etiam Musas admittent cupide; cf. dicta ad Nem. III, 1. — ἀλλ' ἐπέων ὕμνον πράσσετε, age vero parate iam, perficite hymnum. ἐπέων ὕμνος ornate, cf. Nem. VII, 16. — V. 4. τὸ κρατήσιππον γὰρ ἐς ἅρμ' ἀναβαίνων cet., victorialem enim currum conscendens hymnum ordiendum esse significat in honorem Latonae et liberorum, Pythonis consortium custodum. Vehitur Chromius ipso eo curru, qui vicerat. — αὐδὰν μανύει, nuntiat cantum hoc ipso quod currum conscendit, quandoquidem nunc introitus sollemnis initium capit hymnusque sonare debet. — Πυθῶνος ὁμοκλάροις ἐπόπταις. Fuerunt Latona, Apollo, Diana, ut multis in locis coniunctim colebantur, ita Delphorum patroni consortes simulque praesides ludorum Pythiorum. Vide quae de hac re data opera exposita sunt plurima in Boeckhii editione. Memoravimus rem etiam ad Pyth. I, 3. Hi igitur tres Pythii dii quum etiam Sicyone institutorum Pythiorum ludorum praesides essent, magnifice hymnus dedicatur Πυθῶνος ἐπόπταις, quo loco etiam haec Pythia profecta. ἐπόπταις, inspectoribus, cf. de v. Spanh. ad Aristoph. Ran. 758. Pindarus alias dicit σκοπός et ἐπίσκοπος. — V. 6 sq. Est vero dictum quoddam hominum, rem praeclare gestam non humi silentio tegendam (ut humi iaceat silentio pressa); cf. ad sententiam Nem. III, 29. — λόγος, dictum, proverbium, cf., si tanti est, Blomfld. ad Aesch. Agam. v. 727. — καλύψαι, cf. κρύπτειν Pyth. IX, 94. Celata virtus Horatio Od. IV, 9, 30. dicitur. — θεσπεσία δ' ἐπέων καύχαις ἀοιδὰ πρόςφορος, est vero divinus carminum cantus aptus, accommodatus magnis laudibus. καῦχαι, h. e. καυχήσεις, ut βλάστη, βλάστησις, ἄνθη, ἄνθησις. De quo genere formarum vide Hemsterhusium ad

Thom. Magistr. p. 127. Vox h. l. bono sensu dicta idem est quod κόμπος, magnifica laudatio.

V. 8 — 27. Orsus a Pythiis ludis transit statim ad Adrastum, cuius et laudes narrat et infaustam adversus Thebas expeditionem. — V. 8. Verum age sonoram citharam, age tibiam dirigemus ad ipsum praeclarum certamen, unde Chromius victoriam reportavit. De repetita praepositione vid. Matth. Gr. p. 1190. — ἱππίων ἄθλων κορυφάν, apicem certaminum equestrium dicit Pythiorum certamen paullo magnificentius, quum Chromii currus ibi certasset, ac non videntur ignobiles fuisse ludi. — ἅ τε Φοίβῳ θῆκεν Ἄδραστος. Pythia Sicyonia memorantur etiam in Scholiis ad Nem. X, 49. et 76. Haec instituta a Clisthene ferebant, notissimo tyranno, de quo vide Müllerum nostrum Hist. Dor. I. p. 162. Quum autem Pindarus nunc ad Adrastum ea referat, Boeckhius ad Scholia v. 2. optime coniicit Sicyonios iam antiquitus ludos celebrasse in Apollinis honorem, institutos, ut ferebatur, ab Adrasto; quos deinde antiquaverit Clisthenes et Pythia quae dicebantur in eorum locum substituerit. Erant igitur olim Apollini sacri et nunc, sed in aliam formam a Clisthene redacti. — Asopus notus istius regionis fluvius, de quo vide ad Nem. III, 4. — ἐπασκήσω, ornabo, cf. ad Hesych. v. ἐπασκεῖν. — V. 11. ὃς τότε μέν, quum hos ludos institueret. Postea, ut videbimus, Argos rediit. — νέαισί θ' ἑορταῖς, qualia sollemnia sacrificia, quae Apollini dicata. Nam ἑορτή est sacrificiorum dies, a quo differunt dies ludorum, cf. Ol. VI, 69. Ceterum suaviter haec Pindarus, quum etiam Aetnae Hiero similiter novum festum instituisset, Αἰτναῖα. — V. 12. ἰσχύος ἀνδρῶν ἁμίλλαις ἅρμασί τε γλαφυροῖς, h. e. roboris certaminibus et curruum. Sunt enim ἅμιλλαι ἅρμασι certamina quae curribus fiunt, plane ut Ol. V, 6. Sic νίκα ἵπποισι Isthm. II, 13., ἅρματι Pyth. VI, 17., δόξα ἅρμασιν Isthm. III, 16. Usitata Pindaro constructio. — γλαφυροῖς, scalpturis ornatis. Talis videtur nunc Chromii currus fuisse. — ἄμφαινε, Pyth. IX, 73. — V. 13. Hic de fabulis monendum. Diviso a Proeto regno cum Melampode et Biante, regnabant Argis Proetidae, Melampodidae, Biantidae. Ac Proetidae se ex-

cipientes fuerunt Megapenthes, Anaxagoras, Hipponous, Capaneus, Sthenelus, Melampodidae Antiphates, Oïcles, Amphiaraus, pater Alcmaeonis, Biantidae Talaus, Adrastus, qui fratres habebat Parthenopaeum; Pronactem, Mecisteum, Aristomachum et sororem Eriphylen. Orto autem dissidio ab Amphiarao Adrastus cum fratribus regno eiectus est et Argis expulsus. Hinc dicit Pindarus *φεῦγε Ἀμφιάρηον θρασυμήδεα καὶ δεινὰν στάσιν*, et addit: *ἀρχοὶ δ' οὐκ ἔτ' ἔσαν Ταλαοῦ παῖδες, βιασθέντες λύᾳ*, h. e. *στάσει*, intestino bello et dissidio. Cf. de v. Eustath. ad Il. *ά*, p. 108., 8. Hesych. Tom. II. p. 502. Etymol. Magn. p. 571, 29. Fugit autem Adrastus Sicyonem ad Polybum, cuius tum admodum potens regnum fuisse videtur (cf. Müller. Orchom. p. 236.), cuius filiam duxit et regnum post mortem Polybi adeptus est. Ornavit tum Sicyonem, ut Pindarus dicit, novis sollemnitatibus, atque etiam post mortem eximie ibi cultus fuit. Tamen non mansit ibi. Redit enim in gratiam cum Amphiarao, quod Pindarus dicit v. 15.: *κρέσσων δὲ καππαύει δίκαν τὰν πρόσθεν ἀνήρ*. In quo *κρέσσων* est prudentior, *ὁ συνετώτερος* ait Schol., veluti *κρείττονες* sunt peritiores Xenoph. Mem. I, 2, 16, 47. Malit fortasse alius vertere: praestantior, generosior indole, ut apud Atticos maxime etiam ethicum usum habet vox. — *δίκαν*, litem. — V. 16. *δόντες*, dederunt Talaionidae, Adrastus cum fratribus, Eriphylen sororem Amphiarao in matrimonium, *ὅρκιον ὡς ὅτε πιστόν*, scil. *δίδωσί τις*, explicante Hermanno ad Vig. p. 919., tanquam pignus fidum foederis. Femina epitheto ornante audit *ἀνδροδάμας*, viri domitrix, quae Amphiarao quamvis invito postea persuasit, ut cum ceteris ducibus contra Thebas proficisceretur. Sic *φόβος ἀνδροδάμας* Nem. III, 37. est qui virum frangit et domat. Hanc igitur callidam mulierem ei in matrimonium dederunt. Adrastus sic firmata amicitia cum Amphiarao rediit Argos et recuperavit patriam imperii partem (nam rediisse eum Argos inde patet, quod constanti traditione Argis profectus est contra Thebas), ac fuerunt nunc Talaionidae Danaorum potentissimi. — *δή τόθεν καί ποτ' ἐς ἑπταπύλους Θήβας ἄγαγον στρατόν*, tum quidem etiam adversus Thebas exercitum duxerunt, h. e. sed non contenti fortuna sua ausi sunt etiam

maiora, quum Polynices ad Adrastum venisset, et exercitum eduxerunt vel contra deorum voluntatem. Utitur hic consulto plurali, in animo habens Hieronem cum fratribus et Chromio, quos a similibus ausis deterrere vult. — V. 18 sqq. *αἰσιᾶν οὐ κατ᾽ ὀρνίχων ὁδόν*, non in fausta via, non in via faustarum avium. *παρόρνιθας πόρους* dixit Aeschyl. Eumenid. 767. Horat. Od. I, 15, 5. „Mala ducis avi domum.“ Eurip. Hippolyt. 759. *δύςορνις ἔπτατο Ἀθήνας*. Sed Pindarica formula his omnibus gravior. *αἰσιᾶν* cf. Athen. IX. p. 373., B., ubi notatum veteres masculino et feminino genere vocis *ὄρνις* usos. — *οὐδὲ Κρονίων* cet., neque Iuppiter eos excitaverat fulmine misso, sed abstinere iusserat expeditione. Eximia vis est in hac verbosiore formula, coniuncto negativo et positivo genere dicendi, et hoc ita voluit Pindarus, quum etiam Syracusanos principes ab infaustis bellis deterrere conaretur. Ac nuntiaverat Amphiaraus infaustum belli exitum, cf. Apollod. III, 6, 2; sed non credebant licet vera monenti et certis signis edocto. Ex *ἐπώτρυνε* eliciendum *ἐκέλευσεν*. — *φείσασθαι*, ut parcere pr. abstinere, omittere, Xenoph. Cyrop. I, 6, 35. Pors. ad Eurip. Orest. 387. Cum genitivo dicitur et cum infinitivo etiam. — V. 21. Ita vero apertam in perniciem ruebant. — *φαινομέναν*, veluti Archiloch. Liebel. p. 173. ed. sec. *φαινόμενον κακὸν οἴκαδ᾽ ἄγεσθαι*. — V. 22 sq. *Ἰσμήνου δ᾽ ἐπ᾽ ὄχθαισι γλυκὺν νόστον ἐρυσσάμενοι* cet., Ismeni vero ad ripas dulcem reditum inhibentes, h. e. ibi caesi, albicantia corpora fumum pinguefecerunt. Ismeni ripas dicit, nam quum a muris repulsi essent Argivi, circa haec loca altera pugna facta bellumque diiudicatum videtur, cf. Heyn. ad Apollod. III, 6, 8. — *ἐρυσσάμενοι*, inhibentes, ut legitur vox Hom. Od. XXIII, 243., bene comparante Heynio. — *λευκανθέα σώματα* cum vi per appositionem interiectam (als blasse Leichname). Est vero *λευκανθής* albicans, cf. Musgrav. ad Soph. Oed. R. 742. — *ἐπίαναν καπνόν* non inanis circumscriptio est, sed graviter dictum. Quid enim tristius quam inanem fumum alere? Aliis in locis terram, campos peregrinos *πιαίνειν*, pinguefacere dicuntur non minus graviter qui extra patriam occubuerunt, vid. exempla ap. Blomfld. ad Aesch. Sept. v. 584. Conf. denique

Homericas loquutiones Il. XVIII, 329, 332: ἄμφω γὰρ πέπρωται ὁμοίην γαῖαν ἐρεῦσαι αὐτοῦ ἐνὶ Τροίῃ, ἐπεὶ οὐδ᾽ ἐμὲ νοστήσαντα δέξεται — Πηλεύς, οὐδὲ Θέτις μήτηρ, ἀλλ᾽ αὐτοῦ γαῖα καθέξει. — V. 24. Septem enim rogi absumpserunt iuvenes, Iuppiter autem Amphiaraum abstulit. — νεογυίους φῶτας ad rei tristitiam augendam. Hinc etiam δαίσαντο, quod lenius dixerat supra Ol. VI, 15, νεκρῶν τελεσθέντων. Ceterum data hac occasione addo ad τελεσθέντων posse conferri Hom. Od. XXIV, 71. αὐτὰρ ἐπεὶ δή σε φλὸξ ἤνυσεν Ἡφαίστοιο. — Periclymenus fuit Neptuni et Chloridis a Tiresia genitae filius, cf. Schol. h. l. et Heyn. Observatt. ad Apollod. p. 252. Ab hoc pressus Amphiaraus φεύγων παρὰ ποταμὸν Ἴσμηνον, antequam vulnere averso accepto pudefieret forti in animo, hiatu terrae oborto cum curru absconditus est. Et fuit ibi postea Ἀμφιαράϊον, cf. ad Pyth. VIII, 39. — βαθύστερνον χθόνα planitiem Thebanam dicit. — κρίψεν δ᾽ ἅμ᾽ ἵπποις, quae bigae fuerunt aut secundum alios quadrigae, cf. Welck. ad Philostr. p. 367. Non accurate loquutus sum ad Ol. VI, 14. — Singulis tractatis addenda nonnulla sunt de universa fabula. Quae mea sit de eius consilio sententia, in Introductione dictum; Boeckhius tamen aliam explicationem proposuit. Refert omnia ad dissensiones et bella inter Theronem filiumque eius Thrasydaeum et Hieronem, de quibus ad Ol. II. vidimus. Comparat Theronem Adrasto, quia Thero simultatem cum Hierone exercens proditione cognatorum quorundam et Himerensium defectione meditata paene excidisset regno, ut Adrastus vere excidit imperio Argivo. Sed in gratiam redierunt Thero et Hiero ut Adrastus et Amphiaraus, et data Xenocratis filia, quae Theronem patruum habuit, ὅρκιον ὡς ὅτε πιστόν Hieroni in matrimonium. Tum Hiero et Thero coniuncti erant Δαναῶν μέγιστοι. Sed mortuus Thero, et continuo post obitum patris Thrasydaeus filius insolentior factus arma movit contra Syracusas et Hieronem, collecto plus quam viginti millium exercitu pedestri et equestri. φαινομέναν δ᾽ ἄρ᾽ ἐς ἄταν σπεῦδεν ὅμιλος ἱκέσθαι χαλκέοις ὅπλοισιν ἱππείοις τε σὺν ἔντεσιν. Pugnatum ad flumen Acragantem et caesa plus quam quattuor millia ex Thrasydaei exercitu, Ἀκράγαντος δ᾽ ἐπ᾽ ὄχθαισι γλυκὺν νόστον ἐρυσσάμενοι λευκανθέα σώματ᾽ ἐπίαναν καπνόν. Haec acta exeunte anno Ol. 76., 4. cf. Boeckh. ad Ol. XII. Ita Boeck-

hius. Sed haec explicatio amici carissimi, licet acute excogitata et speciosa maxime, mihi non probatur. Primum enim ut in fabulis personarum et rerum ratio sibi constat, ita etiam in explicationibus nostris idem esse debet. Nunc autem Adrasto primum Thero confertur, deinde Thrasydaeus, additque Boeckhius potuisse etiam Amphiarai mortem Theronis morti comparari, licet initio Hiero comparetur Amphiarao. Vides igitur mutari personarum rationem nec sibi constare, quod ferri omnino nequit. Nec similis Amphiaraus neque Theroni neque Hieroni. Hieroni similis non est, quia Hiero non interiit in illo bello; Theronis morti non similis Amphiarai mors, quia Thero post dissensiones et bella priora placide in pace mortuus est, Amphiaraus autem in ipso bello infausto absconditus terra evanuit. Porro non negat Boeckhius maxime offendere, quod Eriphylae ἀνδροδάμαντι comparetur Xenocratis filia, Hieronis uxor, si haec tum in matrimonio Hieronis fuerit. Coniicit igitur eam ab Hierone repudiatam fuisse et rediisse ad Theronem et Thrasydaeum. Sed ne sic quidem ἀνδροδάμας est et mariti sui domitrix. Atque haec de personis. Accedit, quod etiam rerum ratio non bene convenit. Nam Adrastus et Amphiaraus, postquam in gratiam redierant, amici coniunctis viribus ad infaustum bellum profecti sunt contra alium hostem; in Sicilia autem pace facta Thero et Hiero non gesserunt commune bellum simile, sed nova dissensio orta inter Theronis filium Thrasydaeum et Hieronem, hique ipsi inter se pugnarunt. Nec placet, quod miseratur Pindarus iuvenilia corpora rogis imposita inanem fumum aluisse, si hi hostes Hieronis et Chromii erant ab his iure caesi. Postremo etiam universum consilium fabulae ex hac ratione non liquet. Ait Boeckhius laudem inesse, quum Chromius Hieroni operam praestitisse videatur in Thrasydaeo devincendo. Celebrabitur igitur Chromii virtus bellica. Verum nullum huius rei apparet vestigium, quum interitus exercitus Argivi minime ad fortitudinem Thebanorum referatur, ut fieri debebat, sed eo potius, quod invitis diis pugnaverant. Atque ita redeo ad meam sententiam, deterreri Syracusanos principes ab iniustis bellis, quae forte meditarentur, et commendari moderationem. Nempe Pindarus Chromium ceterosque aversurus a superbia utitur exemplo Adrasti, conditoris Pythiorum, in quibus Chromius vicerat, ut Ol. I. Olym-

picum certamen Pelopis fabulam offert, et Pyth. XI. victoria in Crissaeo campo parta ad Orestem ceteramque domum Agamemnoniam viam munit, cf. ibi dicta in Introd. Adrastus igitur aliquando Sicyone degebat; tamen origine Argivus est et Argos rediit, unde cum exercitu adversus Thebas proficiscitur, quod bellum Pindarus narrare vult. Vides iam narrationem de lite inter Adrastum et Amphiaraum ea de causa interpositam esse, ut inter duplex imperium viri, Sicyonium dico et Argivum, vinculum historicum ne desideraretur. Atque ut regnum Sicyonium accommodatur laudi Hieronis, qui ipse etiam ludos Aetnaeea condidit, sic Argiva potentia ad insolentiae damna declaranda proponitur; quae interiecta sunt ad istius historiae nexum pertinent, non ad praesentes res. In quo eam rationem teneo, quam in Introductione ad Pyth. XI. professus sum, ut universam sententiam spectem fabulae subiectam, atque hanc comparem; forma rerum ut plane similis sit non opus, atque ipse sagacissimus Boeckhius meus non potuit perficere acumine suo, ut haec per singula omnia praesentibus temporibus bene conveniat.

V. 28 — 47. *Poeta ad res praesentes redit, preces facit pro urbe Aetna, laudat Chromii gloriam bellicam ceteramque fortunam, quae talis sit, ut plura appetere non debeat. Postremo encomium promittit post pompam inter pocula canendum.* — V. 28 sqq.: *εἰ δυνατόν, Κρονίων* cet., *si fieri potest, Iuppiter, pugnam hanc Punicarum hastarum de vitae mortisque discrimine saevissimam deprecor quam longissime, at fortunam reipublicae bene constitutae oro ut diu praebeas filiis Aetnaeorum, o Iuppiter, et laudes urbicas impertias populo.* Nempe post fabulam Pindarus venturus ad Chromii laudes praemittit, ut par est, preces pro ipsa urbe, quae nunc videt hanc pompam. Ac voluit hoc: Tu, o Iuppiter, ab urbe Aetna procul tene gravia bella et pacis ornamenta optima praebe, ut haec coniuncta vidimus etiam Pyth. I, 69 sqq. Pro gravibus bellis autem instar omnium Punica nominat, quum saevissima essent, licet non haec sola deprecans, et quum haud dubie etiam Chromius in iis fortissime stetisset, plane ut in Pythio primo Punica bella Hieronis causa laudantur prae

ceteris. — *Φοινικόστολα ἔγχη*, h. e. *ἔγχη στόλον Φοινίκων*, Punici apparatus bellici, Punici exercitus, hastae. — *πεῖρα*, certamen, cf. Nem. IV, 76. — *ταύταν*, h. e. notos hosce Punicos impetus, ut saepe *οὗτος* dicitur, cf. Boeckh. ad Plat. Min. p. 55. et Heindorf. ad Phaedon. p. 60. Latinis hic similiter placuit, cf. Bentl. ad Terent. Adelph. 5, 8, 23. — *ἀναβάλλομαι*, reiicio, removeo, h. e. precor, ut removeantur quam longissime. Dicuntur facere precantes id, quod precibus effectum volunt, ut ap. Persium Satir. II, 36. „Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes," h. e. orat ut mittatur. — *μοῖρα εὔνομος*, h. e. *εὐνομία*, respublica bene constituta legibus, qualem Aetnaei Hieroni debebant, cf. Pyth. I. Praeclara commoda *εὐνομίας* recenset Solo Carm. XV, 52. — V. 31. *ἀγλαΐαισιν ἀστυνόμοις*, decora ludicra (Ol. IX, 99.), quae ad urbem pertineant. Ut enim *ἀγρόνομον* significat quod in agris est, agreste, v. c. *πλάκες ἀγρόνομοι*, *αὐλαὶ ἀγρόνομοι*, sic *ἀστύνομα* quae in urbe sunt, urbica, ut nunc *ἀγλαΐαι*, quae urbi contingant. Aliud vero est *ἀστυνόμος*. Non distinguunt haec Lexica vulgaria. — *ἐπιμῖξαι*, ut passim notavimus *μίσγεσθαι*, *συμμίσγεσθαι*, *προσμίσγεσθαι κράτει*, *εὐθαλεῖ τύχῃ*, *σὺν κακοῖς*, *ἐν τιμαῖς*, *κεκραμένος ὥρῃ*, *ἀρετῇ*, *συγκέκραται οἴκτῳ*. — V. 32. *κτεάνων ψυχὰς ἔχοντες κρέσσονας*, qui animos habent divitiis maiores, qui sumptibus non parcunt in certamina erogandis, cf. Pyth. VIII, 92. — V. 33. *ἄπιστον ἔειπα*, incredibilem laudem dixi, quum vulgo non soleant homines contemnere pecunias prae gloria. — *αἰδὼς* cet., pudor enim, qui gloriam affert, gloriae auctor est, clam corrumpitur lucro. *ὑπό* iunge cum *κλέπτεται*. Pudor autem est qui humilibus, turpibus abstinet et laudem sectatur. — Iam ad Chromium ipsum transit. Chromio si adstitisses armiger, ait, in pedestribus, equestribus, navalibus pugnis, cognovisses discrimina belli, vidisses hominem summa pericula adeuntem. *ὑπασπίζειν* dicitur armiger, qui clypeum ferebat, ut Xenoph. Anab. IV, 2, 13. Adde praeter Lexicographos Perizon. ad Aelian. V. Hist. XI, 9. Ad sententiam apte Hermannus comparat Hom. Il. IV, 539. — *πεζοβόαι*, pedestres copiae, *πεζομαχίαι*, nam *βοή* est *μάχη*, ut *ἀυτή*, clamor, strepitus pugnae ipsaque pugna, usu Homerico. —

ἔκρινας ἄν; potuisses iudicium ferre de ea re, vidisses. — V. 36 sq. Quandoquidem in bello illa dea incitabat eius animum bellicosum, ut propulsaret cladem belli. — κείνα θεός, quum dea sit Αἰδώς iam apud Hesiod. Op. et D. 199. Καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης Λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν Ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτην, προλιπόντ' ἀνθρώπους, Αἰδὼς καὶ Νέμεσις. Non est igitur a Pindaro excogitata personificatio. Ceterum pudoris mentio in bellis frequens; cf. Klotz. ad Tyrtaeum p. 101. — ἔντυεν, Ol. III, 28. — θυμὸν αἰχματάν, cf. ad Nem. X, 13. — παῦροι δὲ βουλεῦσαι δυνατοὶ cet., pauci sciunt, quomodo belli stragem vertant in hostes manibus et animo. — φόνου νεφέλαν, usitatum genus metaphorae, cf. Isthm. III, 35. IV, 55. VI, 27. Aeschyl. Sept. 197. Br. Anal. V. P. Tom. I. p. 35. Klotz. ad Tyrtaeum p. 86. Virgil. Aen. XII, 283. — V. 39 sq. λέγεται μὰν cet. Ut Hectori ad Scamandrum gloria floruit, sic Chromio ad Helorum iam in prima adolescentia. De pugna ad Helorum cf. Herod. VI, 154., ibiq. Wessel. et Scholia hic ad Pind. Hippocrates Gelae tyrannus subiugatis aliis vicinis civitatibus quum etiam contra Syracusas bellum gereret, Gelo frater Hieronis equitatum duxit comite Chromio tum adolescente, et victi sunt Syracusani ad Helorum. Ponunt eam circ. Ol. 72, 1. Helorus fluvius in litore orientali paullo supra Pachynum promontorium. Nunc Atellaro et in inferiore parte Abiso. Vid. Heyn. ad Virg. Aen. III, 698. — βαθυκρήμνοισι, Ol. III, 22. — V. 41 sq. ἔνθ' Ἀρέας πόρον ἄνθρωποι καλέοισι, quo loco Areae traiectum homines appellant. Descriptio loci accuratior ut in gloriosa re. — ἔνθα καλέοισιν, ut Hom. Il. XI, 757. καὶ Ἀλεισίου ἔνθα κολώνη κέκληται. Soph. Trachin. 636 sqq. Μηλίδα πὰρ λίμναν, χρυσαλακάτου τ' ἀκτὰν κόρας, ἔνθ' Ἑλλάνων ἀγοραὶ Πυλάτιδες καλεῦνται. Oed. R. 1451, 2. ἀλλ' ἔα με ναίειν ὄρεσιν, ἔνθα κλῄζεται οὑμὸς Κιθαίρων. Est vero Ἀρέας s. Ἀρείας πόρος, ut videtur, πόρος Ἀρείας πηγῆς s. κρήνης, qualis Thebis fuit dicta a custode dracone ex Marte genito, cf. Apollod. III, 4, 1. ibiq. Heyn. Qui factum, ut idem nomen in Sicilia haberetur, parum refert scire, at illud clarum, Pindarum suaviter Martium hunc fontem memorare in bellica laude. —

δέδορκεν, vi perfecti, ut vides, cf. ad Nem. III, 33. — *τὰ δ' ἄλλαις ἁμέραις — φάσομαι*, alia vero dico gesta ab eo aliis diebus terra marique. — *φάσομαι*, affirmabo, h. e. dico. Ad ceteram constructionem cf. Aristoph. Ran. 281. *ὡς οὗτος ὁ τόπος ἐστὶν, οὗ τὰ θηρία τὰ δείν' ἔφασκ' ἐκεῖνος* pr. *οὗ ἔφασκεν εἶναι.* Sic h. l. sensus: *τὰ δὲ φάσομαι ἄλλαις ἁμέραις πραχθῆναι* s. *πραχθέντα.* Soph. Philoct. 26. *τοὔργον οὐ μακρὰν λέγεις.* — V. 44. Ex laboribus, qui in iuventute peraguntur et cum iustitia, exsistit ad senectutem placida vita. Tales formulae ita dicuntur, ut non excipiatur senectus. — *σὺν νεότατι*, qui iuventutem non absumit inertem, *σὺν δίκᾳ*, monens iterum ab iniustis bellis abstinendum esse. Denique dies placidos ex talibus laboribus oriri suavissime declaratum vidimus Nem. I. Si pugna ad Helorum facta Ol. 72, 1., Chromius huius carminis tempore quadragenarius fuerit. — V. 47. *σκοπιᾶς ἄλλας ἐφάψασθαι*, alium locum altiorem assequi. Nam *σκοπιαί* sunt vertices montium, ut Hom. Il. VIII, 553. XVI, 299.

V. 68 — fin. Exitus carminis paullo laetior, in quo alios plures cantus, encomium puta, promittit post pompam inter pocula canendos. — *ἁσυχίαν δὲ φιλεῖ μὲν συμπόσιον κ. τ. λ.* Ut animum curis vacuum amat convivium, sic victoria gaudet cantu. — *νεοθαλὴς δ' αὔξεται μαλθακᾷ νικαφορία σὺν ἀοιδᾷ*, h. e. victoria autem cantu fovente et alente augetur, ut iuveniliter floreat; quemadmodum nunc haec ante plures annos parta victoria *νεοθαλὴς* fit per cantum, memoriam eius, qui denuo excitat. De constructione *νεοθαλὴς αὔξεται* cf. ad Pyth. X, 10. Ad metaphoram vide Nem. VIII, 40. *μαλθακά* autem sunt quae fovent, alunt, recreant, qualis est *δρόσος χαρίτων ἄρδων* (Isthm. V, 64.). — V. 50. *ἐγκιρνάτω τίς μιν*, loquitur poeta de convivio post pompam futuro iamque instante proxime, quum pompa ad Chromii domum inter cantus huius carminis accessisset. Misceto iam aliquis, ait, craterem, comissationis nuntium; quum enim crater miscetur, comissatio in eo est, ut initium capiat. De dictione *κρητῆρα ἐγκεραννύω* cf. Porson. ad Eurip. Orest. 1645. Ad rem cf. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 19, 12. — V. 51. *ἀργυ-*

ῥέαισι δὲ νωμάτω φιάλαισι cet., et distribuat vinum argenteis phialis, quas aliquando partas Chromio adduxerunt equi una cum Apollinis coronis Sicyone. Videmus primum in Pythiis hisce phialas argenteas datas esse, binas opinor; cf. ad Ol. IX, 90. Quae nunc promuntur, ut par est, ac sentis quam pulcre poeta sic earum mentionem faciat. Videmus deinde hunc ἀγῶνα simul στεφανίτην fuisse, quia cum phialis etiam στέφανοι Λατοΐδα venerunt. Similiter Argis praeter clypeum corona myrtea data in Heraeis, cf. Schol. Ol. VII, 152. Ac coniecimus ad Pyth. II, 6. etiam in Iolaiis Thebanis, ubi tripus dabatur, coronam additam. Idem passim mythico tempore factum notavimus ad Ol. IV, 23. — ἀμπέλου παῖδα, ut contra vitis mater vini dicitur, μήτηρ οἴνου, cf. Blomfld. ad Aesch. Pers. v. 620. — Postremo πέμψαν dicit, ut vidit etiam Scholiastes, quia Chromius equos miserat cum auriga, qui ei haec praemia reportaverant. — Ζεῦ πάτερ, εὔχομαι κελαδῆσαι, Iuppiter Aetnaee, precor, ut has ludicras laudes, ταύταν ἀρετάν, in urbis Aetnae Chromiique honorem celebrare possim adiuvantibus Gratiis (de quibus saepe monitum), ὑπὲρ πολλῶν τε τιμαλφεῖν, et ut aliis multis praestantius ornem hanc victoriam, inter pocula nempe, quae iam promuntur. — τιμαλφεῖν, honorare, cf. ad Hesych. in v. et vid. Blomfld. ad Aesch. Agamemn. v. 893. — ὑπὲρ πολλῶν, Isthm. II, 36. — ἀκοντίζων, iterum petita metaphora a iaculatione quinquertii, ut vides, in qua σκοπός praepositus erat, quem assequi conabantur. Cf. ad Nem. VII, 71. — Promittit vero encomium, quod genus carminum laudes hominum ἐν κώμῳ canendas complectebatur paullo laetiore, liberiore modo quam in epiniciis fiebat.

Carmen Nemeaeum decimum.

INTRODUCTIO.

Theaeus, Uliae filius, Argivus, erat insignis luctator, qui saepe in certaminibus vicerat, etiam maiores habens victoriis ludicris claros, et nunc quidem redeuntibus Hecatombaeis domesticis, in quibus bis vicerat, harum victoriarum memoriam sollemnibus epiniciis recolit, quibus destinatum propositum carmen. De tempore nihil traditum; tamen aliquid coniectura effici potest. Constanti traditione Persidae olim non Argis vixerunt, sed Mycenis et Tirynthe; tamen nunc Pindarus, *ἱστορικώτατος* poeta, Amphitryonem Argis dicit nutritum. Quae res meo iudicio recte explicari potest nonnisi sic, si Mycenae et Tiryns iam tum eversae ab Argivis horum ditioni accesserant, ut fabulae Mycenenses ad Argos transferri possent commode, tanquam caput regionis; veluti Orion, Hyriae olim rex, Tanagraeus dictus et Thebanus, prout urbs Hyria his aut illis subiecta erat. Constat tragicos Mycenas et Argos saepe pro eadem urbe nominare, cf. Elmsl. ad Eurip. Heraclid. 188. Quisquamne horum poetarum tam inscius fuit, ut revera nesciret diversas esse urbes? Aegre mihi persuadeo. Sed scientes post eversas Mycenas utramque civitatem confuderunt, quum unum imperium istius regionis esset. Ac plerumque Argos nominant pro Mycenis, ut nunc Pindarus, nominant tamen etiam Mycenas pro Argis, plane commixtis nominibus et quasi una urbe facta. Vides quid velim; Pindarus qui laudes Argorum celebrat, consulto etiam Alcmenam et Amphitryonem huc revocat; hoc autem nullo modo fieri potuit et absonum fuisset ante eversam priscam Persidarum sedem. Eversae autem Mycenae et Tiryns Ol. 78, 1. ab Argivis, accedentibus Cleonaeis et Tegeatis, Diodor. XI, 65. Pausan. II, 16, 4. VII, 25, 3. Strab. VIII, 6.; unde post hunc annum carmen scriptum censeo, ac quum Ol. 80, 3. Argivi cum Atheniensibus contra patriam Pindari Thebas et Boeotos proelio certarent (cf. ad Isthm. I et VI.), credam in hoc intervallo, Ol. 78,1

— 80,3 scriptum. Atque haec quidem de his. Argumentum hoc est: In prooemio invocantur Gratiae, ut Danai urbem celeberrimam canant, quae multis virtutibus magnaque laudum copia splendeat. Tangit iam potiora decora mythici temporis, Perseum memorans et fabulas de Epapho et Danaidibus, Diomedem, Amphiaraum, feminas praeclaras Alcmenam Danaenque, porro Lyncei et Talai iustitiam ac prudentiam, denique Amphitryonem, qui etiam in Iovis affinitatem venit per coniugium dei et Alcmenae, unde ortus Hercules nunc post labores in Olympo degens Heben uxorem habet. Post prooemium ad Theaei laudes poeta accedit, qui bis vicit in Heracis Argivis, semel Delphis, vicit ter in Isthmo et in Nemea, atque etiam Olympicam victoriam meditatur, quam poeta modeste a Iove expetit; ac tulit iam Athenis in Panathenaeis olivae fructum, oleum praemium, quod omen esse potest reportandae aliquando oleaginae coronae ex Olympia. Laudato sic Theaeo ad maiores viri maternos transit, qui non minus clari fuerunt gymnica virtute, memoratque nominatim Thrasyclum et Antiam, nobilissimos luctatores, qui in Isthmo, in Nemea, Sicyone aliisque plurimis ludis vicerunt. Nec mirum est hoc, pergit, quum Tyndaridae olim hospitio excepti sint a Pamphaë, maiorum uno, qui nobiles athletae fuerunt et iam dii cum Mercurio et Hercule ludis praesunt, viventes fraterno amore coniuncti alternis diebus nunc in coelo, nunc Therapnae. Atque ita huc deducta oratione, narrat fabulam de bello Tyndaridarum adversus Apharetidas Idam et Lynceum, quo caesus est Castor; Pollux persequitur hostes, qui cadunt ambo, tum reversus fratrem, quem graviter vulneratum reliquerat, invenit morientem gravique perculsus luctu implorat Iovem, ut vitam cari capitis restituat. Iuppiter respondet Polluci: Tu mihi filius es, Castor vero mortalis; nihilominus optionem do, utrum velis immortalis vivere in Olympo, an dividens aequam cum fratre sortem dimidium tempus sub terra, dimidium in coelo degere. Non diu deliberat Pollux, et restituitur Castor in vitam. Ita Pindarus. Restat, ut haec omnia revocemus ad sententiam, quae subest. Igitur ut ab hoc ordiar, primum celebratur, ut vides, Theaei gymnica virtus, conspicua multis in ludis eademque orta a maioribus non minus claris, qui Tyndaridarum hospitio eam debent. Nihilominus certum est (ut

nunc intelligo, olim non perspexi), fabulam de Tyndaridis non ob hanc solam causam appositam esse, quum quae insunt non pertineant ad gymnicas res; quodsi gymnicam Theaei et maiorum laudem hoc modo illustrare volebat, cur non de ludicris certaminibus Castorum dixit, quae res largam praebebat dicendi materiam, ut liquet ex Isthmio carmine primo. Verum enimvero Tyndaridae, quemadmodum iam ad Pyth. XI fin. notavimus, sunt etiam amoris fraterni exemplum summum, ut in Achille fortitudo et iracundia insignis est, in Nestore sapientia, in Ulysse calliditas; ac quis hac fabula perlecta non sentit huius amoris praestantiam declarari? Quae quum ita sint, quemadmodum in aliis carminibus plurimis cum ἀνδρίᾳ propositam a poeta vidimus aliam quandam virtutem, quae vel adesset in victore cum illa coniuncta, vel adesse deberet et commendaretur, idem in hoc carmine credo factum. Admonitionis autem quum nullum vestigium apertius adsit, laudem inesse statuo, suspicorque Theaeum etiam fraterni amoris documenta forte dedisse eximia. Sic agnosco Pindarum. Luctator, ait, Theaeus eximius est viriumque admirabili robore gaudet, idem vero etiam molliores amoris fraterni sensus habet, quemadmodum in Tyndaridis pulcherrime utrumque conspicitur coniunctum. Postremo unum monendum restat, quo absolvitur sententia carminis. Vidisti in prooemio Argorum priscas laudes a poeta celebratas, ut urbs iam antiquo tempore magnis virtutibus virisque et feminis praeclaris distincta fuerit. Quo consilio? Ut Theaei civis praestantiam ad illustriorem patriae indolem revocet indeque derivandam significet; est Argivo ortu plane dignus. Etiam hoc notavimus iam in aliis carminibus. Et nunc etiam ad finem prooemii mecum attende, ubi suavissimo augurio Theaeo iuveni Herculis, bellatorum et luctatorum principis, ostendit iucundam fortunam, qui nunc Hebes coniugio fruitur pulcherrimo. Tale dulce praemium convenit praeclaro luctatori post labores. — Carmen publice mihi cantatum videtur ob laudes Argorum, sed non in templo Iunonis, ut olim credebam, quum nulla insit Iunonis invocatio, sed quum tunc ludi Heraea haberentur et comissationes vespertinae victorum, in tali loco cantatum puto praesentibus multis civibus et advenis.

EXPLICATIO.

V. 1 — 18. Prooemium. Celebrantur laudes Argorum. — Danaî urbem et Danaidum quinquaginta dicit Argos, quum a Danao Danaique stirpe illustrior Argorum historia initium ducat. — Ἥρας δῶμα pr. ἕδρα, τέμενος magnificentius dictum. Clara vero urbs, ut satis constat, cultu Iunonis Argivae inde dictae; cf. Müller. Hist. Dor. I. p. 395. — Χάριτες. Saepe quidem vidimus Gratias κώμῳ praeesse et epiniciis cantibus; nunc autem si memineris has deas, quae in pronao stabant templi Iunonis Argivae ab Eupolemo aedificati, quas Polycletus in corona Iunonis aurea expressit (Pausan. II, 17.), has igitur si memineris priscas socias Iunonis esse, senties quam pulcre pro Musis hic appellentur. Has enim prae aliis par est celebrare urbem Iunoni sacram. — φλέγεται ἀρεταῖς μυρίαις, splendet laudibus innumeris. — V. 4. μακρὰ μέν, longam narrationem habent, cf. Pyth. IX, 77. — τὸ Περσέος ἀμφὶ Μεδοίσας, Persei res gestae, certamen circa Medusam s. de Medusa vincenda; vidimus rem Pyth. XII. Ad ἀμφί cf. Aesch. Prometh. 702. τὸν ἀμφ᾽ ἑαυτῆς ἆθλον. Add. Bernhardy Synt. p. 245. — V. 5. πολλὰ δ᾽ Αἰγύπτῳ cet., multae sunt quas in Aegypto Argos condidit urbes Epaphi manibus. Etiam in sequentibus urbis nomen bis pro subiecto supplendum, v. 10 et 13. De Epapho multarum urbium conditore, e cuius genere Danaus et Aegyptus orti, nota omnia, cf. Apollod. II, 1, 6. ibiq. Heyn. Müller. Prolegom. ad Mythol. p. 182. — V. 6. οὐδ᾽ Ὑπερμνήστρα παρεπλάγχθη, neque vero Hypermnestra a recto aberravit, sola retinens in vagina ensem. Ipsa enim servavit Lynceum maritum, ut constat, quum ceterae coniuges suos interficerent. Horat. Od. III, 11, 33. „Una de multis face nuptiali digna periurum fuit in parentem splendide mendax, et in omne virgo nobilis aevum.“ μονόψηφος est ap. Aesch. Suppl. 385. Notabis vero poetice adiectivum proprie ad personam pertinens nunc cum ξίφος iunctum, ut in antecedentibus saepius notavimus adiectiva toti corpori, toti personae competentia ad partem aliquam corporis revocata, cf. Ol. VI, 8. Pyth.

IV, 11. Nem. I, 42. — παρεπλάγχθη. Ol. VII, 31. — V. 7. Diomedem vero immortalem reddidit Minerva. De Diomede heroe Argivo nota omnia ex Homero, apud quem summum imperium Argis tenet, Il. II, 559. Nunc videmus eum etiam pro deo Argis cultum; nisi enim ibi pro deo cultus esset, non commemorasset rem Pindarus. Aliunde quidem nihil de hac re constat, nisi quod Welckerus meus narrationem Scholiastae ad Callim. Pallad. Lavacr. 35. de simulacro Diomedis Argis cum Palladis simulacro ad Inachum portari et lavari solito huc revocat, suspicans hunc ritum ad consecrationem Diomedis pertinere. De cultu Diomedis apud Italos Heynius egit Virg. Aen. XI. Exc. I. Ceterum vide plura de Diomede disputata in Boeckhii editione ad h. l. — ξανθά, Minervae epitheton, cf. Heyn. ad Tibull. I, 4, 26. — V. 8. γαῖα δ᾽ ἐν Θήβαις. Sensus: Amphiaraus autem Oiclei filius apud Thebas terra absconditus pro deo colitur, cf. Pyth. VIII, 39. et Nem. IX, 25. — πολέμοιο νέφος, quod proprie dicitur de vi belli Hom. Il. XVII, 243., ut nubes belli Virg. Aen. X, 809., nunc appellat ipsum Amphiaraum, bellica virtute maxime insignem, cf. Ol. VI, 17. Homerus dicere solet ὑπεραέϊ ἶσος ἀέλλῃ, ut Il. XI, 297., ἐμάρνατο ἶσος ἀέλλῃ Il. XII, 40. Porro conferri possunt fulmina belli de strenuis ducibus dicta Cic. pr. Balbo. c. 15. Virg. Aen. VI, 843., pro quo Homerus iterum: βῆ δ᾽ ἴμεν ἀστεροπῇ ἐναλίγκιος. — V. 10. Etiam feminis pulcris urbs insignis. Antiquo tempore Iuppiter ad Alcmenam Danaenque veniens hoc probavit dictum atque alia praestans urbi alias laudes conciliavit. Pronomen τοῦτον hic, ut ubique, cum emphasi dictum, nunc eam vim habet, ut haec res opponatur sequentibus, respondetque ei particula τέ, ut δέ Ol. VIII, 56., ubi vid. — πατρί τ᾽ Ἀδράστοιο Λυγκεῖ τε cet., et patri Adrasti Talao Lynceoque prudentiam cum iustitia consociavit, h. e. et Talao Lynceoque prudentiam dedit cum iustitia. Subiectum loci necessario Iuppiter est, ipsa oratione indicante. — καρπὸν φρενῶν, cf. ad Pyth. II, 74. Ceterum addidit hos, credo, ut alias etiam praeter bellicas laudaret virtutes. — V. 13.. Et aluit fortitudinem Amphitryonis, scil. Argos, ad quod nomen identidem recurrit. Nunc enim melius urbs intelligitur propter verbum θρέψεν,

ut ante Iuppiter propter συνάρμοξεν. Amphitryo igitur Argis adolevit. — αἰχμά, fortitudo (die Lanzenkraft) Isthm. IV, 33. Similiter Terpand. ap. Plutarch. Vit. Lycurg. c. 21. ἔνθ' αἰχμά τε νέων θάλλει καὶ Μοῦσα λιγεῖα καὶ Δίκα εὐρυαγυῖα. Notavit idem Klotz. ad Tyrtaeum p. 94. Hinc αἰχματὰς θυμός dictus bellicosus Nem. IX, 37. — Pergit: ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος ἵκετ' ἐς κεῖνον γενεάν cet., hic autem felicissimus venit in Iovis affinitatem, quum Teleboas vicisset, et formam eius imitatus immortalium rex (paullo ante reditum Amphitryonis) divinum semen Herculis attulisset Alcmenae. Fabula haec est: Alcmena promiserat se nupturam Amphitryoni, qui virginem servabat a patre sibi commendatam, si contra Teleboas profectus fratrum caedem ultus esset; hoc fecit Amphitryo, vicit Teleboas et redux tenuit Alcmenam paullo ante reditum eius a Iove compressam, cf. Hesiod. Scut. Herculis init. Pherecyd. Sturz. p. 98 sqq. ed. sec. Apollod. II, 4, 6. Teleboae pars fuerunt Lelegum et incoluerant litora Acarnaniae; postea migrarunt in vicinas insulas, maxime Taphum, quae est una ex Echinadibus; cf. Heyn. ad Apollod. p. 128. Sturz. ad Pherecyd. l. cit. — ἵκετ' ἐς κεῖνον γενεάν magnificentius dictum consulto: in gentem Iovis venit pr. in affinitatem Iovis venit propter Alcmenae cum Iove coniugium. — αὐλὰν ἐςῆλθεν, secundum fabulas res facta Thebis, quum Amphitryo post mortem Electryonis Thebas exsulavisset cum Alcmena, ibique Hercules natus est, cf. Pyth. IX, 83 sqq. Pindarus tamen hoc nunc tacet, ut inutile, immo importunum in hac Argorum laude, quanquam non negat. Hoc dicit: Amphitryo, qui in Iovis affinitatem venit, origine fuit Argivus. — V. 17. οὐ κατ' Ὄλυμπον ἄλοχος Ἥβα ἐστί, qui nunc in Olympo degens Hebes fruitur coniugio. Hebe autem dicitur βαίνοισα τελείᾳ παρὰ ματέρι, versans apud pronubam matrem Iunonem, cf. de voce Ruhnken. Lexic. Tim. p. 225. Est enim filia Iunonis, ut constat. Ceterum non temere hoc additum videtur, sed in laudem Iunonis Argivae, quam ut Hercules pronubam habuit, sic etiam Theaeus Heracorum victor habebit aliquando pronubam, quemadmodum auguratur et optat poeta. Nam Argiva Iuno proprie pronuba, quanquam etiam ad alia multa loca traducta, cf. Welckerum in Addendis ad

Schwenckii librum: Etymologisch-Mythologische Andeutungen, ann. 1823. p. 268 sqq. Et Müllerum Hist. Dor. I. p. 395 sqq.

V. 19 — 48. De Theaei et maiorum eius gymnica virtute. — βραχύ μοι στόμα πάντ᾽ ἀναγήσασθαι, breve mihi os omnibus percurrendis, s. non par est tantae copiae lingua et vis dicendi. Hom. Il. II, 488. πληθὺν δ᾽ οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ᾽ ὀνομήνω, οὐδ᾽ εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ᾽ εἶεν, φωνὴ δ᾽ ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη. Praeterea notum, quod obiter addo, μέγα στόμα, os magnum, magna sonaturum, de poetarum vi dicendi et sublimitate, cf. Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 2, 8. Heindorf. ad Satir. I, 4, 43. Add. alias loquutiones ap. Kuinoel. ad Propert. II, 1, 40. Porro ad construct. βραχὺ ἀναγήσασθαι cf. Isthm. VI, 44. βραχὺς ἐξικέσθαι. Et vide Nitzsch. ad Platon. Ion. p. 63. de huiusmodi formis dicendi. — ὅσων Ἀργεῖον τέμενος ἔχει μοῖραν ἐσλῶν, quotquot decorum sortem, quotquot decora habet sacrum Argivum solum. Ἀργεῖον τέμενος propter Iunonem dicit, cui Argos et Argolis inde ab antiquissimo tempore sacra. Videtur enim hic non solam urbem dicere, sed generatim dominium Argivorum, ut minus etiam offendat Amphitryo Argivus. Ceterum cf. Θήβας ἄλσος Soph. Antig. 845. de urbe Thebarum, et ἄλσος Ἰνάχου κόρης de Argis Soph. Electr. v. 5. — V. 20. ἔστι δὲ καὶ κόρος βαρὺς ἀντιάσαι, est etiam taedium hominum grave si incurras; cf. ad. Ol. VII, 26. κόρος ἀνθρώπων oritur, ubi nimius sis in laudibus. — V. 21. ἀλλ᾽ ὅμως εὔχορδον ἔγειρε λύραν, tamen ne desiste plane, sed ad aliud argumentum Argivae laudis verte orationem, excitata lyra et certaminum canendorum cura sumpta. Prooemium ad tibias videtur cantatum, ut Nem. III. Nunc praeter tibias etiam lyrae suscitantur, dum ad res praesentes accedit. ἔγειρε. Horat. Od. II, 10, 18. „cithara tacentem suscitat Musam." — V. 22. ἀγών τοι χάλκεος δᾶμον ὀτρύνει cet., certamen enim aereum compellit populum ad sacrificium bovinum et certaminum iudicium, h. e. sunt enim Heraea nunc, in quibus bis vicit Theaeus. ἀγὼν χάλκεος, Heraea sive Hecatombaea Argiva, Iunoni sacra, in quibus praemium dabatur clypeus aheneus; cf. Ol. VII, 83. Nominat vero etiam hic, ut alias notavimus (cf. ad Ol. VI, 69, 70.

Nem. V, 38.), utramque sollemnitatis partem, sacrificium, diem sacrificiorum, ubi magna pompa centum boum ducebatur (cf. Schol. ad Ol. VII, 152.), et certamina, *ἀέθλων κρίσιν*, ut loquitur etiam alias, cf. Ol. III, 21. VII, 80., certaminum iudicium dicens pro certaminibus iudicio diiudicandis et remunerandis. — *εὐφόρους πόνους* intellige facile ab eo perlatos. Soph. Philoct. 873. *εὐφόρως ἐνεγκεῖν* ibiq. Brunck. — V. 25. *Ἕλλανα στρατόν*, cf. Pyth. XI, 50. — *τύχᾳ τε μολών*, et fausta fortuna veniens, bene surgente oratione; profecto enim *τύχᾳ ἔμολεν* qui ter ibi vicit. — *ἐκράτησε στέφανον*, vincendo reportavit, ut *νικᾶν* Nem. V, 5. Notandum vero nunc etiam zeugma est, verbo iuncto cum *στρατόν* et cum *στέφανον*, ut *ἕλεν* Ol. I, 88. — *Μοίσαισί τ' ἔδωκ' ἀρόσαι*, deditque Musis quod ararent s. in quo elaborarent (er gab den Musen zu thun), ter adeptus eam (coronam) in Isthmo, ter in Nemea. Ad *ἀρόσαι* cf. Nem. VI, 33., Pyth. VI, 2. Vulgo poetae arant et colunt arva Musarum. — V. 28. Ter etiam in sacro solo ex lege Adrasti, h. e. in Nemea. Nemeaei ludi conditi ferebantur duce Adrasto Argivo, cf. Nem. VIII fin. Hinc ibi vicit *ἐν Ἀδραστείῳ νόμῳ*, et *σεμνὰ* dicuntur *δάπεδα* paullo maiore cum ornatu, licet etiam *Ἴσθμιον δάπεδον* esset *σεμνόν*, quum propter Adrastum hi ludi propius tangerent Argos. — V. 29 sqq. Precatur nunc etiam Olympicam victoriam; Theaeus hoc certamine abstinuerat non ignavia retentus, sed verecundia, quia sciebat rem esse arduam nec nisi post diuturniorem exercitationem tentandam. Iam verte: „Iuppiter, quae desiderat animo reticet ei os, nec audet dicere; omnis vero rerum perfectio penes te est, h. e. scit vero te solum haec tribuere posse, neque profecto ignavo animo, roboris fiduciam quum afferat, deprecatur gloriam, nota quae res est Theaeo et omnibus, qui de summis praemiis certant. Summum vero est Olympicum certamen, eaque ipsa corona adhuc caret; tamen praeludium eius iam habet." — *πᾶν τέλος ἐν τίν*, similis sententia Ol. XIII, 104. — *οὐδὲ παραιτεῖται χάριν*, neque profecto deprecatur gloriam, sed maxime cupit; ut solent fortius per negationem efferri quae maxime affirmantur, cf. Nem. I, 23. Plena loquutio est ubi oppositum simul enuntiatur, ut Nem. IX, 19. *οὐδὲ Κρονίων οἴκοθεν μαργουμένους στείχειν ἐπώτρυνε, ἀλλὰ φείσασθαι κελεύθου*,

quod tamen hic minus aptum fuisset. Ceterum quum παραιτεῖσθαι et precari et deprecari significet, vides manifesto errare qui precari hoc loco vertunt, uti factum etiam in Passovii Lexico. — προςφέρων τόλμαν, qui audaciam quidem afferat ad certamina neque ignavia retineri solet; potius verecundia factum est, quod nondum adiit Olympica. — γνωτά, ne dubita ad χάριν referre, quod et constructione simplicissimum et sensu optimum; minus commode ad μόχθον trahas in ἀμόχθῳ latens. Non profecto spernit, ait, gloriam; nam haec quidem, s. huius quidem dulcedo nota ei, multorum ludorum victori, et nota est omnibus athletis, qui illustriora certamina adeunt et de summis coronis certant. Ceterum constat non solum adiectiva, sed etiam substantiva pluralis numeri per appositionem subiici singulari numero, cf. Porson. ad Eurip. Orest. 1051. et Herm. ad Soph. Philoctet. 36. Quae quum ita sint, non probo Boeckhii sententiam, qui χάριν gratiam, beneficium vertit (er verbittet sich die Gnade nicht); huic enim sensui non aptum est γνωτά. — ἐσχάτων ἄθλων κορυφαί, capita praemiorum sunt summa praemia, quod genus dicendi saepe vidimus, cf. Nem. I, 34. τὰ μέγιστ᾽ ἀέθλων Pyth. X, 24. — τεθμόν, est vero summum Herculis institutum, summa ludorum sollemnitas ab Hercule condita in Olympia; cf. Ol. VI, 69. τεθμὸν μέγιστον ἀέθλων. Nondum vero dixerat aperte in antecedentibus qua corona Theaeus adhuc careret; nunc significat. — ἁδεῖαι γε μὲν ἀμβολάδαν cet., tamen dulces quasi quodam praeludio Atheniensium cantus bis eum in Panathenaeis celebrarunt. Reportavit enim, ut statim addet, Athenis καρπὸν ἐλαίας, quod ipsum omen est coronae oleaginae ex Olympia aliquando reportandae. Hinc cantus Atheniensium suaviter praeludia dicit laudum, quibus in Olympia celebrandus. Intelliges vero cantus vespertinos comissationemque, quales in locis ludorum habebantur, cf. Nem. VI, 39., a popularibus victoris et civibus loci amicis his adiunctis. Quas nunc generatim Ἀθαναίων ὀμφάς dicit magnificentius. Est ὀμφή Homerico usu vox divina, θείη, θεῶν, θεοῦ, oraculo aut alio modo futura indicans hominibus. Pindarus de humana voce, de cantu utitur, ut Fragm. Dithyramb. IV. et Fragm. inc. nr. 163., sed, ni fallor, de ominoso cantu, veluti etiam hoc loco hic sensus aptissi-

mus. — *ἀμβολάδαν*, praeludendo, ab *ἀμβολή* praeludium; cf. Etymol. Magn. p. 80, 20. — *ἐν τελεταῖς*, in sollemnitatibus suis, h. e. in Panathenaeis, ut ex sequentibus liquet. — *γαίᾳ δὲ καυθείσᾳ πυρί* cet., in terraque usta fructus oleae venit ad Iunonis fortem populum, inclusus vasorum receptaculis pictis. Dabatur enim in Panathenaeis oleum, *καρπὸς ἐλαίας*, victoribus, conditum in vasculo fictili e terra usta. Quam igitur *γαῖαν καυθεῖσαν* dicit, mox pleniore et ornatiore descriptione addita *ἕρκεα ἀγγέων* nominat, plurali usus, quum bis victore Theaeo duo vascula talia Argos venerint; atque exstant duo huiusmodi vascula, reperta Athenis, de quibus dictum in Boeckhii editione, ubi plura vide de hoc loco. Postremo etiam *Ἥρας εὐάνορα λαόν* ornatius dictum vides pro Argivis, quum haec Argis in Heraeis canerentur. — V. 37 sqq. Accedit ad maiorum laudes. — *ἕπεται δέ, Θεαῖε, ματρώων πολύγνωτον γένος ὑμετέρων* cet., adscendit vero, Theaee, maiorum tuorum maternorum ad illustre genus certaminum honos per Gratias et Tyndaridas. Verbum *ἕπεται* cum accusativo hic iunctum pr. *ἕπεται ἐς γένος*, constructum, ut *βαίνειν* Ol. II, 95. aliaque multa verba eundi; cf. Matth. Gr. p. 747. Sic est pr. *ἀνέρχεται* (es folgt, geht aber zu den mütterlichen Vorfahren der Ruhm der Kämpfe hinan). Nam illud quidem versimile non est, *ἕπεσθαι* cum accusativo eodem plane sensu dictum Graecis, quem dativus habet, nec patitur hoc locus propositus. Quoniam enim Theaeo quoque *ἕπεται ἐνάγων τιμά*, post laudes Theaei ex hac ratione pergere debebat: *ἕπεται δὲ καὶ ματρώων γένει* s. *γένος ὑμετέρων ἐνάγων τιμά*, nec poterat abesse haec particula. — *μάτρωες* cf. ad Nem. IV, 80. — *εὐάγων τιμά*, gloria felicium certaminum, cf. alia plurima talia adiectiva e poetis notata in Matth. Gr. p. 837. — Gratias etiam victorias dare aliquoties notavimus, cf. Ol. II, 50. Nunc commode memorantur, quum Argis colerentur in consortio Iunonis, ut supra dictum. Tyndaridas autem memorans praeparat sequentem fabulam. — *θαμάκις* est *ἅμα*, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. VII, 11. — Denique semel notanda praepositio ante secundum demum substantivum posita, veluti *παρά* Isthm. I, 29. al. Quum enim in continuata constructione facilius lan-

guescat oratio, hoc artificio poetico nova vis et alacritas secundo membro conciliatur, eaque vera causa est huius collocationis, quae nescio quomodo displicet Viro docto Bernhardy Syntax. p. 202. — V. 39. *ἀξιωθείην κεν* cet., dignum me haberem, si Thrasyclo et Antiae essem cognatus, qui Argis non deprimerem oculòs. Invidiosum erat, si dixisset: Non est quod tu Argis oculos demittas, nemini cedis, quanquam hoc vult; quare melius prima persona utitur, ex suo iudicio loquens. Saepius de hoc usu primae personae diximus. Porro etiam *μὴ κρύπτειν φάος ὀμμάτων* modestius est quam *δέρκεσθαι λαμπρόν*, quod Nem. VII, 66. erat aptius. — V. 41. *νικαφορίαις γὰρ ὅσαις κ. τ. λ.*, quot enim victoriis haec equorum altrix urbs Proeti ornata floruit Corinthi in recessibus et Cleonaeis a viris quatter. Quum Proetus vulgo Tirynthem tenuisse feratur et Acrisius Argos, perperam quidam hic Tirynthem intellexerunt. Dubium vero non est Argos significari, ac videtur non una harum rerum traditio fuisse. Postquam enim cum aliis feminis Argivis Proetides sanatae erant a Melampode, Proetus cum Melampode et Biante regnum traditur divisisse, Apollod. II, 2, 6. Melampus autem et Bias regnarunt Argis, Hom. Od. XV, 240., Herodot. IX, 34., quemadmodum eorum posteri, unde sequitur etiam Proetum tum Argis fuisse, qui in Schol. ad Nem. IX, 30. rex Argorum dicitur, sive praesente Acrisio sive post fugam eius Tirynthe Argos redierit. Omnino Proetus, cuius posteri diu regnaverunt Argis, nobilis erat in fabulis, et quum aliquando cum Acrisio de regno certaret, inventus est clypeus Argolicus, Pausan. II, 25, 6. Apollod. II, 2, 1. Clypeus autem Argolicus erat praemium Hèraeorum. Quare quum hoc carmen ipso Heraeorum tempore caneretur, Pindarus, qui ubique hic cum ornatu urbem nominat, apte nunc etiam Proeti nomine utitur. — *ἱπποτρόφον*, ut Homerus *ἱππόβοτον Ἄργος* dicit. — *Κορίνθου ἐν μυχοῖς*, in Isthmo. — *Κλεωναίων πρὸς ἀνδρῶν τετράκις*, et quatter in Nemea, ubi secundo loco numerus adiectus post *ὅσος*. Cleonaei vero, quos videmus mythico tempore praesides Nemeorum, etiam circa Ol. 80. tenuerunt hoc ius, ut notavimus Nem. IV, 17. — V. 43. Phialas argenteas Sicyonii certaminis vidimus Nem. IX, 51. — *ἀργυρωθέντες*,

argento, argenteo praemio donati, ornate additum verbis *σὺν οἰνηραῖς φιάλαις.* — *ἐπέβαν*, accesserunt, redierunt Argos, ut *ἀφικέσθαι*, *μολεῖν*, *ἐλθεῖν* de reditu dici constat, cf. Heind. ad Platon. Protag. p. 462. Seidl. ad Eurip. Electr. 6. — V. 44. Ex Pellene vero induti tergum mollibus laenis; vid. ad Ol. IX, 97. — *κρόκαις*, tramis. — *χαλκόν* puta tripodes et lebetes. — *ἐξελέγχειν*, examinare, enumerare. — Tegea habuit *Ἀλεαῖα* Minervae sacra, Pausan. VIII, 47, 3. — Clitore *Κόρεια* acta esse probabile in Proserpinae honorem; quum e Pausan. VIII, 21, 2. constat Cererem maximopere ibi cultam, cum qua iuncta fuisse videtur etiam ibi *Κόρη*. — *Ἀχαιῶν ὑψίβατοι πόλιες*, quum pleraeque Achaeorum urbes in collibus et montibus sitae fuisse videantur. — *Λύκαιον*, et quod Lycaeum ad Iovis curriculum proposuit, ut pedum manuumque vi quaeratur. Lycaeum est *τέμενος* Iovis Lycaei in Arcadia, ara in monte Lycaeo sepimento cincta, cf. ad Ol. XIII, 103. In eodem monte propius Panis templum erat stadium et hippodromus; in stadiis cum cursu cetera certamina haberi constat. — *νικᾶσαι*, consequi vincendo, cf. Nem. V, 5. Ceterum quum supra ad Ol. I, 110. hunc locum adducerem, factum est errore calami, ut *δρόμῳ σὺν ποδῶν* iungerem, volui autem, ut hic feci, *σὺν ποδῶν χειρῶν τε σθένει* iungere.

V. 49 — ad finem. Tyndaridae olim hospitio a Pamphaë excepti nunc dii *ἐναγώνιοι* genti faventes. Amore fraterno coniunctissimi degunt alternis diebus partim Therapnae, partim in Olympo, postquam Castor in bello cum Apharetidis caesus et a Iove in vitam restitutus est precibus Pollucis, qui lubens fratri dimidiam partem immortalitatis suae cessit. — Pamphaës unus ex mythicis maioribus gentis. — *οὐ θαῦμα*, h. e. *οὐ θαυμαστόν*, non mirum iis ingenitum esse, ut sint boni athletae. Construendum enim videtur: *οὐ θαῦμα ἐγγενὲς (εἶναι) σφίσιν ἔμμεν ἀθληταῖς ἀγαθοῖσιν.* — *ἐπεὶ ἀγώνων μοῖραν διέποντι*, quum hi custodes Spartae certaminum sortem cum Mercurio et Hercule gubernent laetam. *εὐρυχόρου ταμίαι Σπάρτας* ornatus causa additum; constat vero Tyndaridas tutelares deos Spartae fuisse. — *διέποντι*, regunt, moderan-

tur, cf. Ol. VI, 93. — *μοῖραν θάλειαν ἀγώνων*, h. e. victorias. Ol. VI, 79. *ὃς ἀγῶνας ἔχει μοῖραν τ' ἀέθλων.* Ad *θάλεια* cf. Buttm. Gr. ampl. T. I. p. 244, 253. — V. 54. *καὶ μὰν θεῶν πιστὸν γένος*, et fidem servant dii erga eos, quos iustos cognoverunt. — V. 55. *μεταμειβόμενοι δ' ἐναλλάξ*, alternis ambo simul in coelo sunt, simul in sepulcro Therapnae. Si altero in sepulcro versante alter apud coelestes fuisset, semper separati vixissent, nunquam Pollux degisset cum Castore, quod tamen expetierat. Quare de sententia Pindari dubitari nequit. — *ἁμέραν τὰν μὲν — τὰν δέ.* Pluralem in hac structura notavimus Ol. VIII, 38. Nunc attende singularem, et cf. Bernhardy Syntax. p. 307. — Mox *γύαλα* proprie sunt *κοιλώματα*, veluti Soph. Philoct. 1081., ubi cf. Schol., atque etiam *θησαυροί, ταμιεῖα* dicebantur *γύαλα*, cf. Hesych. T. I. p. 863. Hoc loco quum praecedat *ὑπὸ κεύθεσι γαίας*, sub terra (Hom. Il. XXII, 482., Od. XXIV, 204., pro qua Homerica loquutione tragici dicunt: *ἐν μυχοῖς χθονός, γῆς*, cf. Markland. ad Eurip. Suppl. 545.) vides Scholiastam recte interpretari *ὑπόγεια*, h. e. sepulcrum sub terra structum. Fuit autem Therapnae *Φοιβαῖον*, ubi habebatur Dioscurorum templum, Pausan. III, 20, 1.; in hoc templo puta fuisse hoc sepulcrum. Atque hoc fuit celeberrimum, quum etiam alia sepulcra Dioscurorum in aliis urbibus haberentur. Vide plura in Boeckhii editione. — V. 57. *πότμον ἀμπιμπλάντες ὁμοῖον*, sortem similem implentes, habentes. Homerus dicit *ἀναπλήθειν ἄλγεα, κήδεα, κακά, κακὸν οἶτον* Il. VIII, 34. XV, 132. Od. V, 207, 302. pr. exantlare, *πότμον ἀναπλήθειν* morte fungi Il. XI, 263. et *μοῖραν βιότοιο ἀναπλήθειν* Il. IV, 170., vitae destinatam partem explere. — *ἐπεὶ τοῦτον ἢ πάμπαν θεὸς ἔμμεναι* cet., quum hanc mallet habere vitam Pollux, Castore in bello caeso, quam omnino deus esse et in coelo vivere. *εἵλετο ἤ*, pr. *μᾶλλον εἵλετο ἤ*, cf. Hom. Il. I, 117., quem locum Herm. explicat ad Vig. 884. Vide Matth. Gr. p. 852. Thiersch. p. 489. — V. 60. Hunc enim Idas de bobus forte iratus vulneravit hastae acie. Nota *πως*, aliqua ratione, quacunque, quicquid fuerit; consulto enim noluit hic accuratius exponere quod alienum a consilio suo. Tradit vero causam belli perspicue Apollodor. III, 2, 3.,

et Schol. Lycophr. 511. Fuerunt Lynceus et Idas Apharei filii et tenuerunt urbem Arenen in Messenia. Egerant autem aliquando Dioscuri cum Apharetidis praedam ex Arcadia et Idae distributionem permiserant, qui quum fraude facta cum fratre omnia in Messeniam abduxisset, irati Dioscuri profecti sunt in Messeniam et quum illa recuperarunt, tum Apharetidarum armenta compulerunt. Inde ortae illorum irae (ἀμφὶ βουσὶ χολωθείς) et bellum, de quo nunc sermo. Comperto boum raptu Lynceus acerrimo visu instructus adscendit Taygetum, ut dispiceret ubi locorum Dioscuri essent, quos quum videret in trunco arboris delitescentes, quem insederant structuri insidias, accurrit cum fratre; caeditur Castor ab Ida, Pollux persequitur viros refugientes ad sepulcrum patris, atque ita Lynceum occidit iaculo, dum Iuppiter fulmine Idam deiicit. Haec pugna est; dubius vero locus pugnae. Aut enim res in Messenia acta prope urbem Arenen, si ibi delituerant Castores, et Lynceus Taygetum adscenderat credens in Laconica eos esse, conspectis autem heroibus in trunco Messeniae, eo recurrit. Sic Apharetidae in Messenia caesi, quemadmodum Pausan. III, 13, 1. contendit ibi sepulcrum eorum esse. Erat tamen etiam alia traditio, in Laconica eos esse sepultos, cf. Pausan. l. cit. Ac tradit Lycophron rem in Laconica gestam v. 550 sqq. Abduxerant igitur Dioscuri armenta ista in Laconicam, ubi habitabant; et in Laconica alicubi insederant arborem, insidias parantes Apharetidis, quos scirent sequuturos et res repetituros. Ibi a Lynceo conspecti, et Castor in Laconica caesus, quemadmodum etiam Apharetidae, si sepulcrum patris, quo fugerunt, in Laconica fuit, patria sede gentis, ut memorat Apharei μνῆμα apud Spartanos Pausan. III, 11, 8., et Cynortae sepulcrum Apharetidarum proavi III, 13, 1. Atque ita voluisse Pindarum probabile mihi. Ceterum vide Boeckhii editionem, ubi pluribus de toto hoc loco disputavi. — V. 62. κεῖνον γὰρ ὀξύτατον γένετ᾽ ὄμμα, de Lyncei visu mirabili, per mare et in Orcum penetrante, cf. Schol. ad Aristoph. Plut. 210. Suid. v. Λυγκέως. Apollon. Rhod. I, 153 sqq. Orph. Argon. 182. Horat. Satir. I, 2, 90. — μέγα ἔργον ἐμήσαντο, magnum et audax facinus perpetrarunt, nota loquutio Hom. Od. III, 261. XXIV, 425. — V. 65. καὶ πάθον δεινόν, ac statim etiam graviter puniti

sunt consilio et vi Iovis. — *αὐτίκα ἦλθε*, statim accessit, processit adversus eos. Apharetidae fugiunt ad tumulum patris et hic prope manes paternos pugnam sustinere tentant arrepto cippo tumuli; atque hoc ipso loco etiam occumbunt genusque universum exstinguitur. Sentis haec non potuisse aptius tradi. — V. 67. *ἄγαλμ᾽ Ἀΐδα*, donarium Plutonis, h. e. cippum cum arte dolatum Plutoni sacrum, ac *στήλην* intelligunt hoc loco etiam veteres, vide locos laudatos in Boeckhii editione. Ceterum cf. de cippis Zoëga de Obeliscis p. 353., et vid. ad Nem. IV, 81. Ad loquutionem autem confer *Διὸς τροπαῖα* Pausan. V, 22. fin, porro *μέλος Ἀΐδα*, h. e. *θρῆνος*, querela Plutoni sacra Eurip. Electr. 143., Suppl. 783. *ἅδου μολπαί*, et *Ἀΐδα γόος* Aristoph. Thesmoph. 1050. Erinn. in Br. Anal. V. P. Tom. I. p. 58. *πένθιμε κρωσσέ, ὅστις ἔχεις Ἀΐδα τὰν ὀλίγαν σποδιάν*. — *ἀλλ᾽ οἵ νιν φλάσαν οὐδ᾽ ἀνέχασσαν*, non tamen contuderunt eum nec repulerunt. Nota ex Homero *χάζομαι, ἀναχάζομαι, ὑποχάζομαι, ἀποχάζομαι*. Activam formam significatione tamen medii habet Xenoph. Anab. IV, 1, 12. — *φλᾶν*, idem quod *θλᾶν*, est proprie tundere, contundere (zerquetschen, zermalmen) cf. Interprett. ad Aristoph. Plut. 694. — V. 70. *ἤλασε ἐν πλευραῖσι*, adegit, Hom. Il. V, 539. *ἐν γαστρὶ ἔλασσε*. — V. 71. *πλᾶξε κεραυνόν*, contorsit in Idam. Illustrat hoc genus dicendi praeter alios Heller. ad Soph. Oed. Col. 92. — V. 72. *ἔρημοι*, desolati, non cincti a lugentibus cognatis. — *ἔρις*, ut *νεῖκος*, de bellico certamine dici constat, Hom. Il. XIV, 389. XVII, 253. Et de constructione *χαλεπὰ ὁμιλεῖν* vid. Ol. VII, 26. Sententia autem similis Ol. XI, 41. — V. 74. *ἄσθματι δὲ φρίσσοντα πνοάς*, nondum quidem mortuum, at difficultate respirandi asperum iam halitum habentem (schon röchelnd). De voce *ἄσθμα* cf. annotationem criticam ad Nem. III, 48. Et *φρίσσειν πνοάς* constructum ut *φρίσσειν νῶτον, αὐχένας* Hom. Il. XIII, 473., Hesiod. Scut. 171. Verbum autem, quod de horrida et aspera superficie dici solet, cf. Passov. Lexicon, optime nunc ad spiritus asperitatem traductum est. — V. 75. *θερμὰ δὴ τέγγων δάκρυα* cet., calidas tum fundens lacrimas cum gemitu altum clamavit. Sunt haec verba pro apodosi antecedentium, quasi dixisset: *καὶ ἐπεί μιν ἄσθματι ἤδη φρίσσοντα*

πνοὰς ἔκιχεν, θερμὰ δὴ δάκρυα τέγγων φώνασε, in qua constructione recte habet asyndeton, cf. Excursum de Asyndeto. Vides iam optime positum δή post θερμά, veluti Nem. V, 19. in apodosi: εἰ δ᾽ ὄλβον ἢ χειρῶν βίαν ἢ σιδαρίταν ἐπαινῆσαι πόλεμον δεδόκηται, μακρὰ δὴ αὐτόθεν ἅλμαθ᾽ ὑποσκάπτοι τις, et sic sexcenties in apodosi cum vi. τέγγειν δάκρυα, ut Soph. Trachin. 848. τέγγειν δακρύων ἄχναν; cf. Lobeck. ad Aiac. p. 279., Bernhardy Synt. p. 110. — στοναχαῖς, cum gemitu, cf. Hom. Il. XXIV, 696. Od. XXIV, 416. — V. 76. τίς δὴ λύσις ἔσσεται πενθέων; quis mihi finis erit luctus? Etiam mihi mortem iniunge. Errant qui Castoris dolores intelligunt, ut Heynius. — V. 78. οἴχεται τιμά, perit honos s. ingloria agenda est vita, amicis orbato viro, φίλων τατωμένῳ, ut Eurip. Hel. 281. φίλων τητωμένη. — πιστοὶ μεταλαμβάνειν, satis fidi, ut molestiae partem in labore ferre velint. — V. 80 sqq. ἐσσί μοι υἱός, immortalis es. — τόνδε δ᾽ ἔπειτα πόσις σπάξεν ἥρως, hunc autem post me maritus genuit, mortale semen matri tuae afferens. — σπάξεν, ἔσπειρε. — V. 84. σύν τ᾽ Ἀθαναίᾳ κελαινεγχεῖ τ᾽ Ἄρει, h. e. vivere in consortio bellicosorum deorum, ut ipse bella amas et gloriam bellicam. — V. 85. ἔστι σοὶ μὲν τῶν λάχος, est tibi quidem (non fratri) huius rei sors, licet tibi uti hac sorte. — εἰ δὲ κασιγνήτου πέρι μάρνασαι, sin pro fratre contendis, tropice dicto verbo, quod proprie legitur Hom. Il. XVI, 497. αὐτὰρ ἔπειτα καὶ αὐτὸς ἐμεῦ πέρι μάρναο χαλκῷ, ne hostes caesum me auferant. — ἀποδάσσασθαι, scil. αὐτῷ. — V. 89. οὐ γνώμᾳ διπλόαν θέτο βουλάν, non ancipitem animo instituit deliberationem, non diu haesit dubius. Ad loquutionem τίθεσθαι βουλήν cf. Ol. XI, 63. dicta. Homerus δίχα θυμὸς ἐνὶ φρεσὶ μερμήριξε Od. XVI, 73., δίχα θυμὸς ὀρώρεται ἔνθα καὶ ἔνθα XIX, 524., διάνδιχα μερμηρίζειν, δαϊζόμενος κατὰ θυμὸν διχθάδια Il. XIV, 21., ἐν δοίῃ εἶναι Il. IX, 230. — V. 90. ἀνὰ δ᾽ ἔλυσεν, tum resolvit oculos, deinde vocem Castoris, scil. Iuppiter, qui solus hoc poterat hic. — χαλκομίτρης dicitur Castor heroico epitheto. Est μίτρα cingulum laneum lamina aerea inductum, ventrem tegens sub ζώματι, cf. Apollon. Lex. Hom. in v. et inprimis Boettig.

Vasengemählde Tom. II. p. 84. Hinc ἀμιτροχίτωνες Lycii Hom. Il. XVI, 419., ubi vid. Heyn. et αἰολομίτρης Ὀρέσβιος Il. V, 707. χαλκομίτρην autem Penthesileam nominat Lycophr. 997.

Carmen Nemeaeum undecimum.

INTRODUCTIO.

Aristagoras e Pisandridarum nobili gente Tenedius quum prytanis insulae factus summum hunc honorem iniret, cantatum est hoc carmen in ipso prytaneo, praesentibus senatoribus, novum magistratum in prytaneum comitatis. Introducebatur enim sollemniter novus prytanis in prytaneum, ubi res publica ei cum senatoribus per annum gubernanda erat, et fiebant sacra precesque pro novo magistratu et celebrabantur epulae. Sunt haec εἰσιτήρια, quorum frequens apud Graecos mentio. De tempore odae nihil traditum exstat, nec coniectura quidquam effici potest. Quum Pindarus etiam victorias ludicras Aristagorae laudet, factum est, ut hoc carmen epiniciis adderetur, quem errorem iam veteres grammatici notarunt. Argumentum hoc est: In prooemio invocatur Vesta, ut benigne recipiat novum magistratum detque felicem muneris cursum. Transit deinde poeta ad laudes Aristagorae, qui formae pulcritudine insignis sit et in certaminibus robur probaverit, ut summam teneat pro mortali conditione felicitatem. Laudari debet civium sermonibus et poesios dulcibus cantibus qui e vicinis civitatibus sedecim reportatis victoriis se patriamque ornavit, ac nisi parentes timidi retinuissent, etiam Delphos accessisset et Olympiam, et rediisset haud dubie etiam hinc coronis ornatus. Verum ut aliis vana iactatio bona sperata eripit, sic sunt quos, nimis contemnentes vires suas, animus audacia carens propriis decoribus privet. Facile vero erat in Aristagora agnoscere sanguinem Pisandri Spartani, Amyclis cum Oreste qui profectus venit in has regiones exercitum ducens, et ex Thebano Melanippo mixtum

olim ad Ismenum. Veteres virtutes redeunt per vices gentibus, continuo autem nec terra fruges fert nec arbor flores neque frugiferos. Tale est etiam hominum genus, neque ex Iove certa signa de rebus futuris contingunt; tamen magna appetimus, et spe impudenti vincta sunt membra. Oportet vero modica sectari lucra, tentare quae assequi non datur magna insania est. Atque haec quidem hactenus. Vides rationem carminis simplicissimam. Praedicatur Aristagorae cum formae pulcritudine virtus gymnica non exigua, orta ex praeclaris maioribus; ac quum nunc etiam magistratu summo insulae ornatus sit, habet felicitatis quantum satis; caveat igitur ὕβριν et tyrannidem ne affectet. Sic etiam hoc carmen, ut alia multa, cum laude felicitatis et fortitudinis coniunctam habet modestiae moderationisque admonitionem, eaque est eius sententia.

E X P L I C A T I O.

V. 1 — 10. Prooemium. Invocatur Vesta, prytanei dea tutelaris, ut faveat novo magistratui prytaneum ingredienti. — Ἑστία, Vesta, ait, augustissima dea, nata Rhea, cuius filia natu maxima erat, et summorum deorum soror, Iovis et Iunonis, throni Iovi sociae. — ὁμόθρονος est quae in eodem throno, duas sedes habente, sedet cum Iove; cf. ad Nem. IV, 66. — ἅ τε πρυτανεῖα λέλογχας, quae prytaneis praees; ubi colebatur Vesta perpetuo igni. Cf. Spanhem. de Vesta et Prytanibus Graecorum in Graev. Thes. Ant. T. V. p. 664 sqq. — V. 3. Εὖ μὲν Ἀρισταγόραν δέξαι, fauste Aristagoram recipe in thalamum tuum (prytaneum), fauste etiam sodales insigne prope sceptrum. — ἑταῖροι qui sint, obscurum. Boeckhio primum plures videbantur prytanes Tenedi fuisse, et Aristagoras quidem πρῶτος πρύτανις, ceteri συμπρυτανεύοντες. Sed hanc sententiam reliquit postea monente Müllero, qui de prytanibus Graecorum praeclare disputat verbis in Boeckhii editione a me cum lectore communicatis et in Hist. Dor. T. II. p. 135. Erant enim prytanes antiquiores, quales olim in civitatibus Io-

num, Aeolum, Doriensium multis summam rerum tenebant, insigni et fere regia dignitate, unde Charon Lampsacenus Spartanos reges πρυτάνεις dixerat, similiterque Iuppiter audit πρύτανις θεῶν (cf. Aesch. Prometh. 169.). Creabantur ex optimatibus, erantque vel duo vel unus in civitate, quemadmodum etiam in Tenedo, exigua insula, unus tantum fuit duodecim menses regens. Ac talis nunc est Aristagoras e Pisandridarum nobilissima gente. Plane differunt Atheniensium prytanes, de quibus idem Müllerus egit. Post haec ut ad ἑταίρους revertar quos Pindarus dicit, intellexeram olim cum Müllero gentiles Aristagorae, qui sacra Vestae πρυτανίτιδος cum prytane curavissent. Opponit Boeckhius sine senatu vel consilio aliquo non posse prytanin reipublicae praeesse, sive βουλή, sive γερουσία, sive πρόβουλοι Tenedi fuerint dicti, idque nunc concedit etiam Müllerus. Videntur igitur ἑταῖροι senatores esse. — ἀγλαῷ σκάπτῳ πέλας. Stabat nempe prope aram prytanei statua Vestae sceptrum tenens. Optime his de verbis disputat Welckerus in Boeckhii editione ad hunc locum. Plerumque enim in prytaneis nonnisi ignis sacer erat, nec statua deae habebatur, ut omnino statuae Vestae rarissimae fuisse videntur. Fuit tamen statua in Atheniensi prytaneo, cf. Pausan. 1, 18, 3., eaque etiam sceptrum habuisse videtur, ut Tenedia. Ac docet Welckerus cum sceptro deam in pluribus monumentis conspici. Ut redeam, nunc Vesta Aristagoram et sodales propitia recipere debet prope sceptrum suum, qui accedunt ad aram statuamque sacrificaturi εἰσιτήρια novi magistratus summi et preces facturi. — V. 5. οἵ σε γεραίροντες ὀρθὰν φυλάσσοισιν Τένεδον, qui te sacrificiis honorantes pro publica salute oblatis incolumem servant Tenedum. Ubique, ait Müllerus meus Hist. Dor. II. p. 137., prytanes ex regum priscorum muneribus susceperant sacrificiorum quorundam publicorum curationem, quae in aedificiis publicis, in foro, ad civitatis publicam aram fiebant. In insula Coo etiam μαντεία ex ἐμπύροις cum his sacrificiis coniuncta fuisse videtur. Τῆς κοινῆς ἑστίας, quae est in Prytaneo, Aristotele teste Polit. VI, 5., curam nusquam habebant sacerdotes, sed habebant prytanes, βασιλεῖς, ἄρχοντες. Similiter igitur etiam in Tenedo a prytane cum senatoribus puta statis diebus anni publica sacrificia facta Vestae

Πρυτανίτιδι pro salute insulae (hoc est *ὀρθὰν φυλάσσοισιν*, servant incolumem *Τένεδον*), eaque Pindarus nunc describit. — V. 6. *πολλὰ μὲν λοιβαῖσιν ἀγαζόμενοι πρώταν θεῶν, πολλὰ δὲ κνίσσᾳ*, saepe honorantes te libationibus prae aliis diis, saepe nidore. Venerabantur nempe Vestam ibi tanquam summam deam, tanquam augustissimum numen insulae. Alienum est, quod interpretes hic monent, vulgo Vestae primae libatum esse, de quo usu ceterum vide quae laudavi in Boeckhii editione. Nunc autem de publicis Tenedi sacris agitur, ut vides. Ceterum *λοιβαί* quotidie factae, monente Heynio, iuvencae mactatae statis diebus. *κνίσσαν* enim intellige iuvencarum, cf. Spanh. ad Callimach. Hymn. in Cerer. 109., et de Vesta et Prytanibus p. 666. Ac tum etiam chorici cantus videntur adhibiti. — *βρέμεται*, verbum inprimis de maris et venti fremitu dictum, ut constat, nota nunc ad musicos sonos translatum; maximopere, ait, colitur dea ab iis, *ἀγαφθέγκτοις ἀοιδαῖς καὶ λύρας βοαῖς*. — V. 8. *καὶ ξενίου Διὸς ἀσκεῖται Θέμις ἀενάοις ἐν τραπέζαις*, et hospitalis Iovis ius (ius hospitalitatis) colitur perpetuis in mensis. Epulabatur in prytaneo quotidie prytanis cum consiliariis, cf. Müller. Hist. Dor. II, 137. Praeterea *ξενικὰς τραπέζας* fuisse puta, quibus exciperentur legati civitatum aliique *ξένοι*, peregrini, qui forte aderant. Quod illustrari potest more Cretico in syssitiis usitato ibi. Apud Athen. IV. c. 22. p. 143., C. narrat Dosiades: *κατὰ δὲ τὸν συσσιτικὸν οἶκον πρῶτον μὲν κεῖνται δύο τράπεζαι ξενικαὶ καλούμεναι, αἷς προκαθίζουσι τῶν ξένων οἱ παρόντες· ἑξῆς δ' εἰσὶν αἱ τῶν ἄλλων.* Et Pyrgio ibid. F. *ἦσαν δὲ καὶ ξενικοὶ θᾶκοι καὶ τράπεζα τρίτη δεξίας εἰςιόντων εἰς τὰ ἀνδρεῖα, ἣν ξενίου τε Διὸς ξενίαν τε προςηγόρευον.* Apud Tenedios haec perpetua hospitalitas in prytaneo exercebatur, et nunc quidem a poeta refertur inter honores Vestae, quum in huius sacra domo res fieret. Ad loquutionem *Διὸς ξενίου Θέμις ἀσκεῖται* cf. Ol. VIII, 21., ubi tamen alius sensus. Sic igitur plurimum culta dea rogatur, ut nunc etiam propitiam se exhibeat. — V. 9 sq. *ἀλλὰ σὺν δόξᾳ τέλος δωδεκάμηνον περᾶσαί νιν ἀτρώτῳ κραδίᾳ*, ut conieci, cf. annotationem criticam: Agedum da, ut gloriose peragat magistratum duodecim mensium illaeso animo. Sin *περάσαι* retinetur, tertia optativi, offendit

in tam perfecto scriptore duplex σύν, sensus idem. τέλος magistratus, notum, ut οἱ ἐν τέλει. — ἀτρώτῳ κραδίᾳ, nulla aegritudine contristato. Ut multa in tali munere iniucunda accidere possunt. Ad vocem cf. Nem. I, 48. et Latinum vulnus, ut Graecum ἕλκος pro dolore, velut Aesch. Agam. 648. Soph. Antig. 653. collat. Hesych. v. ἕλκη.

V. 11 — 37. Laudatur virtus gymnica Aristagorae orta ex claris maioribus. — V. 11 sq. Orditur honoris causa a laude patris. — ἄνδρα oppositionis causa praemissum, plane ut Pyth. I, 42., quum in prooemio Vestae deae subiectum regnasset. — Post μακαρίζω μὲν Ἀρκεσίλαν iam non sequitur μακαρίζω δὲ τὸ θαητὸν δέμας ἀτρεμίαν τε σύγγονον, sed mutata constructione aptius infertur καί, cf. ad Ol. V, 10. Notabis etiam zeugma dictionis, quum e μακαρίζω eliciendum sit αἰνέω ad secundum membrum. Iam sensus: „Felicem praedico patrem laudoque eius et staturam praeclaram et animi constantiam ingenitam." — V. 13 sqq. Per sententias generales ad Aristagorae laudes accedit. Nexus enim hic est: „Si quis autem opes habens pulcritudine praestat et in certaminibus robur ostendit, summam is tenet pro mortali conditione felicitatem et par est eum celebrari laudibus; talis Aristagoras, decies sexies victor." — V. 15 sq. θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη sqq., mortalia se recordetur vestire membra et postremo terram induturum. Constructio participii tibi nota. De usitata loquutione γᾶν ἐπιέσσασθαι vid. Hemsterhus. ad Hesych. T. 1. p. 1352. et Valcken. ad Herod. p. 630. Adde Heyn. ad Hom. T. IV. p. 462. Iacobs. Anthol. Lips. T. VII. p. 401. et ad Philostr. p. 452. — Porro τελευτὰν ἁπάντων est postremo, quod vulgo τέλος dicitur (Matth. Gr. p. 784.) et perraro etiam τέρμα, cf. Schaef. ad Gnomicos ed. Lips. p. 367. Attende nunc, quam pulcre poeta secundo versui priorem accommodaverit. Quum enim dicere posset: μεμνάσθω τρέφων s. ἔχων θνατὰ μέλη, sciat se alere, habere mortalia membra, maluit vestire, vestibus ornare, propter ultimam illam vestem, terram, quam corpus post mortem habebit. Quae res quum non animadversa esset, interpretes vulgo aliam explicationem praetulerunt, περιστέλλων vertentes: recordetur mortali se corpore amictum. At enim licet

notae sint loquutiones inprimis philosophorum permultae a corporis cum vestimento comparatione petitae, tamen hic περιστέλλων activum est et praesens, ut non possis interpretari: amictus. Postremo perit hic concinnitas dictionis suavissima. Quemadmodum igitur hoc loco prioris versus oratio e secundo explicanda, sic Nem. I init., quum in primo versu ἄμπνευμα Ἀλφεοῦ dixisset, propterea in tertio δέμνιον Ἀρτέμιδος notavimus dictum. Denique vide sententiam: nam quum sensus requiratur hic; „Si quis opes habens pulcra forma insignis est et in certaminibus vicit, sciat se assequutum quantum satis pro mortali conditione, sciat se magnam felicitatem habere," poeta dixit sic: „Sciat se mortalem," consulto cum laude admonitionem modestiae coniungens et a superbia dehortans, id quod in altera parte carminis pluribus tractabit. — V. 17. λόγοι ἀστῶν, sermones civium, distinguuntur a poesios cantibus, ἀοιδαῖς. Et αἰνεῖσθαι ἐν λόγοις, ut ἐν ἀοιδᾷ νέων ἀπύειν Pyth. V, 97., ἀγλαΐζεσθαι μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ et alia similia dicuntur, ut non superflua sit praepositio. Porro primum est αἰνεῖσθαι, deinde in sequenti versu pro passivo activum μελιζέμεν, noto usu; cf. Matth. Gr. p. 1050. — ἐκ περικτιόνων, vicinas Tenedo puta civitates. Iungendum vero νίκαθ ἐκ περικτιόνων. Ceterum differunt ἀμφικτιόνες et περικτιόνες. Illi sunt civitates communi vinculo iunctae sive pari iure, sive praeside una, eaque est Ἀμφικτυονία, at περικτιόνες simpliciter sunt vicini, circum habitantes populi, ut quos Aristagoras adibat alios alia ludorum sollemnia celebrantes. — πάτρα εὐώνυμος est gloriosa gens Pisandridarum. — V. 22 sq. ἐλπίδες ὀκνηρότεραι γονέων, exspectationes parentium iusto timidiores et cunctantiores nec eo adspirantes, ut putarent filii robur suffecturum certaminibus. Haec igitur retinuerunt vim filii, quo minus Pythium et Olympicum certamen adiret. — ἔσχον πειρᾶσθαι, ut σχήσω σε πηδᾶν Eurip. Or. 267. Constat enim post verba prohibendi etiam omitti μή, cf. Herm. ad Vig. p. 811. Matth. Gr. p. 1047. Nempe fortior est prohibendi significatio ubi additur μή, lenior ubi abest. — V. 24 sqq. Per iusiurandum, mea sententia ad Castaliam et ad Cronii Collem profectus pulcrius rediisset certantibus adversariis. — ναὶ μὰ γὰρ ὅρκον, prosopopoeia quaedam iurisiuran-

di. Comparat Scholiastes Hesiod. Theog. 231. — ἔμὰν δόξαν, cf. Bernhardy Synt. p. 131. — μολὼν παρὰ Κασταλίᾳ, nota constructio. — ὄχθος Κρόνου est Κρόνιον, Ol. I, 111. II, 12. — εὐδένδρῳ, vides igitur arboribus, oleastris puta, consitum fuisse Cronium, quum ante Herculem nudum fuisset, ut cetera regio. Cf. ad Ol. XI, 51. — δηριάομαι apud Homerum est de pugna aut verborum contentione; nunc δηριάω de ludicris certaminibus. — V. 27 sq. Rediisset quinquennali festo Herculis sollemni celebrato comissatione et redimitus comam purpureis frondibus. — κωμάσαις, intelligendum de κώμῳ post victoriam vespertino, quem habiturus fuisset Aristagoras, ubi cecinisset, ut fit, Iovem sacrumque lucum et festum cum ludis. — ἀνδησάμενος, Isthm. I, 28. Pyth. X, 40. Nec vacat ἐν, caput in frondibus habens redimitum. — πορφυρέοις autem cum Boeckhio ad Ol. X, 13., ut χρύσεος poetice dictum accipio pr. praeclaris, nec de purpureis ornamentis s. lemniscis cogitandum, ut fecit Heinrichius ad Hesiod. Scut. 95. — κενεόφρονες αὖχαι, alius vana, stulta iactatio, inepta confidentia et gloriandi cupiditas facit, ut bonis speratis excidat. Ad κενεόφρων cf. Blomfld. Glossar. in Aesch. Prometh. v. 787. — ἀγαθά, h. e. εὐπραγία, cf. Ol. VIII, 13., ut nunc victoria. — ἐκβάλλεσθαι et ἐκπίπτειν dicimur e bonis, quae habemus vel quae speramus, cupimus, ut quum ἐκπίπτειν significat repulsum ferre s. honore petito excidere veluti Polyb. IV, 82. Similiter Latini excidere dicunt utroque sensu, cf. Ruhnken. Dictat. in Terent. Schopen. p. 50. Possis quidem dicere nimia sui confidentia et gloriandi studio privari aliquem saepe etiam iis quae habeat bonis, veluti nunc si quis temere pecunias absumat in certamina; sed hoc tamen hic non placet, vel propter oppositionem οἰκείων καλῶν. Pergit enim: Alium contra diffisum nimium viribus, propriis abduxit decoribus animus audacia carens, ut laudibus quae suae sint, si modo velit, quas natura ei destinavit, dedit, non potiatur. Sic commoda oppositio inest: ille temere sectatur quae ei non data, hic etiam data et quae tantum non in manibus sint non adit audaciae defectu. Franges vim loci, ubi οἰκεῖα καλὰ domestica decora, νίκας ἐκ περικτιόνων intellexeris, ne plura huic explicationi opponam. — V. 33 sqq. Claris maioribus ortum habet hoc robur Aristagoras.

Fuit autem paternus auctor gentis Pisander Achaeus, qui, quum Dorienses Peloponnesum invasissent, cum Pelopidis Amyclis migraverat, ac quum plures fuerint migrationes Achaeorum succedentes, nunc de prima agitur: haec vulgo inchoata tantum fertur ab Oreste, qui in Arcadia mortuus sit, tum continuata a Penthilo; Pindarus tamen hic eam traditionem sequitur, ex qua etiam Orestes ipse in Aeoliam venit, cf. Raoul-Rochette Hist. des Colonies Grecques Tom. II. p. 446., qui Lycophr. v. 1369. laudat et Strabon. XIII. p. 582. Conscenderunt naves in Aulide, susceptis etiam Cadmeis et Boeotis permultis; cf. Müller. Hist. Orchom. p. 398. et p. 477. Add. Mezir. ad Ovid. Heroid. T. II. p. 377 sqq. Tales Cadmei fuerunt etiam Melanippidae, originem trahentes a Melanippo celebri heroe Thebano, qui Tydeum vulneravit in bello Argivo, cf. Apollod. III, 6, 8., ibiq. Heyn.; habebantur enim etiam in Tenedo gentes Boeoticae prisca migratione eo delatae, vid. Thucyd. VII, 57. Nunc vide Pindarum. Facile erat, ait, agnoscere in Aristagora Pisandri Spartani sanguinem et Melanippidarum mixtum olim ad Ismenum. Mater igitur gentis Pisandridarum fuit e Melanippidis, qui quum in Boeotia se adiunxissent Achaeis migrantibus, inde uxore ducta Pisander gentis Pisandridarum auctor factus est. Vides constructionem esse: *συμβαλεῖν εὐμαρὲς ἦν τό τε Πεισάνδρου αἷμα καὶ τὸ ἐκ Μελανίπποιο μάτρωος κεκραμένον παρ' Ἰσμηνοῦ ῥοάν*, in quo *τὸ ἐκ Μελανίπποιο αἷμα* est non ipsius Melanippi, qui diu ante vixerat, sed ortus ex Melanippo sanguis Melanippidarum. — *συμβαλεῖν*, coniectura assequi, ut Eurip. Orest. 1394, vulgo medium usitatius. — *ἀπὸ Σπάρτας*. Erat Pisander Amyclaeus, Pindaro teste, idque tum erat caput regni. Quum autem postea Doriensibus in illis terris regnantibus Sparta sedes imperii esset, Pindarus praesentium temporum rationem sequutus simul Spartanum dicit Pisandrum, s. e Spartana regione oriundum, profectum vero Amyclis. Ipsa verba: *Ἀμύκλαθεν — ἀνάγων*, vides in parenthesi esse. — *ἀνάγων*, adducens per altum mare.

V. 37 — ad fin. Altera pars carminis. Monetur Aristagoras, ut a superbia caveat et tyrannidem ne affectet. — V. 37 sqq. *Ἀρχαῖαι δ' ἀρεταὶ* cet., antiquitus innata virtus reducit per vices robur suum genera-

tionibus hominum, continuo vero nec arva frugem solent edere nec arbores omnibus annis flores habent aeque frugiferos, sed per vices. Quum robur maiorum, postquam diutius, ut videtur, cessaverat, nunc in Aristagora laetius revixisset, poeta sic transit ad imbecillitatem humanae naturae declarandam et ad monita inde ducenda. — ἀναφέρεσθαι sensu activo, ut φέρεσθαι Pyth. VII. fin. — οὐκ ἐθέλει, non solent, ut Xenoph. Oecon. IV, 13. πάντων ὅποσα ἡ γῆ φύειν ἐθέλει. Et vid. Gregor. Corinth. p. 56. ibique Koen. Platon. Phaedr. p. 230. D. ibique Ast. — πάσαις ἐτέων περόδοις, omnibus annis. — πέροδοι ex Aeolismo pr. περίοδοι, orbes. — ἄνθος πλούτῳ ἴσον, florem provento parem, aequo frugiferum. Hic enim verus sensus videtur. — V. 42. ἐν ἀμείβοντι, alternatim, ἀμοιβαδίς. — καὶ θνατὸν οὕτως ἔθνος ἄγει μοῖρα, etiam mortale genus hunc in modum ducit Parca. ἄγειν proprium de summa potestate deorum et fati. Cf. Musgrav. ad Soph. Oed. Col. v. 1514. Reisig. v. 244. — V. 43. τὸ δ' ἐκ Διὸς ἀνθρώποις σαφὲς οὐχ ἕπεται τέκμαρ, ex Iove vero hominibus non contingit perspicuum signum. Cf. ad sententiam Ol. XII, 7., ibiq. laudata. Et vid. Soph. Oed. R. 978. Ad τό praemissum cf. Nem. II, 17. — V. 44. Sed tamen audacibus consiliis indulgemus, factaque multa molientes. μεγαλανορίαν similiter dixit Mesomedes Hymn. in Nemesin Anthol. Lips. Iacobs. Tom. III. p. 6. ibiq. not. editoris Tom. IX. p. 347. — ἐμβαίνειν est suscipere, aggredi, ut Platon. Phaedr. p. 252. E. ἐμβαίνειν τῷ ἐπιτηδεύματι. — ἔργα τε πολλὰ μενοινῶντες. Pro nudo substantivo ἔργοις τε πολλοῖς scil. ἐμβαίνομεν ponitur plenior phrasis participio addito et supplendo verbo finito sic: ἔργα τε πολλὰ μενοινῶντες ἐμβαίνομεν αὐτοῖς. Fit ita gravior hic oratio. Obiter moneo Sophocl. Oed. R. 740. τὸν δὲ Λάϊον, φύσιν τίν' εἶχε φράζε, τίνα δ' ἀκμὴν ἥβης ἔχων, sensum esse, qua statura fuerit dic, quemque florem aetatis habens ista, quam dices, statura fuerit, h. e. qua statura eaque quo in flore. — Contrario modo post participium praegressum secundum membrum adsciscit verbum finitum in exemplis ab Hermanno allatis epicis ad Hom. Hymn. in Cer. p. 125. Quemadmodum etiam in

Platon. Theaetet. p. 162. E. — *δέδεται γὰρ ἀναιδεῖ ἐλπίδι γυῖα*, vincta enim membra sunt ingenti cupiditate maiorum rerum, h. e. regit ea quasi omnes corporis motus. Ceterum haec sunt in parenthesi. — V. 46. *προμαθείας δ' ἀπόκεινται ῥοαί*, cursus autem rerum et eventus, s. quem cursum res habiturae sint, abest a providentia nostra nec praegnosci potest. Cf. ad *ῥοάς* Ol. II, 33. De sententia compara Theogn. 585. *Πᾶσίν τοι κίνδυνος ἐπ' ἔργμασιν οὐδέ τις οἶδεν Ποῖ σχήσειν μέλλει πρήγματος ἀρχομένου.* — V. 48. Quae assequi non licet, cupere ea vero magna insania est. Noli enim sic vertere: Quae assequi non licet, vehementius solemus cupere: quae sententia plane aliena esset ab hoc exitu. De comparativi usu in *ὀξύτεραι* adi grammaticas.

Carmen Isthmium primum.

INTRODUCTIO.

Carmen scriptum Herodoto, Asopodori filio, Thebano, curru victori, et haud dubie etiam cantatum Thebis. Quo tempore victoria reportata sit, non traditum est, suspicatus tamen sum factum id esse Isthmiis vernis Ol. 80, 3. probante Boeckhio. Rationes mox indicabo. Argumentum hoc est: Post prooeminm, ubi poeta seposuisse se nuntiat carmen Ceis faciendum, ut prius hunc hymnum in patriae honorem perficiat, Herodotum victorem curulem ornaturum se dicit Castoreo vel Iolai hymno, qui duo heroes Thebis et Spartae aurigae fuerint olim celeberrimi. Canit iam hos heroes plurima genera certaminum adiisse et tripodibus, lebetibus phialisque aureis ornasse domum, nactos coronas victrices; splendere gloriam eorum in cursibus gymnicis et armatis, et excelluisse eos etiam iaculatione discique iactu, unde plurimis saepe coronis redimiti ad Eurotam et ad Dircam redierint. Haec hacte-

nus. Transit oratio inde ad patris Asopodori fortunam canendam Orchomenumque, quae hunc ex immenso mari in horrenda calamitate receperit Thebis eiectum; nunc autem in pristinum statum laetum res rediisse. Iam reversurus ad praesentes Herodoti laudes, primum sententiis generalibus suaviter ostendit, qui nec sumptibus nec laboribus parcens virtuti incumbat omni studio, eum larga laude ornari fas esse. Aliis alia laborum merces placet, ait, pastori, aratori, aucupi, piscatori; qui autem in ludis et bellis gloriam sibi peperit, is laudatus summum praemium accipit, civium et peregrinorum praeconia. His praemissis ad ipsam Herodoti victoriarum enumerationem accedit, qui in permultis locis vicerat. Denique in fine etiam Pythiam et Olympicam coronam optat, notans simul divites quosdam Herodoti obtrectatores, qui divitiis absconditis non reputabant inglorios se in Orcum descensuros. Ita Pindarus. Revocanda nunc haec sunt ad veram rationem suam. Quum Herodotus non auriga misso, ut reges aliique principes viri, sed ipse regens equos tot victorias reportasset, *ἀνδρίαν* vides in eo fuisse insignem; unde maxima pars carminis eo redit, ut haec illustretur quam luculentissime, idque factum tum mythica Castoris et Iolai comparatione in principio, tum victoriarum singularum enumeratione in fine. Simul defenditur praeclara viri virtus contra divitum quorundam malos sermones, qui ridebant pecunias certaminibus insumentem, praedicaturque prae alia quavis laborum mercede laus ludicrâ bellicâque virtute parta; et quum pater Asopodorus aliquando exsulavisset Thebis, eiectus in turbis civilibus, memoratur etiam haec res in medio carmine, ut malorum praeteritorum recordatione augeatur iucunditas praesentis fortunae. Haec igitur omnia satis bene ad unum finem conspirant. Neque tamen his indicatis rebus penitus explicatum videtur carmen. Fac id scriptum Ol. 80, 3. ante pugnas ad Tanagram et Oenophyta pugnatas Ol. 80, 4., de quibus vide in Introductione ad Isthm. VI. Thebani cum Lacedaemoniis pacti erant, ut hi sibi Boeotiae imperium post Persica amissum restituerent, et in pugna Tanagraea amborum exercitus revera coniuncti pugnarunt contra Athenienses de Boeotia. Quodsi Pindaro hoc carmen scribente communiter a Spartanis et Thebanis gerendum erat bellum, novam lucem accipit locus eximius de Castore

et Iolao, in quo data opera Lacedaemonius et Thebanus heros celebrantur tanquam certaminum singulari peritia simillimi; neque enim nunc solius Herodoti causa scriptus est, sed simul ambarum civitatum virtutem ornat bellum parantium. Intelligimus porro cur v. 50. dixerit: ὃς δ᾽ ἀμφ᾽ ἀέθλοις ἢ πολεμίζων ἄρηται κῦδος ἁβρόν, εὐαγορηθεὶς κέρδος ὕψιστον δέκεται, πολιατᾶν καὶ ξένων γλώσσας ἄωτον, et quid sibi velit, alioquin aliena futura, Herculis intrepidi memorabilis mentio, quem etiam Geryonis canes horruerint, v. 12. ἐν ᾇ καὶ τὸν ἀδείμαντον Ἀλκμήνα τέκεν παῖδα, θρασεῖαι τόν ποτε Γηρυόνα φρίξαν κύνες. Denique nunc magis etiam quam antea placebit bellicum Thebae epitheton χρύσασπις, statim in fronte positum. His indiciis ductus suspicor bellum tum illud institisse. Iam adde haec iis, quae supra exposui, et collige omnia in unum: videbis cur dicam Pindarum, qui carmen Ceis faciendum seposuerat patriae causa, hanc nunc illustrare voluisse ut bellica et ludicra gloria ac virtute insignem, quemadmodum in fine prooemii significatur; ac bellicas quidem res tecte indicat, ut par erat, ludicram autem laudem tractavit uberrime.

EXPLICATIO.

V. 1 — 13. Prooemium. Poeta seposuisse se dicit paeanem Ceis faciendum, ut prius hunc hymnum perficiat in patriae honorem ludicra et bellica virtute clarissimae. — Ad verba χρύσασπι Θήβα cf. fragment. inc. nr. 104. *Εὐάρματε χρυσοχίτων, ἱερώτατον ἄγαλμα, Θήβα.* Fuit igitur statua deae Thebae apud Thebanos, quae aurea veste induta erat et clypeum aureum tenebat. Habebatur Thebae statua etiam in Olympia a Phliasiis donata; cf. Pausan. V, 22, 5. De aliis statuis Spartae, Helladis, Elidis, Rhodi, similium notavi in Boeckhii editione maiore. — τὸ τεὸν πρᾶγμα καὶ ἀσχολίας ὑπέρτερον θήσομαι, tuum negotium etiam occupatione potius habebo. Respicit haec verba Plato in Phaedr. p. 227. B. οὐκ ἂν οἴει με κατὰ Πίνδαρον καὶ ἀσχολίας ὑπέρτερον πρᾶγμα ποιήσεσθαι τὸ σήν τε καὶ Λυσίου διατριβὴν ἀκοῦσαι; et Plutarch. de Genio Socratis p. 575. D. ap. Wyttenb.

T. III. P. I. p. 321. ἐμὲ καὶ ἀσχολίας ὑπέρτερον θέσθαι κατὰ Πίνδαρον τὸ δεῦρο ἐλθεῖν ἐπὶ τὴν διήγησιν. Adde alios locos aliorum praeter hos in Boeckhii editione indicatos. — V. 3. κραναὰ Δᾶλος. τραχεῖα etiam alias dicta, ut ap. Callim. Hymn. in Del. 268. δυςήροτος audit, quum arida et saxosa esset; vid. plura ap. Spanhem. ad Hymn. in Del. v. 11. et 268. — V. 4. ἐν ᾧ κέχυμαι, in qua canenda totus versor, occupatus sum. Comparanda sunt ἔγκειμαι, ἐπίκειμαι, πρόςκειμαι, incumbo alicui rei s. in aliquam rem. Nosti vero κεχύσθαι vulgo aut de iis dici, qui molliter abiecti quiescunt, aut qui effusi sunt in aliquam rem et toti dediti ei, quod est κεχυμένος εἴς τι, aut πρός τι, veluti πρὸς ἡδονήν, εἰς τὰ ἀφροδίσια, malo sensu. Hoc loco etiam Heynius verbum de magno studio cepit, ut Scholiastes explicat πᾶς ἔγκειμαι. — V. 6. εἶξον, ὦ 'πολλωνιάς, cede, o Apollinea, ut dicitur Delus Apollinea urbs Ovid. Met. XIII, 631. — ἀμφοτερᾶν τοι χαρίτων σὺν θεοῖς ζεύξω τέλος, utriusque hymni cum diis pertexam finem, utrumque hymnum ad finem deducam. ζεῦξαι μέλος vidimus Nem. 1, 7. χάριτας dicit carmina, blandos hymnos, ut Isthm. III, 8. Add. Jacobs. ad Antholog. Tom. VI, p. 420. — V. 7 sqq. καὶ τὸν ἀκειρεκόμαν Φοῖβον χορεύων ἐν Κέῳ ἀμφιρύτᾳ σὺν ποντίοις ἀνδράσιν καὶ τὸν ἁλιερκέα Ἰσθμοῦ δειράδα, et intonsum Phoebum choro celebrans in Ceo cum maritimis viris et mari septum Isthmi iugum. ἀκειρεκόμαν, cf. Pyth. III, 14. — χορεύειν, active choreis celebrare, ut Soph. Antig. 1153. αἵ σε μαινόμεναι χορεύουσι τὸν ταμίαν Ἴακχον, ubi cf. Brunck. Add. Eurip. Herc. fur. 690., ubi sunt Δηλιάδες τὸν Λατοῦς εὔπαιδα γόνον εἱλίσσουσαι καλλίχορον, et Iphig. Aul. 1480. ἑλίσσετ' ἀμφὶ ναὸν, ἀμφὶ βωμὸν Ἄρτεμιν, quod Marclandus explicat: saltantes circum templum, circum aram, Dianam celebrate. De ipsa re, quam significat Pindarus, explicate disputavi in Boeckhii editione, unde nunc potiora appono. Legitur in scholiis Pindarum a Ceis rogatum esse, ut iis paeanem faceret, quem cum choro in Delum mitterent Apollini canendum; scholia sequuti sunt interpretes plerique omnes, de paeane in Delo canendo poetam loqui narrantes. Sed concluserunt hoc grammatici e mentione Deli in v. 3.,

non tradunt fide historica, ut patet e scholiis ad illum versum: *ἐκ τούτου δῆλον, ὅτι εἰς Δῆλον ἔγραφε Κείοις.* Quare quum haec opinio claris Pindari verbis repugnet, *Φοῖβον χορεύων ἐν Κέῳ*, deserenda est haud dubie, et accuratius locus explicandus. Magnopere cultus est Apollo in Ceo, ac novimus tria ibi huius dei templa. Quum enim quattuor urbes essent in insula, Coressus, Paeessa, Iulis, Cartha s. Carthaea, quarum maiores fuerunt Iulis et Carthaea, Plinii tempore solae reliquae, unum Apollinis templum inter Coressam et Paeessam fuit, alterum Iulide, tertium Carthaeae, et hoc videtur fuisse nobilissimum. Memoratur id apud Athen. X. p. 456., ubi Simonides in *χορηγείῳ* templo adiacente aliquando docebat choros, et ap. Antonin. Liberal. c. 1, inprimis autem inclaruit nuper Inscriptionibus in ruderibus eius repertis, quas vir celeberrimus Broenstedius Danus communicavit cum Boeckhio. Leguntur eaedem in *Ἑρμῇ λογίῳ* anni 1819. p. 48 sqq., et nunc ab ipso Broenstedio editae sunt in libro: Voyages et Rercherches dans la Grèce. Par le Chevalier P. O. Broensted. Première Livraison. Paris 1826. Harum pars Apollinem et choregos nominat. Huic igitur templo, credo, destinatus erat hymnus a Pindaro faciendus. Verum, ais, cur tamen de Delo loquitur? Nempe Deli hoc loco eadem ratio est quae Thebarum; ut Thebae ornantur carmine in Herodotum Thebanum scripto, sic Delus hymno in Apollinem Delium. Fac praeterea illud in Ceo templum fuisse *Δήλιον* proprie dictum, quale in Boeotia celeberrimum fuit et in vicina Ceo insula Naxo, fac Ceos *γενέθλια* Apollinis celebrare voluisse: videbis necessarias fuisse laudes Deli et omnia bene conspirare. Occupatus igitur erat poeta in Deli laudibus hymnum componens apud Ceos canendum, et cedit Delos Thebis, quum Thebanus Herodotus prius canatur Apolline Delio. Probarunt explicationem meam Boeckhius, Müllerus, atque etiam Broenstedius in libro laudato. Atque haec quidem de his. — Post verba: *καὶ τὸν ἀκειρεκόμαν Φοῖβον χορεύων*, non poterat pergere: *καὶ τὸν Ἡρόδοτον*, quae inepta et indecora fuisset dei et hominis compositio. Melius igitur dixit: *καὶ τὰν ἀλιερκέα Ἰσθμοῦ δειράδα*, magnificentiore Isthmi nomine usus. — V. 10 sqq. *ἐπεὶ στεφάνους ἓξ ὤπασεν κ. τ. λ.*, quandoquidem coronas sex praebuit Cadmi populo ex certaminibus, victoriale

patriae decus. Non igitur mirum, quod Isthmi laudes prius canit. Reportaverant autem hac ipsa Isthmiade, puta, Thebani sex victorias in Isthmo e variis certaminibus, ut bene monuit Boeckh. Neque enim unus Herodotus sex victorias ibi tulerat, quod non tacuisset poeta, neque Thebani inde ab initio usque ad hoc tempus sex tantummodo, sed haud dubie plures. Grammaticos quod male habuit vocabulum ἕξ, quia ἐν ταῖς Ἰσθμιακαῖς ἀναγραφαῖς numerus ab iis non reperiebatur, hoc quale sit, monitum in Boeckhii editione. — V. 12. *ἐν ᾧ καὶ τὸν ἀδείμαντον Ἀλκμήνα τέκεν παῖδα — κύνες.* Quum Erythia sita crederetur extra columnas Herculis in Oceano, terminus hic fuit eius laborum ultimus, nec aliud ullum constat ab eo facinus remotiore in solo factum. Quare sensus hic est: Ubi natus intrepidus Hercules, cuius fortitudinem ultima Erythia horruit. Vidimus in Introductione magnifica haec verba, quae a curulium Herodoti victoriarum laude aliena sunt, propter bellum adiecta videri, quod parabant Thebani. Thebis, ait, Isthmus sex ludicras hoc tempore victorias dedit; eaedem vero non minus clarae bellicae virtutis gloria. Ceterum constat e Luciano adv. Indoct. c. 14. Bip. T. VIII. p. 16. Thebanos ossa Geryonis apud se servasse et ostendisse. Pluralis *κύνες* non videtur unum *δικέφαλον* significare Ὄρθον, sed plures canes; potuit varia olim esse de ea re traditio.

V. 14—32. Castoreum. — *Ἀλλ' ἐγὼ Ἡροδότῳ τεύχων τὸ μὲν ἅρματι τεθρίππῳ γέρας κ. τ. λ.* In his τὸ *μὲν γέρας* est unum praemium s. pars laudis. Ac *μέν* respondet sequenti *τέ*, quod iam saepius notatum. Porro *Ἡροδότῳ τεύχων ἅρματι γέρας* est: Herodoto laudans quadrigas, notissimo usu duplicis dativi, cf. Pyth. VII, 2. et infr. 61 sq., inprimis sic pronomina poni constat. Ceterum vide plura exempla constructionis Matth. Gr. p. 715, 6. Denique *νωμάσαντ'* refer ad *μέν*, est enim accusativus. Iam verte: Ego vero Herodoto partem laudum quadrigis tribuens, tum fraena suis manibus regentem eum Castoreo aut Iolai hymno celebrabo, h. e. ego vero et quadrigas Herodoto laudabo celeritate praestantes et ipsius, sua manu qui rexit currum, dexteritatem

Castoreo. — Notanda igitur copulatio participii cum verbo finito per μέν — τέ, nunc facta propter oppositionem currus et viri currum regentis. Comparabimus aliud non ignotum genus, coniunctionem participii et verbi finiti per simplicem copulam, ut ap. Aesch. Agamemn. 97. τούτων λέξασ᾽ ὅ τι καὶ δυνατὸν Καὶ θέμις εἰπεῖν, Παίων τε γενοῦ τῆςδε μερίμνης, h. e. dic atque ita medearis curae nostrae. Vides non per negligentiam veteres hoc genere uti, sed consulto ubi quae coniuncta sunt ad vim sententiae simul tamen distinguere volunt paullo expressius. Ceterum lectio certa, credo; quod enim Blomfieldus posuit λέξον θ᾽ ὅ τι σοὶ δύνατον, falsum est, quia duplex τέ fortiorem infert disiunctionem quam res patitur. — Ad verba: ἐναρμόξαι μιν ὕμνῳ, confer Callim. in Del. v. 28. Εἰ δὲ λίην πολέες σε περιτροχόωσιν ἀοιδαί, ποίῃ ἐνιπλέξω σε; cuinam potissimum intexam te? — Καστορείῳ, vid. ad Pyth. II. 69. — ἢ Ἰολάου ὕμνῳ, aut hymno, qualis in Iolaum canitur. Quum Iolaus pariter ac Castor rei equestris peritia excelluerit, Thebani vero, ut Aeoles, rei equestris studiosissimi essent, non improbabile est fuisse apud eos νόμον ἵππιον in Iolaum, similem Castoreo. Iam Pindarus suaviter laudem a se ipso in hos heroes factam cum his antiquis nomis comparat, ut alias, cf. praeter Pyth. II, 69. etiam ad Ol. I. 101. — V. 17. διφρηλάται Λακεδαίμονι καὶ Θήβαις κράτιστοι. Quum totus hic de Castore et Iolao locus inprimis etiam ad harum civitatum ipsarum laudem pertinere videatur, ut in Introductione significavi, tenebis, ut Thebani πλήξιπποι erant (cf. ad Ol. VI, 85.), sic etiam Spartanos saepius curules victorias reportasse; cf. Pausan. VI, 1. fin. VI, 2, 1. — V. 18. ἔν τ᾽ ἀέθλοισι θίγον πλείστων ἀγώνων, et in re ludicra plurima certaminum genera attigerunt, veluti δρόμον γυμνόν, δρόμον ὁπλίτην, ἀκοντισμόν, δισκοβολίαν, alia. Si legeretur ἐν ἀγῶσι θίγον πλείστων ἀέθλων, sensus esset, in ludis s. ubi ad aliquam ludorum sollemnitatem venissent, plurima ibi certamina eos gessisse, quod dicere poeta noluit. Quare non erat cur grammatici et recentiores quidam interpretes offenderent ad hunc locum. Licet vero πλείστων ἀγώνων periti essent hi heroes, poeta in sequentibus consulto ea tantum genera nominat, quae propiora essent primario argumento carminis; luctae et pugilatus comme-

moratio nimis aliena erat a carmine curules victorias celebrante. Denique recordaberis etiam historico tempore Thebanos et Spartanos rei gymnicae fuisse studiosissimos, ut iterum sentias horum virtutem simul hic laudari. — Verbis *καὶ τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον καὶ λεβήτεσσιν φιάλαισί τε χρυσοῦ*, suaviter antiquum morem exhibet. Tripodem, lebetem, phialam praemiorum loco vides Hom. Il. ψ, 264 sqq. Constat inprimis tripodes in plurimis antiquioribus certaminibus propositos, nec lebetes inusitati; cf. Schol. Ol. VII, 152. et Anthol. Lips. T. I. p. 184. ibiq. Iacobs. T. VII, p. 162. — *ἐκόσμησαν δόμον*. Sic *ἀπύρους τρίποδας* Hom. Il. IX, 122. explicant Grammatici *τοὺς κόσμου χάριν τιθεμένους ἐν οἴκῳ*. — V. 21. *γενόμενοι στεφάνων νικαφόρων*. Nam etiam in iis certaminibus, in quibus aliud ἔπαθλον datum, vel Pindari temporibus passim coronas additas docui ad Nem. IX, 52. Idem mythico tempore factum esse notatum vide ad Ol. IV, 23. Add. Pausan. V, 17, 4. — V. 22. *λάμπει δὲ σαφὴς ἀρετά κ. τ. λ.*, lucet autem perspicue virtus eorum in gymnicis et in armatis cursibus, h. e. ubi hodieque curritur in stadiis sive nude sive in armis, Castoris et Iolai virtus spectari et fulgere videtur, ut heroum in hoc genere celeberrimorum. *γυμνὸν στάδιον*, cursus nudus, ut Pyth. XI, 49, quum nudi sine subiugaculo currerent, more, ut videtur, inde ab Orsippo recepto Ol. 32., cf. Müller. Hist. Dor. II, p. 260. *στάδιον* vero etiam cursum significare monuimus in nota critica ad Ol. XI, 64. — *ἀσπιδοδούποισιν ὁπλίταις δρόμοις*, vide de armis huius cursus ad Pyth. IX, 1. Traditur etiam mythico tempore in ludis funebribus usurpatus fuisse; cf. Ol. IV, 24. Atque Iolaus quidem *ἐν τῷ ἐπὶ Πηλίᾳ ἀγῶνι* hoc certamine vicerat secundum scholia. De loquutione *ὁπλῖται δρόμοι* Lobeck. ad Sophocl. Aiac. p. 399. comparat *ἀσπισταὶ μόχθοι* Eurip. Electr. 442, *ἀσπίστορες κλόνοι* Aesch. Agam. 412. — v. 24 sq. Constructio videtur haec: *οἷά τε (ἔλαμψε), χερσὶν ἀκοντίζοντες αἰχμαῖς (ὁπότ᾽ ἴεν), καὶ λιθίνοις ὁπότ᾽ ἐν δίσκοις ἴεν*, h. e. et quantopere fulgebat eorum virtus, quum manibus iaculantes iacula certarent et saxeis quum discis contenderent. *οἷα*, ut *ὡς*, quod notum. Suppleo vero hic: *ἔλαμψεν ἀρετά σφισιν*, ex antecedentibus. Alii malint: *οἷα ἔλαμψαν*,

ut ipse etiam olim statuebam; sed non dicit Pindarus *λάμπειν* de personis pro excellere. — *χερσὶν ἀκοντίζοντες* iunge, ut est *χερσὶν ἄκοντα πάλλων* Nem. III, 44, et nunc quidem *χερσίν* oppositionis causa additum, quum antea de cursu pedum dixisset. Cf. ad Ol. XI, 65. Nem. I, 50. — Porro *αἰχμαί* sunt iacula, ut Hom. Il. XI, 44. *ἀκοντίζουσι θαμειὰς αἰχμὰς ἐκ χειρῶν* de iaculis videtur intelligendum; coll. Pind. Pyth. IX, 20. Nem. III, 45. De dativo *αἰχμαῖς* cum *ἀκοντίζειν* iuncto vid. ad Ol. XI, 72. Nem. I, 18. — *ἵεν*, iaculabantur, quae vox etiam absolute ponitur sine accusativo, ut Soph. Ai. 154. *ἱείς*, et *ἥσω* Hom. Il. XVII, 515. Unde *ἧμων* Hom. Il. XXIII, 886. — Postremo *ἐν δίσκοις ἱέναι*, dictum ut Xenoph. Mem. III, 9, 2. *φανερὸν δ᾽ ὅτι καὶ Λακεδαιμόνιοι οὔτ᾽ ἂν Θρᾳξὶν ἐν πέλταις καὶ ἀκοντίοις οὔτε Σκύθαις ἐν τόξοις ἐθέλοιεν ἂν διαγωνίζεσθαι.* Pausan. III, 14, 9. *μάχονται δὲ καὶ ἐν χερσὶ καὶ ἐμπηδῶντες λάξ.* Alios multos usus huius praepositionis notavi in Boeckhii editione. — Ceterum fuit ab antiquo tempore, ut constat, nobilis inter certamina etiam iaculorum et discorum iactus, sed instituto quinquertio, quod complectebatur *ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην*, in ludis iaculorum et discorum certamine nonnisi quinquertiones contenderunt. Unde Pindarus statim addit: *οὐ γὰρ ἦν πεντάθλιον, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἑκάστῳ ἔργματι κεῖτο τέλος*, h. e. nondum enim erat mythico tempore quinquertium cum uno praemio, quinque certaminibus coniunctis constituto, sed unicuique certamini singulatim positum erat praemium. Similiter Schol. Apollon. Rhod. IV, 1091. *τὸ δὲ πένταθλον οὔπω ἦν, ἀλλ᾽ ἰδίᾳ ἓν ἕκαστον τῶν ἄθλων ἤθλουν.* Formam *πεντάθλιον* vidimus iam Pyth. VIII, 66. Et *τέλος* pro praemio Ol. XI, 67. Nec non *κεῖσθαι* notum, ut Hom. Il. XXIII, 273, et *ἀντικεῖσθαι* Isthm. VI, 26, et *τιθέναι* Nem. X, 48. — V. 28. *τῶν ἀθρόοις* cet. Quorum certaminum multis saepe coronis redimiti. *θαμάκις* post *ἀθρόοις* cumulate additum cum vi, ut sensus sit: persaepe vicerunt. Ceterum suaviter redit poeta in fine ad coronas supra iam memoratas. Ac quum his Castoris et Iolai laudibus simul victoriae a Thebanis et Spartanis reportandae significationem inesse coniecerimus, vide ne tecte simul praemonstrare voluerit eas coronas, quas etiam pugnatores mox habituri sint *καλλίνικοι*, reduces ad Dircam et Eurotam. — V. 30. *ὁμό-*

δαμος Σπαρτῶν γένει, popularis Thebanis. — Θεράπνας ἕδος, Nem. X, 56. — χαίρετε, valete.

V. 32—40. Memoratur patris fortuna Asopodori olim graviter afflicta, nunc restituta. — Post χαίρετε oratio sic procedere poterat: Ego vero iam ad alia accedo, iam ad Herodoti victorias canendas accedo; et hoc fere voluit poeta. Praetulit tamen digniorem et ornatiorem formulam, relicta laude tantorum heroum. Urbs Onchestus erat ad Copaidem sita; prope urbem in edito loco fuit cum luco templum Neptuni (cf. Müller. Orchom. p. 71.). Ibi curulia certamina inde ab antiquissimo tempore habita; cf. Hom. Hymn. Apoll. 230. Heyn. ad Il. II, 506. Herodotus vicerat in his et in aliis multis ludis infra memoratis, sed in his quidem eodem deo ἱππίῳ auctore, quo vicerat in Isthmiis. Sic nunc Onchestum cum Isthmo coniungens praemissoque Neptuni nomine eximiam formulam composuit, qua et victoriae Herodoti apte designarentur omnes, et transitus efficeretur dignus ab heroum laude. Ceterum Neptunus Isthmius et Onchestius similiter coniunctus Isthm. III, 38. — περιστέλλων, parans, adornans, componens ornate, κοσμῶν ut Heynius explicat; Schol. ait θεραπεύων, ἐπιμελῶς παρέχων. Coniunxit vero haec, quae explicuimus, verba brevitatis causa statim per participium cum sequentibus. Hoc igitur dicit: Ego vero Neptuno, et Isthmo Onchestoque, ceterisque Herodoti victoriis laudem parans, inter honores huius viri canam memorabilem patris fortunam. Sic ad hanc pergit. ἀγακλέα αἶσαν dicit, quod eiectus Asopodorus Thebis post maximam calamitatem pristinam felicitatem recuperavit. — v. 35. Ὀρχομενοῖο πατρῴαν ἄρουραν, quum maiores Asopodori Orchomenii essent. — ἅ νιν ἐρειδόμενον ναυαγίαις κ. τ. λ., quae eum afflictum naufragio ex immenso mari, ex fluctibus turbarum civilium, in tristissima fortuna recepit. ἐρείδειν est pulsare, trudere, premere, urgere, ut Ol. IX, 33. Hom. Il. XVI, 108., ubi Schol. ὠθοῦντες. Ceterum metaphora hic usus est Pindarus, ut graviter diceret et tamen turbas Thebanas civiles non nominaret aperte; exempla autem alia huius metaphorae vid. ap. Blomfld. ad Aesch. Prometh. p. 156. — v. 39. Nunc ad pristinam reduxit eum fortuna congenita felicitatem.

ἐπέβασεν εὐαμερίας, usitatissimum dicendi genus, cf. Musgrav. ad Soph. Oed. R. 791. add. Hom. Od. XXII, 424. Apollon. Rhod. IV, 1166. — φέρει, ἔχει, Nem. III, 30. Habet nunc et consequutus est prudentiam, providentiam fortunae adversae experimentis. — Ceterum monui iam in Introductione adversarum rerum praeteritarum mentione augeri iucunditatem praesentis fortunae, unde Pindarus praeterita mala passim commemorat, ut Pyth. V, 10, Isthm. III, ubi vide Introd.

V. 41 — fin. Laudes et victoriae Herodoti. In fine etiam Pythiam et Olympicam coronam optat. Praemissae sunt sententiae generales de conatibus honestis laude decorandis. — V. 41. sqq. Si quis virtutis gloriae incumbit omni studio, utrumque et sumptibus et laboribus, oportet eam nactis magnificam praedicationem non invida mente tribuere. πᾶσαν ὀργάν est ut πάντα τρόπον, cf. Matth. Gr. p. 784. κατάκειται ἀρετᾷ dictum videtur ut ἔγκειμαι, ἐπίκειμαι ἀρετᾷ, quanquam exemplum aliud non suppetit. Hermannus, εἰ δ' ἀρετὰ κατάκειται legens, exponit: Si cui summo studio parata virtus est, eum, inquit, laudare decet. Comparat Isthm. IV, 17. τὶν δ' ἐν Ἰσθμῷ διπλόα θάλλοισ' ἀρετά, Φυλακίδα, κεῖται. Mihi in hac explicatione πᾶσαν ὀργάν displicet, nunc admodum dure cum κατάκειται iunctum. Quare alteram rationem praefero cum Boeckhio. Notanda igitur hic est omissio pronominis τὶς, vid Herm. ad Vig. 730, 7. 39, 934. Hom. Il. XIII, 287., tum coniunctio singularis huius cum plurali εὑρόντεσσιν. Exempla vide apud Heindorf. ad Platon. Gorg. p. 105. Protagor. p. 499. Erfurdt. ad Soph. Antig. 705. — νὶν εὑρόντεσσιν, scil. ἀρετάν, cf. Ol. VII, 89, ibiq. monita. — κόμπον, Nem. VIII, 49. Isthm. IV, 26. — μὴ φθονεραῖσι γνώμαις, large. — ἀνδρὶ σοφῷ, poetae. — ξυνὸν ὀρθῶσαι καλόν, publicum erigere decus, canere quod simul patriae honorificum sit. De verbo ὀρθῶσαι vid. ad Ol. III, 3. — V. 47. Placet enim alii alia laborum merces. ἐφ' ἔργμασιν, pro operibus, neque tamen ἐπί proprie pro ἀντί est, sed propositum operibus praemium significat, ut supra v. 26. legimus ἀλλ' ἐφ' ἑκάστῳ ἔργματι κεῖτο τέλος. — ὃν πόντος τρέφει, piscando. De piscatore enim, non de mercatore, cogitandum ob

similes homines, qui hic memorantur, et quia proprius verborum sensus praeferri debet remotiori; proprie autem mare alit piscatorem. Quare non loquutus est ambigue Pindarus. — V. 49. *γαστρὶ δὲ πᾶς τις ἀμύνων λιμὸν αἰανῆ τέταται*, ventri enim omnis homo depulsurus famem molestam laborat, vitam enim quilibet ante omnia sustentare studet. *τέταται* laborat, intentus est, *σπεύδει*, cf. Pyth. XI, 54. Ceterum subiecta haec est sententia ad explicationem antecedentium et cum his coniungenda. Quare colon posui post *τρέφει* et punctum post *τέταται*. — V. 50 sq. Qui vero in certaminibus aut proelians reportaverit gloriam splendidam, *laudatus* lucrum summum consequitur, civium et peregrinorum praeconia. Opponit poeta, ut vides, nobiliores conatus artibus et negotiis ventri inservientibus. De vi rhetorica oppositionum saepe monuimus, cf. ad Ol. I, IX init. Nem. VIII, 37. al.; nunc autem defensio inesse videtur contra iniquos quosdam reprehensores, qui ipsi divitias suas abscondentes vituperabant Herodotum, quod certaminibus pecunias insumeret. — *ἀμφ᾽ ἀέθλοις*, in certaminibus. — *κῦδος*, victoriam. — *γλώσσας ἄωτος*, sermonis decus (das Schönste der Rede), pulcherrimi sermones. — V. 52. sqq. Iam victorias Herodoti enumerat. Ac primo loco ponit Neptunum Onchestium, *γείτονα*, finibus Thebanorum vicinum. Onchestus, supra cum Isthmo memorata, ut formula ornatior haberetur ad significandas Herodoti victorias summatim, nunc ubi victoriae praeter Isthmiacam data opera enumerantur omnes, non visa est praeteriri posse. — *εὐεργέτας ἁρμάτων ἱπποδρόμιος* est deus secundans *ἱπποδρομίαν ἁρμάτων*. — *σέθεν*, *Ἀμφιτρύων*, *παῖδας*, Herculem et Iolaum, Iphiclis filium. Intelligit autem Heraclea, quae etiam Iolaia, Thebis quae agebantur. Vid. ad Ol. IX, 98. Vocativo utitur honoris causa, quippe de domesticis loquens heroibus. — *τὸν Μινύα μυχόν*, intelligit *Μινύεια*, cf. Schol. ad. v. 11. Fuisse videntur ludi funebres prope sepulcrum Minyae, quod memorat Pausan. IX, 38, 3. *μυχόν* dicit planitiem illarum regionum sub montibus ad Cephisum. Minyas autem est auctor gentis Minyarum, pater Orchomeni. — *Ἐλευσῖνα*, ubi Eleusinia acta et Demetria; cf. ad Ol. IX, 99. Demetria Schol. ad h. l. intelli-

gunt. Dicitur Eleusis ἄλσος Δάματρος, h. e. τέμενος, cf. ad Ol. VII, 49. — Εὔβοιαν, cf. ad Ol. XIII, 112. — γναμπτοῖς δρόμοις, cf. Ol. III, 33. et vid. ad Pyth. V, 31. — Postremo de constructione totius loci hoc tene. Quod Neptunum dixit εὐεργέταν ἁρμάτων, etiam de sequentibus heroibus et locis intelligendum. Ergo Neptunum, Amphitryonis progeniem, Minyae vallem, Eleusin, Euboeam, haec nomina omnia ἔοικε κελαδῆσαι ut εὐεργέτας ἁρμάτων in cursibus, ἐν γναμπτοῖς δρόμοις. — V. 58 sqq. Phylace sita fuit prope sinum Pagasaeum ad fines Boeotorum et Phthiotarum. Huius urbis rex Protesilaus notissimus navi egressus primus ad Troiam occubuerat, Hom. Il. II, 695 sqq. Dedicatus ei fuit in urbe patria ἐπιτάφιος ἀγών, ad sepulcrum celebratus. Unde τέμενος hic memoratur. Nam in hoc erat sepulcrum. — συμβάλλομαι, adiicio. — Postremo vocativum nota; ne enim diutius continuata constructio languidam redderet orationem, nervosius et alacrius dicendi genus adhibuit in fine enumerationis: Tuum vero, Protesila, Achaeorum ad Phylacem delubrum addo. — ἀφαιρεῖται, prohibet. Dicitur ἀφαιρεῖσθαι ποιεῖν et μὴ ποιεῖν, cf. Heindorf. ad Plat. Sophist. p. 426. — τὸ σεσωπαμένον, saepius etiam quod silentio praeteritum est maiorem iucunditatem affert. Nam displicent nimia propter hominum invidiam. De forma σωπᾶν vidimus Ol. XIII, 91. — V. 64 sqq. Sequitur exitus. Utinam, ait poeta, celebrantium Musarum alis sublatus, h. e. celebrantibus Musis, s. inter cantus Musarum, aliquando etiam Pythiis et Olympicis frondibus implicet manum. De symbolicis Musarum alis vid. I. H. Vossii Epist. Mytholog. T. II, 5. Quod vero cantu celebratur ποτανόν dicitur; cf. ad Pyth. VIII, 34. — ἔρνεα Πυθῶθεν sunt frondes Pythiae, Ὀλυμπιάδων Ἀλφεοῦ ἔρνεα sunt Olympicorum ludorum frondes ad Alpheum crescentes. — φράξαι χεῖρα. Coronam qui reportavit fert eam in capite epinicia agens, aut sollemniter rediens in urbem. Quid autem si plures coronas habet, vel ex iisdem ludis, veluti Xenophon Ol. XIII, 30., et pater Thessalus ibid. v. 38.? Unam capite gerit, aio, reliquis manus implicat. Nero Romam reversus est e Graecia coronam capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam, Sueton. Ner. c. 25. Adde Paschal. de Coronis

V, 5. Sic Pindarus, quum Herodotus nunc ipsum in his epiniciis Isthmicam coronam capite gerat, aliis manus ornaverit, commode optat, ut etiam Pythia et Olympica corona cingat aliquando manum. Adhibui hunc locum ad explicationem Ol. II., 74., ubi de heroibus agitur post exantlatos triplicis vitae ἄθλους aureis coronis donatis. — V. 67 sq. Si quis autem intus servat divitias absconditas, aliter autem sentientes incessens ridet, non reputat animam morti se redditurum sine gloria. — ἔνδον νέμει, in domo habet, non utitur ad res gerendas. — ἄλλοισι δ' ἐμπίπτων γελᾷ, aliis autem aliter sentientibus insultans ridet, sibi placet insultans. Scholiastes explicat ἐπεμβαίνων καταγελᾷ, quod tamen dixisset Pindarus ἐμπίπτει γελῶν, cum irrisione insultat. — τελεῖν, reddere debitam. — φράζεται c. participio, notissima constructione. Tangit Herodoti reprehensores putidos.

Carmen Isthmium secundum.

INTRODUCTIO.

Xenocrates Agrigentinus, frater Theronis, de quo iam ad Ol. II. et Pyth. VI. diximus, vicerat in Pythiis, Isthmiis et Atticis Panathenaeis; ac Pythiam quidem victoriam reportaverat pro eo Thrasybulus filius, cf. Pyth. VI., Isthmiam vero et Atticam, ut infra legemus, Nicomachus auriga, qui etiam pro Therone in Olympia certaverat. Propositum carmen Isthmiae victoriae epiniciis celebrandis scriptum est, reportatae ante Ol. 76, 1.; eo enim anno Thero consequutus est Olympiam victoriam carmine Ol. II. laudatam, ubi haec Isthmia Xenocratis memoratur. Quo tamen anno scriptum sit, ignoramus, nisi quod non ante Ol. 77, 1. factum id esse infra patebit; mortuus erat Thero, defunctus Ol. 76, 4.; mortuus etiam Xenocrates, de quo loquens Pin-

darus per totum carmen nonnisi praeteritis temporibus utitur, ut notaverat etiam Asclepiades secundum Scholia. Missum igitur carmen est ad Thrasybulum, ut redeuntibus victoriae paternae sollemnibus apud hunc in convivio Agrigenti caneretur. Accipe nunc argumentum: Post prooemium de Musa mercenaria, quo dilatio carminis excusatur, laudat poeta victorias Xenocratis, Isthmiam, Pythiam, Atticam, et addit suavi transitu etiam Olympicae, quam Thero tulerat, mentionem: esse praeclaram hanc domum minime ignaram comissationis et cantuum. Deinde virtutes Xenocratis recenset uno in conspectu positas omnes, ingenium mite, studium equestre, pietatem erga deos, hospitalitatem plane singularem. Postremo hortatur Thrasybulum, ne sileat virtutem paternam invidiae metu, sed canendum curet carmen, ut veniat in notitiam hominum destinatum. Ita Pindarus. Vides rationem carminis simplicem et apertam. L a u d a t p o e t a i n X e n o c r a t e o p t i m a r u m v i r t u t u m s o c i e t a t e m, i n g e n i u m m i t e i n c i v e s e t a c r u d e l i t a t e a l i e n u m c u m l i b e r a l i t a t e e t m u n i f i c e n t i a p r a e c l a r a i n o p t i m i s q u i b u s q u e r e b u s. Nempe sublata tunc erat tyrannis Agrigentina, et democratia restituta post expulsum Ol. 76, 4. Thrasydaeum; cf. Introd. ad Ol. XII. Quare immortali laude ornans Xenocratem Pindarus et Theronis etiam memoriam commode recolens illustre monumentum ponit duobus hisce fratribus eximiis, qui decora maxima Agrigenti fuerant, ne post exstinctum regium imperium obliviscatur populus quales hi viri fuerint. Thrasybulum vero ad ceterorum tum civium conditionem depressum vides cur moneat diserte in fine, ne invidiae metu has laudes reticeat.

E X P L I C A T I O.

V. 1 — 11. P r o o e m i u m. De M u s a m e r c e n a r i a, a d e x c u s a n d a m c a r m i n i s h u i u s d i l a t i o n e m. — *χρυσαμπύκων*, cf. Ol. VII, 64. — V. 2. *ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον*, h. e. poesin tractabant. Utitur vero nunc hac metaphora, ut monitum ad Ol. VI, 22 sqq., propter curules victorias

Xenocratis, quas mox canet, suaviter ductam a re praesenti loquutionem, ut solet, ad universum genus transferens, de qua ratione saepe diximus, ut ad Ol. VII. Prooem. — κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμενοι, ad citharam accedentes, citharam sumentes. Cave vertas cum Heynio: cum cithara accedentes. — ῥίμφα, prompte, ῥᾳδίως καὶ ἑτοίμως. Perquam aptum ad celeritatem significandam nunc etiam ἐτόξευον est, metaphora ceterum saepe lecta in antecedentibus. — παιδείους ὕμνους. Fuerunt ὕμνοι παίδειοι carmina in pueros amatos scripta, qualia permulta erant veterum lyricorum Alcaei, Ibyci, Anacreontis, aliorum. — V. 5. ὀπώραν, pubertatem, Nem. V, 6. — μνάστειραν, memorem, cupidam; cf. Pyth. XII, 24. — V. 6. ἐργάτις, mercenaria; cf. Callimach. Fragm. p. 456. Ernest. servatum hic in Scholiis. Ut ἐργάζεσθαι, ἐργασία, de quaestu. Primus Simonides dicebatur Musam venalem habuisse; etiam Pindarum pretium sumpsisse vidimus ad Pyth. XI, 41. — V. 7 sq. οὐδ' ἐπέρναντο — ποτὶ Τερψιχόρας ἀργυρωθεῖσαι πρόςωπα μαλθακόφωνοι ἀοιδαί, nec vendebantur dulces a Terpsichore cantus argento depravati. Forma πέρνημι pro πιπράσκω, cognita maxime epico usu, legitur etiam Eurip. Cyclop. 271. — ἀργυρωθεῖσαι πρόςωπα sunt haud dubie quae ab argento colorem habent (die nach Silber aussehen), h. e. quae vultu suo tristiore et frigidiore produnt mercenaria se meditatione orta. Quum enim χρύσεα sint ardentia, laete splendentia, ἄργυρος contra frigoris aliquam speciem habet; qua observatione pulcre nunc utitur poeta. πρόςωπον autem est omnino facies rerum, ut constat, cf. Pyth. VI, 14. Terpsichoren nominat, ut vides, choricam poesin designans, qualis sua celerorumque lyricorum Doriensium; nec sine causa epitheta cumulavit γλυκεῖαι, μελιφθόγγον, μαλθακόφωνοι, iucunde dolens, licet ipse etiam pretium sumeret, tam suaves Musae cantus nunc argenti colore frigido imbui. Optime denique pro poetis Musam dicit. Haec enim omnia ad decorem tractationis hic pertinent. Sic omnia clara videntur. Heynii explicationem verborum: ἀργυρωθεῖσαι πρόςωπα, habentes quasi in fronte titulum hunc, venales se prostare, refutavi iam in Boeckhii editione. Nec melius

Erfurdt. ad Soph. Antig. 1064. explicat argenti pretio pactas. Quid enim est argenti pretio pactus κατὰ τὸ πρόςωπον? — V. 9 sqq. Nunc autem iubet Musa Argivi hominis observari vocem tanquam verissimam, Nummi, nummi homo, qui dixit opibus simul privatus et amicis. De forma ἐφίητι vide quae notat Gregor. Corinth. p. 255. Lips. Fuit autem hic vir Aristodemus, oriundus Argis, Spartam vero quum habitatum concessisset, vulgo Spartanus dictus; cf. Alcaeum apud Schol., ubi etiam de eius dicto. Adde Suid. v. χρήματ᾽ ἀνήρ, et Zenob. Prov. p. 148. Vixit tempore septem sapientium. Quaeras, cur Pindarus Argivum nomen praetulerit. Nempe quod gens Eumenidarum, cuius erat Thrasybulus, originem ducebat ex eadem urbe, a Thersandro Adrasti nepote, cf. Ol. II.; quare sic minus etiam dubitari poterat Thrasybulo notum esse illud dictum, ut sensus sit: Nunc Musa laudat Argivi tibi cogniti dictum. — φυλάξαι, observare, obtemperare, veluti ἔπος Πηληϊάδαο φύλαξεν Hom. Il. XVI, 686. — ἀλαθείας ὁδῶν ἄγχιστα βαῖνον, ad veritatem proxime accedens. Ad ἀλαθείας ὁδῶν cf. Pyth. III, 105. — Χρήματα, χρήματ᾽ ἀνήρ, scil. ἐστί, h. e. pecunia nunc pro homine est, nummi sunt quibus censetur homo. Hunc esse sensum patet etiam ex Alcaei verbis in Scholiis, ac comparat Suidas aliud: ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσιν. Noli vero vertere: Nummos, nummos homo postulat. Sic enim omittendum fuisset ἀνήρ, et dicendum simpliciter: χρήματα, χρήματα. Postremo ipsum tum pecuniae amorem nimium quod attinet, quem queritur Aristodemus, cf. de eo Müller. Hist. Dor. II. p. 11. — κτεάνων θ᾽ ἅμα λειφθεὶς καὶ φίλων. Adiecta haec a poeta necessario, ad causam et sensum dicti intelligendum. — λειφθείς, h. e. στερηθείς, ut notum. — Explicatis singulis monendum est de universo prooemii sensu. Non recte Heynius: More veterum poetarum, qui pueros pulcros amarent et carmina non lucri causa scriberent, quod vulgo nunc fieri soleat, se hymnum suum Thrasybulo, pulcro adolescenti, mittere dicit poeta. Nam nec παίδειος ὕμνος hic est aut cum hoc genere comparari potest, nec Thrasybulus tum erat adolescens, qui quum in Pythiis Pythiad. 24. Ol. 71, 3. auriga fuerit pro patre (cf. Pyth. VI.), si tum octodecim mini-

mum annos habuit, Ol. 77, 1. egit annum quadragesimum. Non minus aberraveris, si cum Scholiasta statuas Pindarum pretium sibi postulare hoc prooemio. Aliud est loqui de mercede pacta, ut facit aliquoties poeta, aliud postulare in carmine mercedem, et postulare ab amico dilectissimo, cuius non semel expertus sis hospitalitatem; vide ne haec tanta sit impudentia, quae Pindaro tribui nullo modo possit. Neque hoc flagitant verba. Quid igitur ait? Thrasybulus post mortem patris epinicia victoriae Isthmiae celebraturus significaverat, credo, Pindaro gratum sibi fore, si carmen ab eo haberet; quod quum forte dilatum esset, Pindarus alia Isthmiade, iterum redeunte epiniciorum tempore, hoc carmen per Nicasippum transmisit, excusans se in hunc modum: Olim poetae currum Musarum conscendentes prompte pueriles canebant hymnos, ubi quis formosus annos habebat amori aptos, neque enim tum mercenaria Musa erat; nunc vero iubet Argivi hominis vocem observari tanquam verissimam, nummi homo, qui dixit: h. e. at nunc postquam Musa Aristodemi dictum probavit, non iam licet semper prompte amicitiae obsequi, ubi pactis obediendum, quum olim nullis huiusmodi obligationibus obstricti poetae illud prompte sequerentur, quo duceret amor. Sic non postulat mercedem, quod ineptissimum, sed ridens suaviter Musam mercenariam excusat dilationem carminis eo, quod, opera ante locata aliis, non statim officium praestare potuerit Thrasybulo.

V. 12 — 34. De victoriis curulibus Xenocratis, Isthmia, Pythia, Attica, nec non Olympica Therdnis. — *ἐσσὶ γὰρ ὤν σοφός*, intelligis enim quae dico, ut pluribus verbis non sit opus. Sic Pyth. IV, 263. *Οἰδιπόδα σοφία* est quae aenigmata et obscurius dicta perspicit. Dixerat autem Pindarus tectius nec tam disertis verbis quae pluribus ante aperui. — *οὐκ ἀγνῶτ' ἀείδω Ἰσθμίαν ἵπποισι νίκαν*, quare cano Isthmiam patris victoriam, quare transeo ad Isthmiam victoriam Xenocratis canendam. Sunt enim haec verba pro apodosi antecedentis membri, *ἐσσὶ σοφός*, in quo protasis inest, quasi dixisset: Quum haec verba mea tibi non obscura sint, venio nunc ad laudem

victoriae. Quare non opus est particula copulante in secundo membro. Cf. ad Ol. II, 46. et Excursum de Asyndeto. Porro οὐκ ἀγνῶτα verte: non illaudatam, iam ante me cantatam, quum etiam Simonides eam cecinisse tradatur, cf. Schol. init. carm. Comparabis igitur γιγνώσκομεν, per carmina novimus, Pyth. III fin. et ἄγνωστοι σιωπαί Isthm. III, 48. Sic commode monet hoc epitheto victoriam, quanquam ipse nunc demum canat, interim non fuisse obscuram. — V. 16. πέμπεν, per aurigam currumque redeuntem. Nota vero imperfectum, positum, credo, quum huius victoriae, licet diu ante partae, sollemnia nunc agantur. Isthmiae enim victoriae epiniciis celebrandis carmen scriptum. — ἀναδεῖσθαι verbum proprium de coronis per totum Pindarum. — Δωρίων, cf. ad Ol. VIII, 30. — σελίνων, palustre, credo, apium in Isthmiis datum, ut significavi ad Ol. II. p. 37. Quod enim Isthmium apium ξηρόν dicitur, Nemeaeum vero χλωρόν, non credo cum Vossio ad Virg. Eclog. VI. p. 324. illo oreoselinon, hoc helioselinon significari, quod annotare oblitus sum ad Ol. XIII, 33. — V. 18. εἶδε, benevole adspexit, cf. ad Ol. VII, 11. — ἀγλαΐαν, Ol. XIII, 14. Intelligitur victoria Pyth. VI. cantata. — V. 19 sq. κλειναῖς δ' Ἐρεχθειδᾶν χαρίτεσσιν ἀραρὼς sqq., claros autem Erechthidarum honores consequutus Athenis, non vituperavit manum peritam, quam Nicomachus opportune admovit omnibus habenis, h. e. Atticam vero victoriam Nicomachi debuit dexteritati, quod ita dicit, quia in Pythiis Thrasybulus filius auriga fuerat, ut vidimus Pyth. VI. — χάριτες, decora ludicra, praemia ludicra. — ἀραρώς, h. e. μιχθείς, ut toties alias, cf. Ol. I, 22. — οὐκ ἐμέμφθη, minime vituperavit, valde laudavit, negativa forma dicendi iterum cum vi posita; cf. ad Nem. I, 23. Cave vero vertas passive: non vituperatus est quod attinet ad dexteritatem aurigae, quae constructio Graeca non est. Habet enim certos fines, vulgo non notatos, hic accusativi usus. — ῥυσίδιφρον, servatricem currus, perite tuentem, ne collisus currus metae aliisve curribus frangeretur. Sic ῥυσίβωμος, ἐρυσίπολις, ut male vulgo vertant: currum habenis regens. Denique genitivi πλαξίπποιο φωτός sunt pro adiectivo voci χεῖρα

iungendo, et manus equestris viri est manus equestris, manus regendi perita; de quo genere constructionis vid. Seidl. ad Eurip. Electr. 651. Herm. ad Vig. p. 890. Matth. Gr. p. 623. Bernhardy Synt. p. 163. — V. 22. νεῖμ᾽ ἁπάσαις ἀνίαις, admovit omnibus habenis, ut in citato cursu; cf. Virg. Aen. V, 815. Is enim evadit victor, qui iusto tempore immissis omnibus habenis ceteros praevertere novit. — V. 23 sqq. ὅντε καὶ κάρυκες ὡρᾶν ἀνέγνων cet., quem etiam praecones sollemnitatis recognoverunt, Fetiales Iovis Elei, experti, credo, aliquod ab eo hospitale officium, dulcique salutarunt voce ante in Victoriae gremium illapsum in terra ipsorum, quam dicunt Olympii Iovis templum: ubi immortalibus Aenesidami filii honoribus mactati sunt. — ὧραι, tempora festi Olympici, ut Ol. IV, 1. — σπονδοφόροι Ζηνός, sacerdotes Iovis, magistratus sacri Olympici, qui futura Olympica sollemnitate festum, σπονδάς et ἐκεχειρίαν civitatibus denuntiabant. Unde hic κάρυκες ὡρᾶν dicuntur. Egit de iis inprimis Boeckhius in edit. maiore ad h. l. Confer etiam Passovii Lexicon. — παθόντες πού τι φιλόξενον ἔργον, hospitio, ut videtur, cum Nicomacho contracto, quum hic in Olympia versaretur et pro Therone certaret. — ἀνέγνων, recognoverunt, quomodo? Videntur ludi Attici, in quibus Nicomachus pro Xenocrate certavit, Panathenaea minora fuisse, mense Hecatombaeone quae celebrabantur; quare Fetiales Olympici, qui circa idem tempus Peloponnesi civitatibus festum Olympicum indicabant quinto quoque anno, ut constat, mense Hecatombaeone agendum, vel in Peloponnesi aliquo loco, quem forte transibat Nicomachus, vel, quod verisimilius, Athenis, quo et ipsi ob causam quandam profecti erant, principe iam tum Athenarum civitate, invenerunt certaturum in Panathenaeis et recognoverunt salutaruntque tanquam eum, qui ante apud ipsos in Olympia vicisset. Quum autem Nicomachus in Olympia vicerit Ol. 76, 1., facta haec recognitio vel Ol. 77, 1., vel postea alia Olympiade; ut appareat propositum carmen non ante Ol. 77, 1. scriptum. Ita totum hunc locum eximie explicat Boeckh. in editione maiore. Poeta autem suaviter ab Atticis ludis sic transitum sibi parat ad Olympicae victoriae mentionem, quam in his familiae honoribus omittere non licebat. — V. 25. ἀδυπνόῳ, Ol.

XIII, 22. — ἐν γούνασιν πιτνόντα Νίκας, h. e. victorem; cf. Nem. V, 42. — τὰν δὴ καλέοισιν Ὀλυμπίου Διὸς ἄλσος, magnifice adiectum ad splendorem victoriae augendum. — ἄλσος, ut Ol. XI, 45., dictum de universo loco sacro. — ἵν' ἀθανάτοις Αἰνησιδάμου παῖδες ἐν τιμαῖς ἔμιχθεν, ubi vicit Thero, sed victoriae honore redundante etiam ad familiam fratremque Xenocratem, aptius dicit: ubi Aenesidami filii, Thero et Xenocrates, immortales honores consequuti sunt. — ἀθανάτοις, ob insignem laudem victoriae Olympicae, nunc quidem consulto electum epitheton, quum uterque frater iam defunctus esset. Ceterum alienum est Horatianum „Dis misceri superis“ Od. 1, 1, 30. — V. 30. Nam domus vestra multas vidit victorias, nec ignotae vobis comissationes epiniciorum cantusque. Ac Simonides quidem prius Isthmiam Xenocratis victoriam cecinerat, ut supra monitum, Pindarus autem Olympicam Theronis, Pythiam et Atticam Xenocratis, Pythiam quidem carmine Pythio sexto, Atticam vero Scolio infra inter Fragmenta considerando, si hoc Scolion ante nostrum carmen scriptum est. Ceterum ad οὐκ ἀγνῶτες cf. Nem. I, 23. — V. 33 sq. Neque enim montanus adscensus est nec ardua via, h. e. carmina facilia sunt, ubi praeclari viri canendi, ubi quis praeclarorum virorum in domum laudes Musarum ducat. — ἐς ἀνδρῶν cum Heynio explico pro ἐς οἶκον ἀνδρῶν, quod genus dicendi non prosae tantummodo orationi convenire dixerim cum Boeckhio. Hom. Od. IV, 581. ἂψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο, Διιπετέος ποταμοῖο, στῆσα νέας. — εὐδόξων, qui victorias reportarunt.

V. 35 — ad fin. Recensentur omnes Xenocratis virtutes, et monetur Thrasybulus in fine, ne taceat hunc hymnum invidiae metu. — μακρὰ δισκήσαις ἀκοντίσσαιμι τοσοῦθ' cet., utinam longa mittens discum tantum iaculer, quantum Xenocrates ingenio suavi ceteros homines antecellebat, h. e. utinam quam maxima laude assequi possim plane eximiam viri virtutem. Metaphora a disci iactu petita, ubi nullus terminus praepositus. Quare ἀκοντίσσαιμι improprie dictum; iaculatio proprie dicta, ubi scopum certum iaculo petebant, aliena est ab hoc loco. Vid. ad Nem. VII, 71. — ὀργάν, cf. ad Pyth. I, 89. Ut hic

ὀργὰ γλυκεῖα, sic Pyth. VI fin., ubi vid. γλυκεῖα φρήν, ingenium suave, come, amoenum. — ὑπὲρ ἀνθρώπων, Nem. IX, 54. ὑπὲρ πολλῶν. — V. 37. αἰδοῖος ὁμιλεῖν, venerabilis usu. Cf. de construct. ad Ol. VII, 26. Add. Bernhardy Synt. p. 360 sqq. Et vide Solon. Carm. V, 5., etiam propter sensum hic conferendum, εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν, τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν. — ἱπποτροφίας τε νομίζων, nec sumptibus parcens in equis alendis, convenienter Graeco more. Est νομίζων exercens; cf. interprett. ad Aesch. Choeph. 999., ubi laudatur Eurip. Alcmaeon. XIII, 2. τοὺς νομίζοντας τέχνην. Est exercens rite et observans. τέ respondet particulae μέν. — V. 39. καὶ θεῶν δαῖτας προςέπτυκτο πάσας, et deorum epulas amplectebatur omnes. προςπτύσσεσθαι, studiose amplecti, est operam dare sacrificiis deorum epulisque offerendis sacris. Vidimus iam ad Ol. III, 39. Eumenidas liberalissime coluisse deos. Pro participio, ne continuetur diutius eadem constructio, quod non poeticum, nunc ad verbum finitum redit. — οὐδέ ποτε ξενίαν κ. τ. λ., nec unquam ventus circa hospitalem mensam spirans vela demisit, h. e. cessavit. — ὑποστέλλειν est demittere et contrahere vela, cf. Herm. ad Vig. p. 762. Schaefer. ad Gregor. Corinth. p. 347. Ventus contrahit vela, quum remittens aut cessans facit, ut vela contrahantur. Soph. Ai. 659. δεινῶν δ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον, ventus placavit mare cessando, ubi cf. Interpp. Expandere vela est de liberalitate et hospitalitate, ut vidimus Pyth. I, 90. Metaphora Graecis familiaris, ut quod Pindarus dixit iis non videretur audax. At audaciora sequentia. ἀλλ' ἐπέρα ποτὶ μὲν Φᾶσιν θερείαις κ. τ. λ., sed navigabat ad Phasin aestate, hieme vero Nili ad litora. Locus multis reprehensus, quem ego ita explico: θερείαις, aestivis temporibus, aestate, veluti θερείῃ Herodot. I, 189. Participium πλέων Matth. Gr. p. 1300. opponit v. finito ἐπέρα. Defendo hoc genus Pyth. I, 79, ubi vim eius disces. Sed nunc non habeo aptum, quasi maior quaedam vis in altero membro sit. (Er fuhr zum Phasis im Sommer, indem er aber zugleich im Winter zum Nil schiffte.) Immo πλέων adiectum ad ornatum, ut fit in secundis membris. — Phasis et Nilus autem sunt duo nobiles

navigationis termini, quorum ille homini Siculo remotior, hic propior, quanquam etiam sic aliquantum distans. Iam sensus: Xenocrates nunquam contrahebat hospitalitatis vela, sed tendebat ad remotissimos quidem fines aestate, hieme vero propiora quidem litora, extremos tamen ab altera parte terminos, petebat. Fuit Xenocrates homo liberalissimus, patuitque eius domus omni tempore advenis; sed quum plerique homines aestate itinera facerent, uti etiam nunc faciunt, aestate plurimus erat hospitum aditus et maxima frequentia, quare tunc hospitalitas eius summum attingebat gradum, s. remotissimos assequebatur fines. Hieme vero minus frequentata erat eius domus propter anni tempus, sed ne tum quidem plane defuerunt hospites, patuitque liberalitas etiam tum quantum per anni tempus posset s. alterum in hoc genere terminum attigit. Praestitit igitur Xenocrates quod summum esset in hoc genere pro anni temporibus. Verum, ais, cur Pindarus tam mira, tam tumida loquutione usus est? Ipse dixit, scribens: *Μακρὰ δισκήσαις ἀκοντίσσαιμι τοσοῦθ', ὅσον ὀργὰν Ξεινοκράτης ὑπὲρ ἀνθρώπων γλυκεῖαν ἔσχεν.* Volebat, ut vides, enormem liberalitatis magnitudinem exprimere imagine aeque grandi et enormi, et negari nequit eum quod volebat plane perfecisse. Ego enim hoc quoque admiror in Pindaro, quod eum etiam in maximis rebus exprimendis ingenium suum non destituit, licet tales imagines non ex hodierno usu sint. Tamen non nego mihi magis placere alios duos locos in carminibus Phylacidae scriptis Isthm. IV, 45. V, 22. Ceterum alias aliorum explicationes huius loci refutavi in Boeckhii editione. Atque hae quidem sunt virtutes Xenocratis, de quarum enumeratione haec addo: Superabat, ait poeta, hic vir omnes ingenio miti et humano. Erat venerabilis civibus usu (nunquam vero formidolosus saevitia), et sumptus erogabat largissime ac liberalissime in optima quaeque, equos alens Graeco more, deos sacrificiis colens, hospites benignissime excipiens. Redeunt igitur omnia hic ad duas maxime virtutes, iustitiam et liberalitatem, quas fere Pyth. I fin. coniunctim commendatas vidisti Hieroni. Atque ita habes locum satis bene adornatum. — Restat exitus. V. 43 sqq. Ne igitur, quod in-

vidi mortalium mentes obsident sensus, neque virtutem taceat unquam paternam, neque hos hymnos. — ἐλπίδας φθονεράς dicit hominum malevolorum, qui talia invidiose interpretando sibi prodesse sperant. — ἀμφικρέμανται. Ad Ol. VII, 25. scripsi metaphoram ductam videri a fructibus arborum pendentibus, qui nos alliciant; nunc magis placet retia comparare, quae pendeant circa nos et nos cingant undique, quibus irretiti simus. Ceterum iam in Introductione notavi tyrannidem tum sublatam fuisse, ut Thrasybulo ad ceterorum civium conditionem depresso sane invidia cavenda esset. — σιγάτω, scil. Thrasybulus. Quod ne durum tibi videatur, assume sequentia. Iunctura enim haec: Quare ne taceat virtutem patris cet.; haec, Nicasippe, dic amico meo. — De particulis μήτε — μηδέ cf. ad Pyth. VIII, 83, 5. — οὐκ ἐλινύσοντας, quum eos non ut quiescant elaboraverim, sed ut in multorum notitiam veniant. Loquutio ducta a statuariorum ratione, qui ἐλινύσοντα ἀγάλματα ἐργάζονται, cf. Nem. V init. — V. 47. Nicasippus carmen transferre eiusque modos docere debebat. Nam aut familia victoris mittebat aliquem ex suis, qui carmen a poeta acciperet modosque musicos et saltationem disceret, qualis est Aeneas Ol. VI, aut poeta mittebat qui transferret, nisi ubi ipse aderat. — ἀπόνειμον, haec verba redde, refer, renuntia, ut recte Heynius. Scholia interpretantur ἀνάγνωθι, quum νέμειν et ἀπονέμειν etiam sit ἀναγιγνώσκειν, quod tamen ab hoc loco alienum. — ἠθαῖον, ἑταῖρον, Dorica forma.

Carmen Isthmium tertium.

(Vulgo tertium et quartum.)

INTRODUCTIO.

Carmen scriptum Melisso Thebano e gente Cleonymidarum, post victoriam Nemeaeam curulem Isthmiis pancratio victori. Quo tempore reportata sit haec Isthmia victoria, non constat; non improbabile tamen aliquot annis post pugnam Plataeensem Ol. 75, 2. eam reportatam, fortasse Isthmiis vernis Ol. 75, 3., aut 76, 3., quum, quod a poeta memoratur grave proelium, hoc fuisse videri possit. Cantatum est carmen Thebis et, ut videtur, in vespertina comissatione gentis, de qua re infra suo loco dicetur. Argumentum hoc est: Post prooemium, in quo de praestantia et diuturnitate fortunae cum modestia coniunctae dicitur, duas Melissi victorias memorat, Isthmiam et Nemeaeam, quarum haec viam ei parat ad laudem maiorum, qui curulibus certaminibus operam dederant. Laudat igitur mythicam Cleonymi gloriam curulem, et, quum gens Labdacidis cognata fuerit, satis etiam divitiarum fuisse ad equos alendos. Minuta tamen fuerat paullulum prisca potentia Labdacidarum regno sublato. Exin propius accessurus ad praeclaras virtutes gentis, antequam accedat, eos in conatibus suis non semper vento secundo usos praefando nuntiat. Tum sequitur virtutum et decorum enumeratio ipsa, honoratos eos ab initio apud Thebanos fuisse, et proxenos vicinarum civitatum, et a superbia alienos, praeterea rei equestris studio et bellica fortitudine insignes, ut omne genus gloriae assequuti sint; tamen etiam adversa iterum accidisse narrat, quattuor viris uno die in bello occisis. Verum, pergit, nunc Neptunus coronam praebens denuo excitavit iis ludorum gloriam, quae obdormierat. Laudat hinc ceteras gentis post mythicam victorias curules et conatus in certaminibus, significat vero simul iniquitatem fati, quod nunquam in sacris ludis successum habuerant, ut hymnorum laude carerent et fama paullatim obscuraretur. In qua quidem re iam egregio sola-

mine utitur Aiacis exemplo, qui a viro minus forti victus in armorum iudicio mortem sibi conscivit, ab Homero vero postea laudatus gloriam nunc habet eximiam. Similiter Pindarus Melissi victoriam pancratiasticam a Neptuno datam laudans priorum gentis conatuum immerito obscuratam famam renovare vult, ut splendeat in posterum longe lateque. Sic ad Isthmiam hanc victoriam oratione reducta, Melissi artem pancratiasticam data opera celebrat, eamque illustrat Herculis comparatione, luctatorum principis, qui Antaeum olim superavit, et nunc post peractos feliciter terra marique labores in Olympo degit inter deos, ducta Hebe uxore. Hinc in fine ad ludos epitaphios venit poeta Herculis liberis apud Thebanos consecratos, in quibus quum aliquoties vicisset antea Melissus, etiam has coronas laudat ipsosque ludos. Ita Pindarus; restat, ut quae enarravimus singula ad sententiam suam revocemus. Igitur ut saepius in antecedentibus carminibus praedicari vidimus fortunam illustrem cum sapientia et modestia coniunctam, sic etiam hic statim in prooemio eum laude dignum praedicat, q u i f e l i x v i c t o r i i s l u d i c r i s a u t d i v i t i i s s i m u l a s u p e r b i a a b s i t. Talis erat Melissus totaque gens eius. Quum enim Thebani vulgo feroces essent et insolentes, Cleonymidae optimis Graeciae gentibus adnumerari poterant. Regiae olim Labdacidarum stirpi cognati et ab antiquis temporibus honorati apud Thebanos divitiisque conspicui reportaverant etiam victorias e ludis et Marti placuerant; iidem vero semper manserant ab insolentia alieni. Atque haec ipsa praeclara indoles erat felicitatis Cleonymidarum perenne munimentum. Nam, ut sunt res humanae, experti erant etiam adversos casus, mythico quidem tempore Labdacidarum rebus impliciti, tum in ludis saepe successu destituti, denique bellica clade afflicti; at nunquam tamen cessaverat eorum fortuna, sed steterat firma per saeculorum decursum usque ad hoc tempus. Unde poeta praeclare dicit in prooemio: *ζώει δὲ μάσσων ὄλβος ὀπιζομένων, πλαγίαις δὲ φρένεσσιν οὐχ ὁμῶς πάντα χρόνον θάλλων ὁμιλεῖ.* Vides fundamentum carminis. De tractatione vero illud inprimis notabis, non in unum locum congesta adversa omnia, sed disposita diversis locis; et praemissa subiectaque iucundarum rerum laude pulcre temperata, quo artificio collocationis etiam lucalentius apparet, afflicta si fuerit et obscurata, nunquam tamen

plane fractam et eversam esse praeclaram Cleonymidarum fortunam. Ac Melisso quidem, cuius laude carmen absolvitur, uni ex praeclarissimis Cleonymidarum, mythica Herculis comparatione felicitas eximia praedicitur et requies laborum beatissima, coronis ludicris summis ornata, ut Hercules, cui statura et virtute similis est, in cuius liberorum domesticis ludis vicit ter, post labores peractos in Olympum adscendit et in deorum receptus consortium beatissima vita fruitur. Pindarus autem, ut iam supra dictum, eximiae gentis, quae diu hymnis caruit, obscuratam immerito famam ab oblivione revocare studet illustri laude, ut Homerus Aiacis gloriam vindicavit et ad omnem posteritatem propagavit. *τοῦτο γὰρ ἀθάνατον φωνᾶεν ἕρπει, εἴ τις εὖ εἴπῃ τι· καὶ πάγκαρπον ἐπὶ χθόνα καὶ διὰ πόντον βέβακεν ἐργμάτων ἀκτὶς καλῶν ἄσβεστος αἰεί.* — Vides satis bene conspirare quae in hoc carmine leguntur, ut pateat unum esse carmen et recte nuper e duobus coniunctum. Coniunxit enim Boeckhius duo carmina, tertium et quartum Isthmium, de sententia maxime Hermanni, de qua re vide eius Notas criticas. Adde quae infra ad finem prioris carminis diximus.

EXPLICATIO.

V. 1 — 6. Prooemium. De praestantia et diuturnitate fortunae cum modestia coniunctae. — *εὐτυχήσαις*, felicitatem nactus, aut per victorias certaminum, aut vi divitiarum. — *σύν*, ut dicitur *νικᾶσαι σθένει ποδῶν χειρῶν τε* et *σὺν σθένει ποδῶν χειρῶν τε*, Nem. X, 48. Res nota. — *σθένει*, copia, ut *σθένος ὕδατος* Ol. IX, 51. *νιφετοῦ* Fragm. Hyporchem. 4, 8. — Porro *ἤ*, *ἤ*, h. e. omnis felicitas cum modestia coniuncta laudem meretur; ac Melissus et Cleonymidae etiam coniunctum habebant utrumque genus *εὐτυχίας*. — *κατέχει*, cohibet, reprimit, Theogn. v. 322. Bekk. *κακίην κατέχειν*, et Solon. Carm. XV, 9. *κατέχειν κόρον*. — *αἰανῆ κόρον*, *ὕβριν*, fastidiosam insolentiam. — *εὐλογίαις*, h. e. *λόγοις ἀγαθοῖς ἀστῶν*, Nem. XI, 17. — *μεμίχθαι*, vid. ad Nem. IX, 31. — V. 4. *μεγάλαι ἀρεταί*, quales nunc Melissi et Cleonymidarum

fortitudo et modestia pietasque. — ζώει, viget, cf. ad Nem. IV, 6. — V. 5. μάσσων, diuturnior, piorum quam impiorum. Nota simul modestiorem esse comparativum quam fuisset positivus. Cf. Nem. VIII, 17. — ὀπιζομένων, qui te, Iuppiter, verentur, ut notissimum est ὀπίζεσθαι θεούς. — πλαγίαις, cf. ad Nem. I, 64. — ὁμιλεῖ. Sic Eurip. Electr. 935. (940.) τὰ δ' οὐδέν (τὰ χρήματα), εἰ μὴ βραχὺν ὁμιλῆσαι χρόνον. Quod male explicat Seidlerus. Ibid. v. 938, 9. (943, 4.) ὁ δ' ὄλβος ἄδικος καὶ μετὰ σκαιῶν ξυνὼν ἐξέπτατ' οἴκων σμικρὸν ἀνθήσας χρόνον; ultima apud Stobaeum laudantur etiam sic: ἐξέπτατ' οἴκων βραχὺν ὁμιλήσας χρόνον. Add. Bacchylid. Fragm. XV. Iacobs. Anthol. Lips. p. 85. Neue p. 15. πλοῦτος δὲ καὶ δειλοῖσιν ἀνθρώπων ὁμιλεῖ. Contra etiam homo εὐτυχίᾳ ὁμιλεῖ, cf. ad Nem. I, 61.

V. 7 — 18. Transiens ad Melissi victorias duas, pancratiasticam et curulem, primum hanc illustrat. — εὐκλέων δ' ἔργων ἄποινα κ. τ. λ. Dixerat: Omnis felicitas cum modestia coniuncta laudem civium meretur. Pergit: Pro gloriosis autem factis par est cani strenuum virum, par est inter comissationem blandis hymnis extolli, h. e. ubi vero talis homo e certaminibus victoriam tulit, hymni epinicii praemio blando dignus est maxime. — Verba: εὐκλέων δ' ἔργων ἄποινα per appositionem iuncta sunt sequentibus, cf. ad Ol. VII, 16. — τὸν ἐσλόν, Nem. III, 29. — κωμάζοντα, h. e. hominem oportet (man muss loben). Canebatur vero carmen in comissatione vespertina, ut videtur. — βαστάσαι, extollere, efferre, cf. Ol. XII, 21. — ἀγαναῖς χαρίτεσσιν, blandis hymnis, ut Isthm. I, 6. — V. 9 sq. Est vero etiam duplex victoria Melisso, διδύμων ἄθλων μοῖρα, duarum coronarum fortuna, πρὸς εὐφροσύναν τρέψαι γλυκεῖαν ἦτορ, quae ad hilaritatem dulcem convertat animum. — τρέψαι, ὥστε τρέψαι. Subiectum μοῖρα est. — V. 11. ἐν βάσσαισιν Ἰσθμοῦ, cf. Nem II, 21. Est pancratiastica, infra pluribus laudata, quae carmini nomen dedit. — τὰ δὲ κοίλᾳ λέοντος ἐν βαθυστέρνου νάπᾳ sqq., rursum vero in Nemeaea valle illustravit Thebam curuli victoria. — τὰ δέ, quum plena oratio fuisset: τὰ μὲν Ἰσθμοῦ δεξαμένῳ στεφάνους, τὰ δὲ Νεμέᾳ. Porro relicta participii constructione nervose in

altero membro ad verbum finitum transit, de quo vide ad Ol. I, 14. Vox νάπα illustratur a Spanhem. ad Callim. Apoll. 89. — κάρυξε, per praeconem. Ol. V, 8. — Θήβαν, deam Thebarum, pulcrius quam Θήβας. — Haec prius parta victoria nunc illustratur. — V. 14. οὐ κατελέγχει, Cleonymidarum virtutem congenitam non dedecorat, quippe qui curulibus certaminibus ab origine operam dedissent. — V. 15 sq. ἴστε μὰν Κλεωνύμου cet., nostis enim Cleonymi, qui auctor gentis, priscas in hoc genere victorias. — δόξα ἅρμασι, cf. Nem. IX, 12. — V. 17. καὶ ματρόθε Λαβδακίδαισιν σύννομοι — πόνοις, et quum materno genere Labdacidis essent cognati, divitias habebant quadrigarum laboribus alendis, h. e. ad alendos equos certaminum laboribus pares. Primum igitur iungendum est Λαβδακίδαισιν σύννομοι, quae vox significat noto usu omnino consortes, consociatos, coniunctos, ut hoc loco cognatione et fortuna, matre Cleonymidarum, uxore Cleonymi, e Labdacidarum gente orta. Porro iunge πλούτου διέστειχον, in divitiis versabantur, comparans tragicorum loquutiones notissimas, βαίνειν, ἰέναι, χωρεῖν διά, ut διὰ τύχης ἰέναι pro ἐν τύχῃ εἶναι, βαίνειν διὰ μόχθων, δι᾽ ὀδύνης, alia multa, cf. Brunck. ad Soph. Oed. R. 766. Denique πόνοις est quem dativum commodi dicunt. Divitem esse laboribus equorum significat satis divitiarum habere ad labores, ad certamina equorum sustentanda. Male iungas: διέστειχον τετραοριᾶν πόνοις, quod nec lingua fert nec sensum habet aptum, ut monui in Boeckhii editione. — V. 18. αἰὼν δὲ κυλινδομέναις ἁμέραις cet., Anacr. IV, 8. βίοτος κυλισθείς, Virg. Georg. II, 402. „Volvitur annus.“ Verum nota res. Sed tempus, ait, volventibus diebus alia alias mutare solet; invulnerabiles tamen filii deorum. Labdacidae quum regno exciderent, diminuta sic est etiam cognatae Cleonymidarum gentis fortuna; praeterea fortasse etiam ex ceteris regiae gentis adversis rebus, de quibus vidimus Ol. II., fuit quod eos propius tangeret. Atque haec hactenus. Est hic finis tertii carminis, quale vulgo habetur, et vides non esse integrum carmen, quod duas victorias memorans nonnisi unam tractavit, necdum splendidi prooemii sui rationem penitus nobis explicuit. Quemadmodum igitur hoc carmen fine caret iusto, sic sequens

exordio; facile enim sentiet lector, qui antecedentium carminum prooemia meminerit, sequentem stropham non esse prooemium Pindaricum. Non invenies autem huic carmini accommodatius prooemium, quam quod in principio legimus; quare recte utrumque carmen coniunctum.

V. 19 — 60. Laudes Cleonymidarum data opera exponit, nec adversa tacet, quae post mythicum tempus passi erant. — Orditur sic: Sunt mihi deorum beneficio quaque versus innumerae viae s. est mihi magna materia laudum; opportunitatem enim, Melisse, ostendisti, quum viceris Isthmiis, virtutes vestras hymno persequendi. — θεῶν ἕκατι, cf. Ol. XIV, 20. — μυρία κέλευθος, vid. ad Nem. VI, 47. — διώκειν. Xenoph. Memorab. II, 1, 34: οὕτω πως διώκει Πρόδικος τὴν ὑπ᾽ ἀρετῆς Ἡρακλέους παίδευσιν. — V. 23. σὺν θεῷ, strenue, naviter mortale vitae spatium praefinitum permeant. Dicitur enim βίου τέλος hic vitae tempus, quatenus propositum est ad percurrendum. Conferri potest locus in Antholog. Gr. Lips. T. III. p. 187. Problemat. arithmet. nr. 19. πόσον τέρμ᾽ ἐπέρησε βίου, quantum vitae spatium permeavit, explevit, et Aeschyl. Prometh. v. 285. ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου διαμειψάμενος. — ἄλλοτε δ᾽ ἀλλοῖος οὖρος — ἐλαύνει, alias autem alius ventus omnes homines ingruens agit, h. e. modo secundam, modo adversam fortunam homines experiuntur, metaphora venti celeres rerum mutationes indicante. Heynius ait: ἀλλοῖος οὖρος nunc est adversus. Sic vertas: alias aliud infortunium homines pessumdat, ut dicitur: ἐν δ᾽ ὁ πυρφόρος θεὸς σκήψας ἐλαύνει, λοιμὸς ἔχθιστος, πόλιν Soph. Oed. R. 28., ubi vid. Musgr. Verum quum ἐλαύνει recte hic intelligi possit proprie de vento navigantem agente, non cogitandum est de remotiori sensu. Porro quod velit Pindarus liquet; supra v. 18. de mythico tempore dixerat, nunc reliquos Cleonymidarum casus intelligit maxime in bello et in ludicris certaminibus. Displicere tamen potest, quod has duas sententias nimis brevi intervallo posuit. — V. 25 sqq. ad rem ipsam accedit, et laudes et res adversas apertius indicaturus. Illi, ait, Thebis honorati ab initio dicuntur fuisse et hospites publici vicinarum civitatum et clamitosae expertes insolentiae,

quae omnino sunt luculenta probitatis eorum documenta. De proxenia constat; ἀμφικτίονες sunt civitates Boeotiae circa Thebas, quae ex hac gente προξένους eligebant. — κελαδεννᾶς de strepitu verborum insolentium accipe, ut Ol. XIII, 10. ὕβριν θρασύμυθον vidimus. Porro constat ὀρφανίζειν apud Pind. aliosque poetas omnino esse privare, et ὀρφανὸν εἶναι carere, cf. Pyth. IV, 283. Isthm. VI, 10., VII, 6. Adde Iacobs. Indic. ad Anthol. Gr. in v. p. 385. Tom. XIII.; dicitur tamen antiquiore tempore plerumque cum vi, credo, ut h. l. ὀρφανοί sunt qui plane nihil habent superbiae. Similiter Horat. Od. IV, 2, 44. forum litibus orbum, omninoque saepissime Latini, cf. Lexica. — V. 27 sqq. ὅσσα δ' ἐπ' ἀνθρώπους ἄηται sqq., quicquid eximiae laudis narratum de mortuis et viventibus circumfertur, plane assequuti sunt. — ἄπλετος, ingens, immensus, vid. de v. Interpp. ad Moer. p. 24. — δόξας, virtutis, Pyth. I, 92. Sunt vero μαρτύρια inprimis poetarum per carmina laudes et praeconia, cf. Ol. IV, 3. VI, 21. — ἄηται, ut saepe volatus tribuitur famae et laudibus, cf. ad Pyth. VIII, 34. Significat enim hoc verbum nunc volare, ferri, veluti Apollon. Rhod. III, 288., qui omnino valde frequentabat hanc vocem, notante Ruhnkenio ad Hom. Hymn. in Cerer. 277. — ἐπ' ἀνθρώπους, ad homines et inter homines. — κατὰ πᾶν τέλος, quoquoversus ad finem usque, ut dicitur κατά τι (einigermassen), κατὰ πάντα (gänzlich). Conferes etiam Pyth. X, 28. ὅσαις δὲ βρότεον ἔθνος ἀγλαΐας ἁπτόμεσθα, περαίνει πρὸς ἔσχατον πλόον. — Addit quod idem: ἀνορέαις ἐσχάταισιν οἴκοθεν κ. τ. λ., virtutibus summis domesticis tangunt extremum gloriae humanae terminum. Loquutionem vidimus Ol. III fin. — V. 31. καὶ μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν, ac noli maiorem affectare gloriam. Sententia usitata apud Pindarum post maximam laudem. Ad σπεύδειν cf. Pyth. III, 62. Infinitivus est pro imperativo. ἀρετάν, vid. Ol. VII, 89. — V. 32. ἱπποτρόφοι ἐγένοντο, ut ἱπποτροφίας νομίζων Isthm. II, 38. — Ἄρει ἅδον, cf. Ol. VII, 17. Asyndeton per γάρ explicandum. Verte: Nam et curulibus certaminibus operam dederunt et Marti placuerunt, h. e. optima quaeque tractarunt. — V. 35. τραχεῖα νιφὰς

πολέμοιο, cf. ad Nem. IX, 38. Metaphora nunc suavissima propter sequentem oppositam verni temporis comparationem. — ἐρήμωσεν, gravius pro ἐστέρησεν. Eurip. Herc. fur. 360. Πρῶτον μὲν Διὸς ἄλσος ἠρήμωσε λέοντος (Hercules). — Pugnam suspicatur Boeckhius fuisse Plataeensem Ol. 75, 2., ubi optimates summo studio pugnaverant. In quam rem plura a me disputata vide in Boeckhii editione p. 500. — V. 36. Nunc autem rursus effloruit eorum domus, ut terra purpureis rosis post hibernas tenebras, quum redierunt floridi menses. Constructio igitur: Νῦν δ' αὖ ἄνθησεν (ἑστία), ὥτε χθὼν μετὰ χειμέριον ζόφον ποικίλων μηνῶν ἄνθησεν φοινικέοις ῥόδοις. Genitivus ποικίλων μηνῶν dictus ut θέρους, χειμῶνος, ἔαρος, ἡμέρας, νυκτός, alia multa. — ποικίλων h. e. πολυανθέμων, φοινικανθέμων, ut Pyth. IV, 64. simili comparatione φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ dictum. Est αἰόλον ἱμεροθαλὲς ἔαρ in Niciae Epigr. VII. Anthol. T. I. p. 183. cf. Iacobs. Delect. Epigr. p. 399. Virgil. Georg. II, 319. dicit vere rubenti, ubi formosissimus annus Eclog. III, 57. Add. ver purpureum Colum. X, 256. Comparatio splendida etiam suavior erat, si anni tempus simul conveniebat, veluti si post Isthmia verna (Ol. 75, 3. aut 76, 3.) carmen scriptum. Quanquam non certa haec coniectura. Prima causa metaphoricae loquutionis est pulcra oppositio νιφάδος et ἔαρος. Ceterum intelligitur recens victoria Melissi, qua pulcre effloruit iterum fortuna domus. Pergit igitur: Neptunus hunc genti hymnum praebens e somno excitat famam priscam factorum. — ὁ κινητὴρ — τειχέων, magnifico ornatu. Videntur autem saepius in Onchestiis ludis, de quibus cf. ad Isthm. I, 33., et in Isthmo quadrigis certasse, unde favens deus hanc genti concessit victoriam Melissi, ut etiam prioribus conatibus laus sua redderetur. Nam quum post victorias in Atticis et Sicyoniis ludis certassent quidem saepius, at victorias non reportassent, hymnos nacti non erant et fama factorum obdormierat. — V. 41 sq. At nunc suscitata corpore fulget ceu Lucifer conspicuus inter astra cetera. Nemo non recordabitur Horatii illud Od. I, 12, 46. Micat inter omnes Iulium sidus velut inter ignes luna minores. Sunt omnino multae eximiae comparationes siderum apud Homerum et

alios. Ceterum Fama dea est iam apud Hesiod. Ἔργ. fin. φήμη θεός νύ τις ἐστὶ καὶ αὐτή. Nosti etiam descriptiones deae apud Romanos poetas, Virg. Aen. IV, 173 sqq. Ovid. Met. XII, 39 sqq. Stat. Theb. III, 426 sqq. Valer. Flacc. Arg. II, 116 sqq. Lyricus autem etiam peculiarem virorum gentiumque famam deam dicit, ut nunc Cleonymidarum, veluti unicuique homini et genti δαίμων suus est. — V. 43 sqq. Quae Fama etiam in arvis Athenarum currum quum nuntiasset vicisse inque Adrasteis certaminibus Sicyonis, praebuit similes cantus hominum tum viventium. — In quibusnam Atticorum ludorum vicerint, non constat. De Sicyoniis Adrasti vid. Nem. IX. — καρύξαισα νικᾶν, malis νικᾶσαι, sed vid. ad Nem. V, 5. — ὤπασεν, Fama victoriam nuntians, sic excitavit etiam cantum. — τοιάδε φύλλ' ἀοιδᾶν, similes frondes, coronas carminum, ut alias στέφανοι de carminibus, Nem. IV, 17. VII, 77. τοιάδε, cf. Isthm. IV, 60. Observabit lector eximium verborum ornatum per omnes has laudes Cleonymidarum regnantem. — V. 46. Neque a conventibus communibus abstinebant currum. — ξυναί, ludi omnibus Graecis communes dicuntur Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, ut constat. — καμπύλον δίφρον, quum curvatus esset δίφρος rotis impositus. Homerus καμπύλον ἅρμα dixit Il. V, 231. — V. 47. ἐριζόμενοι χαῖρον, gaudebant certare, certabant cum universis Graecis sumptu equorum. Panhellenes sunt qui ad hos maiores ludos ex omnibus Graeciae regionibus conveniunt. — V. 48. τῶν ἀπειράτων γὰρ ἄγνωστοι σιωπαί, eorum enim, qui nihil tentant, nomina silentur, ἀπειράτων h. e. ἀπειρήτων, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. VI, 54. — ἄγνωστοι σιωπαί, silentia incomperta, ignota, h. e. quibus ignoti manent homines. Non enim canuntur poetis; cf. d. v. ad Isthm. II, 12. — Cleonymidae quanquam adierant hos ludos, nunquam tamen in iis vicerant. Quo pertinent sequentia: ἔστιν δ' ἀφάνεια τύχας καὶ μαρναμένων. Hermannus: At etiam eorum, qui certant, ignota manet sors, nisi si victoriam adepti sint. ἀφάνεια, obscuritas, interitum significat Aesch. Agam. 391. Sed ἀφάνεια τύχας non esse videtur ignota sors, sed obscuritas, quam τύχα affert, quum sequatur;

τῶν τε γὰρ καὶ τῶν διδοῖ, dat enim fortuna haec et illa, h. e. secunda et adversa. Est igitur ἀφάνεια τύχας dictum ut Pyth. II, 56. τύχα πότμου. — V. 50. τέλος ἄκρον ἱκέσθαι, victoriam adipisci, cf. Nem. VI, 24. — τά τε καὶ τά, varia, bona et mala, cf. ad Nem. I, 35. Est autem genitivus partitivus, quem dicunt. Res nota. — V. 52. καὶ κρέσσονα, fortiorem virorum deteriorum fraus aliquando deiecit domitum, et consequitur interdum etiam inertior victoriam. — καταμάρψαισα, vincens, domans, Nem. III, 35. Petitum a lucta. — V. 53 sq. Sic, pergit, Ulysses vicit Aiacem. ἴστε μὰν Αἴαντος ἀλκὰν φοίνιον cet., nostis enim Aiacis robur cruentum, quod, quum inciderit sera nocte ferro suo circumfusus, invidiam facit Graecis quotquot ad Troiam fuerunt. — Αἴαντος ἀλκάν, magnifica circumscriptione pro Αἴαντα. — Porro φοίνιον, cruentam, πολεμικήν, ut φοίνιος Ἄρης. Vox saepe etiam generis communis, ut constat. — ταμὼν περὶ ᾧ φασγάνῳ, ferro in corpus adacto (zerschneidend rings an seinem Schwerte). Vid. ad Nem. VIII, 23. — ὀψίᾳ ἐν νυκτί, h. e. περὶ ὄρθρον, ut tradiderat Aethiopidis auctor, Scholia. Adde Lobeck. ad Sophocl. Ai. p. 263. — μομφὰν ἔχει, invidiam facit, facit ut reprehendantur. Aesch. Prometh. 444. μέμψιν οὔτιν᾽ ἀνθρώποις ἔχων. Explicat Herm. ad Vig. p. 753. — V. 55 sqq. Sed Homerus eum honoravit per homines, qui omnem eius extollens virtutem indicavit futuris poetis ad normam et auctoritatem divinorum carminum suorum canendam. Hic enim est sensus praeclari loci. — δι᾽ ἀνθρώπων, Matth. Gr. p. 1149. Bernhardy Synt. p. 234. — ὀρθώσαις, illustrans, Isthm. V, 65. — ῥάβδος fuit epicorum poetarum et rhapsodorum, qui manu tenentes hoc sceptrum carmina publice recitabant. Vide Callimach. Fragm. 138. p. 497. Ernest., allatum in Scholiis ad Nem. II, 1. et ab Eustathio ad Il. a. p. 6. Adde locum Hesiodi notissimum Theog. 30. et vide Pausan. IX, 30, 2. Dicebant hoc ἐπὶ ῥάβδῳ ᾄδειν. Quum igitur ῥάβδος fuerit insigne epici muneris, magnifice Pindarus ῥάβδον ἐπέων dixit pro auctoritate epicorum carminum, tanquam signum aliis sequendum. Aliae rationes ab aliis

tentatae laborant omnes, ut in Boeckhii editione demonstravi pluribus; proposita constructio sola Graeca est. Mire nuper Bernhardy Synt. p. 146. iunxit *θεσπεσίων ἐπέων ἀθύρειν*, quod refutatione non eget. — V. 59. *εἴ τις εὖ εἴπῃ τι*, si quis carmine aliquid celebraverit. — *ἀκτὶς ἐργμάτων* est splendor factorum per carmina excitatus.

V. 61 — ad finem. Redit poeta ad Melissum, cuius primum Isthmiam recentem victoriam laudat, unde carmen nomen habet, deinde etiam priores in ludis funebribus Herculis liberorum ab eo reportatas. — V. 61. Propitiis Musis utinam utamur ad accendendam illam facem hymnorum etiam Melisso. Sunt *πυρσοί* proprie faces e specula sublatae, Hom. Il. XVIII, 211. Adde Lexica. Hinc *πυρσεύειν* est nuntiare, divulgare. Suid. glossa, cuius initium hoc: *πυρσεύω σοι τὴν σωτηρίαν ἀντὶ τοῦ ἐκφαίνω*. Plutarch. Demetr. c. 8. *τὰς δ' Ἀθήνας ὥςπερ σκοπὸν τῆς οἰκουμένης ταχὺ τῇ δόξῃ διαπυρσεύσειν εἰς ἅπαντας ἀνθρώπους τὰς πράξεις*. Pulcra haec metaphora nunc magis etiam placebit, si carmen in vespertina comissatione gentis inter faces ardentes cantatum statuas, ut solent Pindaricae metaphorae praesentibus rebus accommodari. Vide similem locum Ol. IX, 23. ibique dicta. — V. 63 sq. *τόλμᾳ γὰρ εἰκὼς θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρᾶ λεόντων ἐν πόνῳ.* Sic enim, ut in annotatione critica dixi, legam. Forma *εἰκώς* pro *ἐοικώς* firmatur loco Hom. Il. XXI, 254., quem monstravit Meinekius doctissimus, licet hic aliud probans. Thiersch. quod proposuit *τολμᾶν γὰρ εἰδώς*, non satis nervosum est. Minus recedit a librorum lectione Meinekii et Boeckhii emendatio *τόλμᾳ γὰρ εἴκων*, ac similes multae loquutiones apud Homerum sunt, ut Il. XXIV, 43. *ἀγήνορι θυμῷ εἴξας*, Il. X, 238. *αἰδοῖ εἴκων*, Od. XVIII, 139. *βίῃ καὶ κάρτεϊ εἴκων*. Sed in his et ceteris Homericis locis, quos apud Dammium videbis, *εἴκων*, *εἴξας* est, ut etiam Dammius notavit, cedens, regi se passus, victus (nachgebend, übermannt von), quod vereor ne hic non satis laudis contineat. Et quidni retineamus *εἰκώς*, si bonum sensum praebet? Hermannus quidem ad Vig. p. 939. vertit: audacia in laboribus animum sectatur leonum, ita ut his similis sit; de qua loquendi ratione, qua id, quod ex

aliqua re consequatur, ut iam effectum adiici soleat, se dixisse ad Vig. p. 897. Et notissima est haec res hodie maxime ex Hermanni annotationibus ad Sophoclem. Adde Heller. ad Oedip. Col. 1194. laudatum iam supra Ol. 1, 68. Tamen sunt in hoc genere alia iucunda, alia dura. Suaviter dictum λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον Ol. 1, 68., et talia etiam alias habet Pindarus; sed quod hic ponit Hermannus meo quidem iudicio non est satis Pindaricum. Ac quum sensus loci esse debeat hic: τόλμαν, θυμὸν λέων ἐστί, ut sequentia docent, quidni simpliciter vertamus: Audacia enim similis animum fremeutium consequitur leonum, h. e. leonem se praestat, in certamine (An Kühnheit ähnlich eriagt, erreicht er im Kampfe den Muth der brüllenden Löwen). Sic τόλμᾳ εἰκώς est: quum audacia iis similis sit. θηρᾶν vero significat, ut lexica docent, et sequi et consequi (iagen und eriagen). Quod hoc loco eximie mihi dictum videtur de eo, qui crescente fervore certaminis magis magisque colligens robur animumque fortius inflammans, ad ipsam adeo leonum vim accedit. — V. 65. μῆτιν δ' ἀλώπηξ, scil. ἐστί, ut Pyth. V, 111. γλῶσσαν τε θάρσος τε αἰετὸς ἔπλετο. — αἰετοῦ ἅ τε ἀναπιτναμένα ῥόμβον ἴσχει, quae reclinata aquilae impetum cohibet. — ῥόμβον, δίνησιν, turbinem, a ῥέμβειν in gyrum circumagere. Cf. Iacobs. Animadv. in Eurip. Trag. p. 93. Fuit autem etiam recentiori tempore aliquando pervulgata opinio vulpem interdum se mortuam simulare humi reclinatam ad aves fallendas et capiendas, cf. Albert. Magn. de Animalibus Libr. XXII. p. 225. et Olaum Magn. descript. morum populorum septentrional. p. 269.; sed monet Blumenbachius rem fabulosam esse, nec tradi a viris, qui eum oculis suis vidisse se dicant. Pindarus vero eximie nunc ea utitur, τὸν λεγόμενον τρόπον χαμαὶ s. ὑπτιασμοὺς pancratii laudaturus, modum celeberrimum, de quo vide locos laudatos in Boeckhii editione. Excellebat eo Melissus. — V. 66. πᾶν ἔρδοντα, quovis modo. Conferes πᾶν et πάντα ποιεῖν Heindorf. ad Platon. Phaedon. p. 249. Stallbaum. ad Euthyphron. p. 8. c. — μαυρῶσαι sive ἀμαυρῶσαι, cf. ad Pyth. XII, 13., significat etiam debilitare, frangere, cf. Xenoph. Agesil. XI, 12. Act. Philol. Monac. T. I. p. 60. — V. 67. φύσιν Ὠαριωνείαν, staturam grandem Orio-

nis, qui fuit permagnus et eximie pulcher, Hom. Od. XI, 310. Ad v. φύσιν cf. Nem. VI, 5. — V. 68 sq. ἀλλ᾽ ὀνοτὸς μὲν ἰδέσθαι scil. ἐστί, sed contemptibilis quidem adspectu est, h. e. parvus (unansehnlich). — συμπεσεῖν δ᾽ ἀκμᾷ βαρύς, sed gravis robore, si cum eo congrediaris. De constr. cf. ad Ol. VII, 26. — V. 70 sqq. Sic etiam quondam ad Antaei aedes Thebis venit statura brevis, animo vero invictus colluctaturus in Libyam Hercules, ut inhiberet hominem craniis advenarum occisorum templum Neptuni cingentem. Fuit etiam Hercules non nimis magna statura, at firmo corpore, insigniter torosus, lato altoque pectore, parvo vero capite et pressa fronte. Quae forma veteribus placuisse videtur in bellicosis hominibus, cf. Archilochi versus Fragm. 33. edit. Liebel. — Antaeus fuit rex fabulosus Irasorum ad paludem Tritonidem, memoratus iam Pyth. IX, 106., qui etiam illum τρόπον χαμαί callebat, ac nobilissima erat in fabulis Herculis cum eo lucta. Vide locos a me allatos in Boeckhii editione, et cf. Philostr. Imag. II, 21. ibiq. editores doctissimos Iacobsium et Welckerum p. 515 sqq. Hercules eum devicit, ut multis in locis crudelia instituta ritusque abolevit. — ἐρέφοντα. Moris erat capita animalium zophoro affigere, veluti est ap. Eurip. Bacch. 1206. αἰρέσθω λαβὼν πηκτῶν πρὸς οἴκους κλιμάκων προςαμβάσεις, ὡς πασσαλεύσω κρᾶτα τριγλύφοις τόδε λέοντος. Similis usus tangitur a Virgil. Aen. IX, 406 sqq. „Si qua tuis (Diana) unquam pro me pater Hyrtacus aris dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi, suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.“ Iam eundem in modum ego ab Antaeo puto hominum calvas affixas. Neptunii templi zophoro ambienti, quae res cingere, coronare templum calvis commode dici potuit, significatione vocis apud Pindarum legitima. Sin tegentem malis, Homerico verbi usu, etiam sic cum vi hoc dici fortasse potuit de multitudine calvarum, quae terribilis homo zophoro toti circum affigebat. Malo autem certum usum et morem veterum respiciens explicare locum, quam cum Heynio parieti templi affixas calvas dicere. Ac conferri etiam Euenus potest, Martis filius, qui certabat cum procis filiae, τοὺς δὲ λειφθέντας καρατομῶν ἐπετίθει τὰς κεφαλὰς ἐπὶ τῶν τοίχων τῆς οἰκίας εἰς κατάπληξιν τῶν λοιπῶν

Schol. Hom. Il. IX, 557. Postremo aliud est et diversum, quod Cycnus dicitur capita transeuntium abscidisse, *ναὸν τῷ Ἄρει βουλόμενος ἐκ τῶν κεφαλῶν οἰκοδομῆσαι* Schol. Pindar. Ol. XI, 19. Add. Schol. Ol. II, 147. Idem de Oenomao narrant Schol. rec. Ol. I, 114. Atque haec hactenus. — V. 73 sqq. Qui tandem multis eximiis laboribus peractis adscendit Olympum summaque felicitate fruitur, ut etiam tibi, Melisse, requies laborum beatissima destinata est. — *γαίας τε πάσας καὶ βαθυκρήμνου πολιᾶς ἁλὸς ἐξευρὼν θέναρ*, terras omnes et maris aequor emensus. Pluralem *γαίας* praetulit poeta, quum modo Libyam nominasset. — *ἁλὸς θέναρ*, maris aequor litoribus cinctum. Proprie *θέναρ* est cavum manus inter digitos et carpum, Pyth. IV, 206. erat arae summa pars concava. Recte igitur Schol. explicant *τὸ πλάτος*. Porro *βαθύκρημνος* audit mare ob litora praerupta, ut Helorus Nem. IX, 40. — *ἐξευρών*, quum explorasset, perscrutatus esset, cf. Nem. III, 24. — *ναυτιλίαισί τε πορθμὸν ἁμερώσαις*, et quum navigationibus s. navigaturis mare pacasset, domitis beluis, ut vidimus Nem. III., l. cit. Ad *ἁμερώσαις* confer Fragment. Sophoclis allatum in Scholiis ad Isthm. Hypothes. p. 514. Boeckh. *ὅς παρακτίαν στείχων ἀνημέρωσα κνωδάλων ὁδόν*. Et Eurip. Herc. fur. 20. *ἐξημερῶσαι γαῖαν*. Ibid. 847. *ἄβατον δὲ χώραν καὶ θάλασσαν ἀγρίαν ἐξημερώσας*. Plura vide ap. Ast. ad Plat. Legg. p. 296. — *πορθμόν*, nunc mare, traiectum maris. Neque enim de solo freto Herculeo cogitandum. — *ἀμφέπων*, fovens, habens. — *ὀπυίει*, in matrimonio habet, Hom. Il. XIII, 429., Od. VI, 63. — Denique ad totum locum confer exitum carminis Nem. I. simillimum. — V. 79 sqq. Ultima pars carminis. Fuerunt Thebis sacra Herculis liberis instituta, quos e Megara, Creontis filia, susceperat heros. De numero et nominibus eorum non consentiunt scriptores; vide quae exposui in Boeckhii editione. Pindarus ex domestica traditione significat octo fuisse. Hos ferebatur Hercules quondam insaniens occidisse, Pausan. IX, 11. Eurip. Herc. fur. et Philostr. Imag. II, 23., de qua insania eximie disputat Müller. Dor. I. p. 435. Poeta tamen, ut par est, tacet hanc rem, simpliciter *θανόντας* dicens. Institutae autem his liberis inferiae, habitae quotannis stato tempore sub solis occasum, additis ludis,

quibus sequens dies consecratus erat. Num eadem fuerit prima origo festi dubitari potest: videntur ritus antiquiores postea ad hos liberos traducti esse. Ad praesentia ut redeam, Melissus ter vicerat in his ludis, unde nunc Pindarus de iis dicit; quod autem disertius has inferias ignesque nocturnos describit, mea sententia suavissime factum est in carmine, quod similiter vespere ardentes inter faces cantatum videtur. Restant singula. — *τῷ μὲν Ἀλεκτρᾶν ὕπερθεν* cet., cuius in honorem supra portas Electras epulum sacrum adornantes et nova coronamina ararum, facimus inferias bellicosorum octo mortuorum, quos Megarae i pepererat filios. — Electrae portae erant versus Plataeas. *ὕπερθεν* dicit, surgente ibi planitie. — *νεόδματα στεφανώματα βωμῶν.* Coronatas a veteribus aras notissimum, cf. Spanh. ad Callim. Apoll. 81. Nunc quotannis novae coronae ferebantur. Puta vero *τέμενος* fuisse ante Electras portas, in quo sepulcrum liberorum et arae, ibique inferiae habitae cum epulo. — *αὔξομεν ἔμπυρα*, victimas sacrificamus. *αὔξομεν*, ut *βούταν φόνον ἀέξειν* Eurip. Hippolyt. 537. per euphemismum veteribus in sacrificiis usurpatum, quemadmodum Latinis verba mactare et adolere dicuntur. At augere hostias Latinis aliud est, et significat addere, amplificare numerum. Dicunt tamen augere aram, ut Plaut. Merc. IV, 1, 11. — *χαλκοαρᾶν*, aere armatorum, bellicosorum. Vulgatior est altera forma *χαλκήρης*, de armis aliisque rebus posita; nunc *χαλκοάρης* ad personas translatum, ut Isthm. IV, 41. Errant qui ferro caesos hic explicant. — *τοὺς τέκε οἱ υἱούς* pr. *θανόντων υἱῶν, τοὺς τέκε.* Sed non sine vi substantivum a primo membro abest. — V. 83 sq. Quibus sub occasum solis flamma oriens continuo pernoctat aetherem nidoroso feriens fumo. — *αὐγᾶν.* Trita enim loquutio *αὐγαὶ ἡλίου.* Quod autem occidente sole hae inferiae coeptae fieri, illustratur loco a Müllero meo notato, Schol. Apollon. Rhod. I, 587. *Τοῖς μὲν οὖν κατοιχομένοις ὡς περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζουσι, τοῖς δὲ Οὐρανίδαις ὑπὸ τὴν ἕω, ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου.* Idem dicit Schol. ad hunc Pindari locum, *ἔθος πρὸς δυσμὰς ἱερουργεῖν τοῖς ἥρωσι, κατὰ τὰς ἀνατολὰς τοῖς θεοῖς.* — *παννυχίζει*, totam noctem pervigilat, ardet.

— *λακτίζοισα*. Schol. *σκληροτέρᾳ κέχρηται μεταφορᾷ· ἐχρῆν γὰρ εἰπεῖν ψαύουσα ἢ θιγγάνουσα*. Poeta vividam flammam cogitat magnamque fumi surgentis vim. *λακτίζειν* enim est fortiter pulsare, veluti Aesch. Prometh. dicit: *κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει*. Ceterum Schol. bene comparat Hom. Il. I, 317. Add. Philostr. Imag. II, 27. *καπνὸς μετὰ τῆς κνίσσης ἀναῤῥέων*. — V. 85 sq. Et per sequentem diem anniversariorum ludorum victoriae reportantur, roboris opus. — *τέρμα ἀέθλων* est, credo, victoriarum reportatio, *νῖκαι ἀέθλων*. Similiter *τέλος ἀέθλων* dici poterat. Minus Pindaricae sunt et minus aptae aliae explicationes, quae excogitari possunt. Inprimis autem Heynii ratio displicet, *τέρμα* diem definitum interpretantis. Neque enim dies potest esse *ἰσχύος ἔργον*. Immo per se patet *δεύτερον ἆμαρ* accusativum esse. Olim interpretabar: contentionem decernentem certamina, sed etiam hoc reiicio. Nec magis pro summa vi certaminum accipiam. Ceterum male Scholiastes ad hunc et sequentem locum Heraclea s. Iolaia confundit cum his ludis, qui plane alii et diversi sunt. — *ἔνθα λευκωθεὶς κάρα μύρτοις*, ubi coronatus alba myrto. Fuit igitur praemium huius certaminis corona myrtea, quum funebres ludi essent; erat enim myrtus mortuis sacra, monente Scholiasta, et vid. Interpp. ad Eurip. Electr. 324. Quum autem veteres plura genera myrti distinguant, videtur mihi *λευκή* intelligenda, memorata Dicaearcho de monte Pelio (Creuzer. Meletem. P. III. p. 200.) et Geopon. XI, 7. et Plin. Hist. N. XV, 29. Denique ad loquutionem *λευκωθείς* Mitscherlichius in Epist. crit. p. 66. et Heynius in notis comparant Statii Achill. I, 11. albescunt tempore vittis. — *ὅδ' ἀνήρ* simpliciter verte: hic vir; vel sic opponi potest: *παίδων τε τρίταν*. — *ἀνεφάνατο*, active, in lucem edidit duas victorias. — *γνώμᾳ πεπιθὼν πολυβούλῳ*, obsequutus consiliis prudentissimis Orseae aliptae. Est enim *κυβερνατὴρ οἰακοστρόφος*, gubernator clavum versans, nunc magister, ut Nem. VI fin. *χειρῶν τε καὶ ἰσχύος ἁνίοχος* simili metaphora dicitur. Ad *πεπιθών* cf. Pyth. III, 28. — *τερπνὰν ἐπιστάζων χάριν*, dulcem laudem fundens.

Carmen Isthmium quartum.

INTRODUCTIO.

Carmen hoc et sequens scriptum est Phylacidae Aeginetae, Lamponis filio iuniori, qui bis in Isthmiis vicit. Et haec quidem victoria secunda est, ponenda Ol. 75, 3. Isthmiis vernis, paucis annis post pugnam Salaminiam. Vide quae in Introductione ad Nem. V. de tempore et de Lamponis familia dicta sunt. Cantatum vero carmen haud dubie in Aegina apud Lamponem. Argumentum hoc est: Post prooemium, in quo Thiae potentia celebratur, per quam et naves currusque bellici in proeliis conspiciantur et ludicrae victoriae reportentur, transitur ad Phylacidae laudem, qui duas nunc in Isthmo victorias habeat et unam in Nemea, ubi etiam Pytheas vicerit, frater natu maior. Tendit poeta deinde ad mythica; neque enim sine Aeacidis se hymnos attingere, et quum urbs illustrem viam divinorum facinorum sequatur, non omittendam esse eius laudem. Moris esse, ut heroes laudentur, quemadmodum Oenidae in Aetolorum festis, Thebis Iolaus, Perseus Argis, ad Eurotam Castores, in Aegina vero Aeacidae, qui etiam bello bis Troiam expugnaverint. Omnino multa possum dicere, pergit, de Aeginetis, et nunc recenti memoria testabitur Salamis Aeginetis se nautis salutem debere in terribili pugna. Sed nolo gloriari, quum Iuppiter bona et mala praebeat. Postulant etiam hae ludicrae victoriae cantum. Frustra contendat aliquis Cleonici gentem superare victoriarum numero. Laudo etiam Pytheam, qui Phylacidae praeivit vincendo. — Post haec quae de compositione carminis dicenda sunt paucis absolvi possunt. Paullo post pugnam Salaminiam scripto carmine poeta laudat bellicam et ludicram Aeginae virtutem, ut in carmine Pyth. VIII. Ac bellicam quidem virtutem insulae illustrat mythicis Aeacidarum ad Troiam rebus gestis et recentibus civium Aeginetarum ad Salaminem, ludicram vero Phylacidae et Pytheae universaeque Cleonici gentis victoriis comprobat. Quem-

admodum autem in Pythio carmine ab Hesychia haec ornamenta repetuntur, et in carmine Ol. XIII. Corinthi laudes ab Horis, sic hoc loco Thiam celebrat tantarum rerum auctorem; ac de Horis quidem et de Hesychia ad illa carmina vidimus, nunc autem cur Thiam laudet Pindarus, inania ornamenta poesios respuens et ubique suaviter praesentibus temporibus et rebus se accommodans, hoc vix commodius explices, quam si haec epinicia ipso die sacro Thiae in Aegina cultae habita statuas, ut solebant veteres passim festos deorum dies eligere epiniciis celebrandis; Thia vero etiam ludorum patrona erat.

EXPLICATIO.

V. 1 — 11. Prooemium. De Thiae potentia. — *Θεία* fuit perantiqua dea lucis, Solis et Lunae, cf. Hesiod. Theogon. 364., unde Boeckh. eam non differre putat ab Euryphaëssa, laudata Hymn. Hom. XXXI, 2. Videtur autem Thiae etiam cognomen *Χρύση* fuisse, deductum ab aureo colore lunae, ut eximie coniecit Welcker., quum aurum ei tribueretur secundum Pindarum. Atque hoc quidem nomen clarum fuit prae ceteris in Lemno et Samothracia, ubi dea audit *Ἀθηνᾶ Χρύση*. Videtur enim eadem dea esse, aliis locis alio nomine culta. Iam vide quae de ea disputavit Welcker. in Boeckhii editione ad h. l. et adde Buttmann. ad Sophocl. Philoctet. p. 57 sqq. et Müller. Hist. Dor. I. p. 384. — *πολυώνυμε*, multis nominibus vocata, quorum aliquot vidimus; hoc autem nunc idem est quod multipotens, quum nomina varia data sint diis propter attributa et munera varia, quibus praeessent. Ceterum cf. Aeschyl. Prometh. 210. *καὶ Γαῖα, πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία*. — Exin constructio haec est: *σέο γ᾽ ἕκατι καὶ μεγασθενῆ νόμισαν χρυσὸν ἄνθρωποι περιώσιον ἄλλων — ἐν τ᾽ ἀγωνίοις ἀέθλοισι* (*σέο γ᾽ ἕκατι*) *ποθεινὸν κλέος ἔπραξεν κ. τ. λ.* O Thia multipotens, per te et potens aurum honorem habet eximium inter homines, — ac gymnicorum ludorum laudes hominibus contingunt. Orditur a *καί*, quasi per disiunctionem dicturus

καὶ — καὶ, at in altera periodi parte post parenthesin mutat orationem, et utitur copulativa particula τέ. Quae mutatio etiam propter sententias, quae componuntur, aptior, ut infra ostendam. — σέο γ᾽ ἕκατι, per te, ut θεῶν ἕκατι est Isthm. III, 19. — νόμισαν, in honore habent, aestimant, cf. Heind. ad Platon. Gorg. p. 466. B. Ac notum hoc verbum de nummis dici pro usurpare et pretium certum tribuere. — περιώσιον ἄλλων, prae ceteris, de qua formula cum similibus monet Herm. ad Hymn. Hom. in Cer. p. 140. Simplex περιώσιον est Od. XVI, 203. οὔτε τι θαυμάζειν περιώσιον οὔτ᾽ ἀγάασθαι. — Vides Thiam a Graecis creditam divitias largiri, ut cognata Hecate ap. Hesiod. Theogon. 420. dicitur ὄλβον ὀπάζειν, et nominatim aurum ab ea repetitum esse, quam opinionem propter cognomen Χρύσῃ ortam maxime probabilem habemus. — καὶ γὰρ ἐριζόμεναι νᾶες cet., nam certantes naves in mari et curribus iuncti equi per te in agilibus proeliorum congressibus admirationem habent, h. e. nam etiam navium et curruum bellicorum apparatus et proelia non admiraremur nec videremus omnino sine te et auro, per quod paranda haec sunt. — διὰ τεὰν τιμάν, tuo beneficio, ut σὺν τιμᾷ θεῶν Pyth. IV, 51., et διὰ δαίμονας infr. v. 11. — Iam quo spectent haec non dubium; licet generalibus verbis enuntiata ante omnia ad Aeginam pertinent. Aegina florebat mercatura, opibus auctis creverat classis, spectata quum aliis in proeliis tum nuperrime in Salaminia pugna, quam infra memorat v. 48. Similiter ἵπποι ἐν ἅρμασι hoc loco bellici currus sunt, quum post navalia laudari debeant terrestria proelia et quum ad ἀγωνίους ἀέθλους in sequentibus demum accedat. Tamen historico tempore non usa est Aegina bellicis curribus; redeundum est igitur ad mythica tempora. Scilicet intelligit Pindarus haud dubie χρυσαρμάτους Αἰακίδας dictos Isthm. V, 17., quod vides quam pulcre his auri laudibus conveniat. Atque Aeacidarum res ad Troiam gestas infra luculenter celebrari videbis. — V. 7 sqq. Et in ludicris certaminibus per te dulcem gloriam consequitur, cui frequentes coronae cinxerunt comam manibus victori aut celeritate pedum. Tribuebantur igitur Thiae, ut vides, etiam gymnicae victoriae, in quam rem Welckerus

bene comparavit Hecaten, quae similiter victorias dare traditur ap. Hesiod. Theogon. 435. Porro monendum nunc de particularum ratione, καὶ χρυσὸν — ἔν τ' ἀγωνίοις ἀέθλοισι. Notum est non dici καί — τέ pr. et — et, neque ita hic locus intelligendus. Scilicet recte dixisset: Thia per te et naves currusque bellici sunt, et ludicrorum certaminum victoriae; similes enim res sunt. Nunc ab auro orsus fortasse minus bene dixisset: Per te et aurum est et ludicrorum certaminum gloria; dissimiliores enim res sunt. Tamen disiunctione opus erat, quum duae res essent diversae pariter ad Thiam revocandae, bellicam dico et ludicram gloriam. Atque ita ortum hoc mixtum genus dicendi, etiam propter parenthesin aptissimum. Addo reliqua. — κλέος, victoriam, ut δόξα saepe. — ἔπραξεν, consequutus est, veluti Eurip. Orest. 355. θεόθεν πράξας ἅπερ ηὔχου. — ἀθρόοι. Per Thiam habet victoriam etiam qui semel vicit; sed poeta more suo sententiam generalem simul praesentibus rebus accommodat. Frequentes autem victorias habebant Aeginetarum permulti, ipsaque Lamponis familia, cf. infr. v. 55. Isthm. V, 62. Atque etiam Phylacidas iam ter vicerat. Similis causa est, quod gymnica tantum certamina hic memorat (χερσὶ ἢ ταχυτᾶτι ποδῶν), licet Thia haud dubie etiam curulibus certaminibus praeesset. Sed currus ante in alia re iam nominati, et ludorum curulia certamina aliena erant ab Aeginetis, qui pascua equorum non habebant. Ceterum cf. ad Nem. V, 39. Denique de constructione ὅντινα ἀνέδησαν ἔθειραν non est quod te moneam. — V. 11. κρίνεται δ' ἀλκὰ διὰ δαίμονας ἀνδρῶν, nam victorias reportat hominum robur per deos. — κρίνεται, distinguitur, Nem. VII, 10. insignitur, victoriis ornatur. — Atque hoc quidem prooemium est, continens thema carminis. Vides autem etiam non monitus Thiam in Aegina cultam, quanquam de ea re aliunde non constat. Tanta ornamenta insulae consentaneum est domesticae deae deberi; veluti eandem ob causam Horas Corinthi monuimus cultas Ol. XIII.

V. 12 — 19. Laudantur Phylacidae ludicrae victoriae tres et una Pytheae fratris. — δύο δέ τοι ζωᾶς ἄωτον κ. τ. λ. Sensus: Duo autem vitae florem sola fovent iucundissimum vigente cum opulentia, si

quis res praeclaras gerens poesios laudem habeat. Atqui tu Phylacidas etiam tres victorias habes, ut plurimum laudis merearis. — ἄωτος quum sit optimum, pulcherrimum, suavissimum in suo genere, ζωᾶς ἄωτος hic est vitae maxima felicitas. Pyth. IV, 131. εὐζωᾶς ἄωτος. Et ἄλπνιστος est ἥδιστος, Pyth. VIII, 84. ἔπαλπνος. Buttmann. Gr. ampl. T. II. p. 410. Nota vero etiam articulum ante ἄλπνιστον. Summum quidem et maxima vitae felicitas, ait, his rebus continetur. — ποιμαίνοντι, fovent, alunt, cf. ad Ol. X, 9. — εὐανθεῖ σὺν ὄλβῳ, florentibus divitiis. Auri maximam vim esse in rebus humanis paullo ante ostendit poeta; quare ὄλβον in hac sententia praeterire vix poterat. Hinc ita conformavit eam, ut diceret praeter divitias duo esse vitae ornamenta primaria, res cum successu gestas earumque per carmina laudem. εὖ πάσχειν explicatum vide Pyth. I, 99. Ibidem est εὖ ἀκούειν quod hic λόγον ἐσλὸν ἀκούειν. — V. 15. εἴ σε ἐφίκοιτο, optativum posuit ut in re maxima. Minus bene coniunctivo esset usus. — V. 17. Tibi vero in Isthmo duplex victoria habetur, scil. pancratii, quod verbum in fine periodi positum huc etiam pertinet. Sunt enim duae pancratiasticae victoriae, quarum prior sequenti carmine canitur. — θάλλοισα, vigens, pulcre splendens. — κεῖται, cf. ad Ol. XIII, 36. — Νεμέᾳ δὲ καὶ ἀμφοῖν, Πυθέᾳ τε παγκρατίου, scil. ἀρετὰ κεῖται, non διπλόα ἀρετά, quales constructiones etiam alias apud poetam, cf. Ol. VII, 86. Verte: In Nemea vero etiam ambobus victoria est, tibi et Pytheae, pancratii; in quo supplendum τὶν ex antecedenti v. ἀμφοῖν ante Πυθέᾳ τε. Notabile genus brevitatis, quod tamen etiam aliis exemplis firmari potest. Aeschyl. Suppl. 480. σὺ μέν, πάτερ γεραιὲ τῶνδε παρθένων, κλάδους τε τούτους αἶψ᾽ ἐν ἀγκάλαις λαβὼν βωμοὺς ἐπ᾽ ἄλλους δαιμόνων ἐγχωρίων θές, ὡς ἴδωσι κ. τ. λ., hoc est αὐτὰς λαβὼν κλάδους τε τούτους ἐν ἀγκάλαις λαβὼν cet., ut vidit etiam doctissimus Doederlinus in Lectionum Homericarum specimine II., programmate acad. Erlang. 1828. p. 11. — Ceterum liquet Pytheam in Isthmiis non vicisse, sed in Nemeis tantummodo, quod propter sequens carmen annoto.

V. 19 — 53. Bellicae laudes Aeginae, mythica Aeacidarum facinora ad Troiam et nupera classis

Aeginetarum merita ad Salaminem. — Initium hoc est: Ego vero non sine Aeacidis hymnos attingo; atqui hymnum epinicium cantaturus nunc veni Lamponis filiis in hanc praeclaram urbem, quae si incedit in divinorum factorum splendida via, ne recusa iustam laudem ei admiscere huic carmini pro rebus gestis. — *οὐκ ἄτερ Αἰακιδᾶν*, nempe ubi Aeginetas victores laudo, cf. Isthm. V, 17. Neque enim in omnibus carminibus locus est Aeacidarum rebus. — V. 21. *σὺν Χάρισιν*, ut cum Gratiis hymnum epinicium canam, veluti explicatius dicitur Pyth. IX, 2. — *ἔμολον*, non ipse, sed per carmen. — *εὔνομον*, verissima laus Aeginae. — *καθαράν*, illustrem, cf. ad Pyth. VI, 14. — *ἀνὰ κέλευθον τέτραπται*, conversa est in viam, dicitur cum praepositionibus et per nudum accusativum *τρέπεσθαι ὁδόν*, inire viam, ut Xenoph. Memor. II, 1, 21., cf. plura in Act. phil. Mon. Tom. III., fasc. IV. p. 508. — *θεοδότων*, a diis datorum, cum diis peractorum, egregiorum. — *μὴ φθόνει*, noli cum Heynio indefinite accipere: O quisquis es, noli invidere; quod alienum. Immo se ipsum intelligit, ut in tot locis. Ipsum vero *φθονεῖν* c. infinitivo quis ignorat? — *κιρνάμεν*, admiscere, cf. Nem. III, 78. — V. 26. *καὶ γὰρ ἡρώων* cet., nam heroum fortes bellatores semper moris fuit ut laudem ferrent; noto usu aoristi. — *κλέονται ἐν*, cf. ad Nem. III, 79. — *ὁμοκλαῖς*, ut *βοὰ αὐλῶν*. — Ad *παμφώνοις* cf. dicta Ol. VII, 12. et adde *πολύχορδον αὐλόν* ap. Simonid. Fragm. 115. Gaisf. p. 393., ut Plato *πολυχορδότατον* appellat hoc instrumentum loco ad Ol. VII. laudato. — *μυρίον χρόνον*, Soph. Oed. Col. 617. Canuntur, ait, ab initio immensum per tempus. — Nunc aliquot illustria nomina affert, unde sequens *δέ* explicantis est. — V. 28. *μελέταν πρόςβαλον*, meditationis curam attulerunt, poetarum ingenia exercent. Eurip. Ion. 584. *δεῖμα προςβάλλεις πατρί*. Med. 1115. *λύπην ἐπιβάλλειν*. — *σοφισταῖς*, h. e. poetis, cf. Menag. ad Diog. Laert. T. II. p. 9. Iacobs. Animadv. in Eurip. p. 188. Ceterum cum tota loquutione conferri potest alia lecta Nem. X, 26. *Μοίσαισιν ἔδωκεν ἀρόσαι*, aut *πράγματα παρέχειν ταῖς χορδαῖς* Aristaen. epist. I, 14. Boiss. — *Διὸς ἕκατι*, volente Iove, cui heroum genus inprimis cordi est. Sunt enim *Διογενεῖς*. —

V. 31. *Οἰνεΐδαι.* Sunt inprimis Meleager et Tydeus intelligendi, quanquam alii plures Oenei filii fuerunt, memorati Apollod. I, 8, 1., et Antonin. Liberal. c. 2. caesi omnes in nobili pugna cum Curetibus. De Aetolorum sacrificiis aliunde nihil constat. — *γέρας ἔχει*, honorem habet, post *σεβιζόμενοι* nunc in secundo membro verbo finito posito, cf. ad Ol. I, 14. Ceterum de Iolao saepe legimus. — *Περσεὺς δ' ἐν Ἄργει*, heroum Persei in via Mycenis Argos ducente commemorat Pausan. II, 18, 1. — De Dioscuris apud Spartanos cultis omnia nota. Ad v. *αἰχμά* cf. Nem. X, 13. — V. 34. *μεγαλήτορες ὀργαί*, in Aegina vero coluntur magnanima ingenia Aeaci et filiorum; cf. Pyth. I, 89. Agnoscas autem simul insigniorem ornatum in Aeacidarum laude. — Denique quaeri potest, cur hos potissimum heroes nominet, quos vidimus; neque enim sine delectu dixit. Nominavit eos, credo, quorum nomina in Aegina prae aliis iucunda auditu erant, utpote qui civitatum amicarum essent. Cognata Aeginae et coniuncta Argos, cf. Nem VII, 2. Herod. V, 85., VI, 92. Amicae Thebae et Sparta, ut constat; amici haud dubie etiam Aetoli *Δωρίζοντες*. — V. 36. *δὶς πόλιν Τρώων πράθον*, cum Hercule Telamo, cum Atridis Neoptolemus; cf. Ol. VIII, 45. — V. 38. *ἕλα νῦν μοι πεδόθεν*, perge ab origine. Nam *πεδόθεν* hic est *ἐξ ἀρχῆς*. Proprie significat funditus, veluti quod Naeckius Ibyco restituit ad Choerilum p. 107. *πεδόθεν τινάσσει ἁμετέρας φρένας*. Hinc pro penitus dixit Hom. Od. XIII, 295. *οὔ τοι πεδόθεν φίλοι εἰσίν*. — *ἕλα*, a curru petitum, et vehi dictum est pro dicere, ut Hesychius *ἕλα* explicat *λέγε*. Vide ib. Abresch. — Dixerat de expugnatione Troiae; ut autem Achillem ne praeteriret illustrissimum Aeacidarum, pergit: repetam rem altius, dicam ab origine et commemorabo etiam ea, quae ante eversionem ab Aeacidis facta sunt. Iam de Cycno, Hectore, Memnone caesis ab Achille legimus Ol. II, 81. — *χαλκοάραν*, Isthm. III, 81. — Telephus rex Mysiae in pugna cum Achivis ab Achille hasta vulneratus, postea, quum diu ex vulnere laborasset, etiam sanatus est. Vide locos allatos in Boeckhii editione. Memorata haec pugna ad Caicum iam Ol. IX, 71 sqq. — V. 43 sq. Post *λέγε, τίνες* cet. nunc pro responso subiicitur: Aeginetae hi fuerunt,

quod ita dicit: His Aeginam dicit os fuisse patriam, magnificentius plurali usus, quanquam unus tantum intelligitur Achilles. — προφέρειν est eloqui. Sic προφέρειν αὔδαν Eurip. Suppl. 600., μῦθον Med. 189. — τετείχισται δὲ πάλαι πύργος ὑψηλαῖς ἀρεταῖς ἀναβαίνειν. Monui iam ad Isthm. II, 40. mihi Pindarum in eo quoque admirabilem videri, quod, etiam ubi summa et maxima in suo genere exprimenda sunt, oratio eum non deficit; ac perperam vulgo in talibus tumoris accusant interpretes poetam, qui humi serpere non debet, ubi maiori dicendi vi opus est. Hoc etiam nunc tene. Singularia fuerunt Aeacidarum facinora; quid igitur? Structa, ait, iam diu exstat turris sublimibus virtutibus, h. e. gaudet Aegina iam diu virtutum gloria paene insuperabili, est ibi turris virtutum, quam aegre escendas, superes, expugnes (denn längst steht hier eine Burg gemauert von schwer erreichbaren, schwer zu ersteigenden Tugenden). Vides cur πύργον dicat, comparatione a bellicis rebus petita optime praestantiam et magnitudinem virtutum significans quasi inexpugnabilem. τετείχισται ἀρεταῖς, ut si dicas τετείχισται λίθοις. — Et ὑψηλαῖς ἀναβαίνειν, sublimibus, arduis adscensu, inaccessis; cf. notata ad Ol. VII, 26. Constat ὑψηλὰς ἀρετάς optime Graece dici, ut ap. Pindarum Ol. V, 1.; nunc poeta ἀναβαίνειν addit imaginis propositae causa. Ceterum alia loci explicatio Boeckhio placet: Iam dudum Aeginetis magnum munimentum ab heroibus priscis exstructum est, quod suis escendant virtutibus. Thierschius vero sic intelligit: Iam dudum Aegina turris est, exstructa virtutibus (dativ. commod.), h. e. in quam virtutes escendant et ubi vim suam probent. Eligat lector. — V. 46 sqq. Pergit: Multa quidem possem praedicare de illis, sed nolo gloriari amplius. — πολλὰ μέν opponitur sequenti ἀλλ' ὅμως. — ἀρτιεπής, diserta, ut sunt Musae ἀρτιέπειαι Hesiod. Theog. 29., cf. ad Ol. VI. v. 61. — τοξεύματα, laudes, nota metaphora Pindarica. Sunt enim alias etiam acerba dicta, vulnerantia tela, cf. ad Ol. VIII, 55. Add. Iacobs. Anthol. Palat. p. 316. — περὶ κείνων, de Aeginetis, quod inest in Αἴγιναν διαπρεπέα νᾶσον, cf. ad Nem. VI, 31. Neque enim solos Aeacidas intelligendos docet in sequentibus nude positum ναύταις, scil. Αἰγινήταις. — V. 48 sqq. καὶ νῦν ἐν

Ἄρει μαρτυρῆσαι κεν sqq., et nunc in bello testari potest Salamis se servatam nautarum Aeginetarum virtute in perniciosa Iovis tempestate, innumerabilium virorum grandinea caede. — καὶ νῦν, quum supra de Aeacidarum rebus loquutus esset. Ceterum non diu ante hoc carmen pugnam Salaminiam factam ut statuamus, res ipsa monet; fundamentum carminis bellica et ludicra laude continetur, quod fieri non potuisset, nisi paullo ante gestum esset in bello aliquid gloriosius, velut idem vidimus Pyth. VIII. et in Hieronis laude Pyth. I. Solet enim Pindarus ubique praesentibus rebus uti in componenda laude virorum et urbium. Facta autem pugna Salaminia Ol. 75, 1. Carmen Ol. 75, 3. videtur scriptum. Porro πόλις Αἴαντος — Σαλαμίς, quum πόλις de insula dicatur, cf. ad Ol. VII, 34. Et vid. Cuper. Observ. libr. II, c. 2. — Αἴαντος, ut Simonid. Fragm. nr. 39. Αἴαντος νᾶσος Σαλαμίς. Dicitur autem Aiacis insula, non solum quia hic clarior patre, sed quia Aiax, non Telamo, patronus mythicus Salaminis erat, unde Nem. IV, 48. legimus: Αἴας Σαλαμῖν᾽ ἔχει πατρῴαν. Colebatur ibi templo. Ceterum Nem. IV., ubi Aeacidae omnes memorantur diversis in locis culti, etiam propterea nunc video omissum esse Telamonem in illo recensu, quia summus honor in Salamine Aiacis erat. — Ad construct. μαρτυρῆσαι κεν ὀρθωθεῖσα cf. Matth. Gr. p. 1077. — ἐν Διὸς ὄμβρῳ. Hom. Il. V, 91. ὅτ᾽ ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος, et XI, 492. Hesiod. ἔργ. 587, 621, ut sunt Iovis quae coelo deferuntur. Dicitur tamen potissimum de magno imbre, ut Διὸς οὖρος Hom. Od. V, 176. de forti vento. Adde alia, veluti Pyth. I, 25. Ἁφαίστοιο κρουνούς monuimus de magnis ignibus dictos, ut alias Vulcanus est de magno igne, Bacchus de meliore vino, Neptunus de magna aqua, notante etiam Vossio ad Virg. Georg. I, 295. Apponimus haec, ut sentias etiam nunc in tropica loquutione non superfluum esse Διός. — χαλαζάεντι φόνῳ, cf. de metaphora ad Nem. IX, 38. — V. 51. καύχημα κατάβρεχε σιγᾷ, sed tamen res gloriosas tace, perfunde silentio. Sic Fragm. inc. nr. 166. μὴ σιγᾷ βρεχέσθω, locus laudatus in Schol. ad Ol. XI, 58., ubi Scholiastes notat βρέχεσθαι Pindaro pro σιωπᾶσθαι dici. Confer Horat. Od. I, 15, 3. „obruit otio ventos.“ — V. 52. τά τε καὶ τά, varia, bona et mala,

cf. ad Nem. I, 30. Tanta est laus vestra, ait, ut amplius gloriari nolim, ne deorum invidiam excitem. Iuppiter alio tempore etiam mala afferre potest. — V. 53 sq. *ἐν δ᾽ ἐρατεινῷ μέλιτι* cet., dulci vero melle tinctum etiam hae ludicrae victoriae hymnum amant. Sic redit ad res praesentes. — *καὶ τοιαίδε τιμαί*, etiam talia ludicra decora, talis gloria, qualis nunc Phylacidae. Nem. X, 38. *εὐάγων τιμά.* — *καλλίνικον χάρμα*, laetum hymnum victorialem. — *χάρμα ἐν μέλιτι*, h. e. *μελιτόεν*, cf. alia ap. Schaefer. ad Longum p. 404. — Denique in fine pauca de universo loco addenda. Palmam tulisse Aeginetas in pugna Salaminia vidimus modo haud obscure a Pindaro significatum; idem testatur Herodotus loco laudato ad Nem. VIII, 30. Adde Ephorum in Scholiis h. l. Fragm. Marx. p. 221. Atque has praeclaras res gestas ut luculenter ornet, canit etiam prisca Aeacidarum facinora, eversam Troiam, caesosque ab Achille duces. Viget, ait, in vobis, antiqua Aeacidarum fortitudo, fuit eadem Aeginetica virtus, qua olim ad Troiam et recenti memoria ad Salaminem barbari victi. Cf. dicta ad Nem. III, 61. Attende denique quam caute et decenter poeta versatus sit in tanta laude propter deorum hominumque, maxime Atheniensium, invidiam. Ipsam pugnam Salaminiam breviter memorat statimque iterum abrumpit orationem subiecta religiosa sententia; paullo pluribus mythica tractat, sed etiam haec quomodo orditur? Ostendit aliis quoque in civitatibus domesticos heroes bellatores honorari et laudari in festis, ut etiam nunc non gloriandi causa, sed debitum honorem redditurus Aeacidarum mentionem facere videatur. Atque haec causa est, quare Aeacidarum laudes excusat, quod mirum alioquin deberet videri, quum aliis in carminibus non excusentur.

V. 54 — fin. Redit ad familiae victricis ludicras laudes. — *μαρνάσθω τις ἔρδων κ. τ. λ.*, contendat aliquis labore de certaminum praemiis, gente Cleonici cognita, h. e. certet victorias ferre qui hanc gentem noverit; frustra certabit, non superabit eam victoriarum numero. — *μάρνασθαι ἀμφ᾽ ἀέθλοισι*, cf. Ol. V, 15. Cleonicus fuit Lamponis pater, suaviter hic nominatus propter significationem victoriarum, quae in nomine inest. — *οὔτοι τετύφλωται μακρὸς*

μόχθος ἀνδρῶν, non deficit diuturnus (quanquam diu iam continuatus) labor horum virorum. τυφλοῦσθαι est splendore privari (blind werden), ἀμαυροῦσθαι, ἀμβλύνεσθαι, hebescere; languescere, deficere. Schol.: ὀξυδερκεῖ καὶ ἔχει καλὰ ἀποτελέσματα. Vide etiam Iacobs. ad Philostr. p. 218. Contra λάμπειν dicuntur quae vigent. — V. 57. οὐδ᾽ ὁπόσαι δαπάναι ἐλπίδων, ἔκνισ᾽ ὄπιν, nec quotquot fuerunt sumptus votorum, hoc attrivit eorum studium, s. eo studium eorum imminutum est. Nam ὄπις est ἐπιστροφή (Hesych. Etymol. Suid.), cura, nunc studium artis gymnasticae. — ἔκνισε, imminuit. Veluti κνίζειν est λεπτύνειν Etym. M. v. κνίσα, p. 522, 24. — δαπάναι ἐλπίδων, recte interpretante Heynio, sunt impensae, sumptus facti ad spes, ad vota sua consequenda. — V. 59. ἐν γυιοδάμαις dictum pro: inter athletas, nunc mihi displicet cum Hermanno, qui melius iungit ἐν γυιοδάμαις χερσί. Sunt χεῖρες omnino brachia, cf. Schaefer. ad Longum p. 331., atque hoc sensu memorantur in laude luctatorum, ut Nem. VI fin. Ol. IX, 119. Brachia vero in utroque latere corporis quum sint, potest aliquis recte dici ire robustis in brachiis, neque enim ἐν hic verti potest per. Porro πλαγᾶν δρόμος, cursus plagarum (die Laufbahn der Schläge) est certamen pancratiasticum. — εὐθυπορεῖν, recta incedere (Ol. VII, 91.) nunc in coniunctione cum dativo Φυλακίδᾳ est praeire. Verte: Laudo etiam Pytheam membrorum domitoribus in brachiis Phylacidae plagarum cursum recta praeivisse, dextrum peritia adversarium. Pytheas, victor in Nemeis, certamina praeeundo fratrem vincere docuerat. Cave enim de institutione in arte gymnastica a Pythea curata cogites cum aliis. — V. 62 sq. Sume ei coronam, fer villosam mitram, et una mitte alatum hymnum. Dignus est, ait, Pytheas ob haec merita, qui denuo coronetur novoque hymno ornetur. Neque enim cogitandum esse vides de vero hymno misso veraque corona, sed haec ipsa verba sunt instar harum rerum. — εὔμαλλον μίτραν dicit taeniam laneam, qualis v. c. Isthmiis coronis imponi solebat; cf. Ol. IX. v. 90. Nunc etiam Nemeaeam Pytheae coronam ea ornari vult. Ut omnino passim taeniae et coronae iun-

guntur, cf. Anthol. Lips. Iacobs. T. 1. p. 235., ibiq. laudata Iacobsio T. VII. p. 339. — πτερόεντα, cf. ad Nem. VII, 22. — Ceterum laudatur Pytheas hic, ut in sequenti prius scripto carmine, cum Phylacida honoris causa. Omnino quae cecinit huic familiae tria carmina poeta, in iis omnibus fratres coniunctim laudavit.

Carmen Isthmium quintum.

INTRODUCTIO.

Est hoc carmen secundum, quod Lamponis filiis cecinit Pindarus, testante ipso poeta in prooemio scriptum quum Phylacidas primam ex Isthmiis victoriam reportasset, quae parta ante pugnam Salaminiam, ut iam monuimus in Introductione ad Nem. V. Cantatus est hymnus praeclarus in Aegina apud Lamponem in convivio, monstrante prooemio. Accipe hinc argumentum. Post prooemium, ubi orsus a Pytheae laude Phylacidae nuntiat primam victoriam et vota facit etiam pro Olympica, quam meditabatur filiorum alteruter, transit ad Aeacidas, quorum gloriam latis viis dicit ad Aethiopes et Hyperboreos usque pertinere, nec esse urbem tam barbaram, quae non de Peleo audiverit et de Aiace ac Telamone. Ac Telamonem quidem iam narrat cum Hercule eximias res gessisse, quum heros Tirynthius Troiam cum eo caperet Meropesque et Gigantes debellaret. Reperit vero, pergit, quum Aeacidam invitaret ad societatem belli, Hercules forte omnes coenantes. Hunc Telamo in pelle leonis adstantem auspicari iubet libatione, obtulitque phialam vino plenam. Ille vero tollens ad coelum manus sic precatur: Si unquam ante verba mea lubens audivisti, Iuppiter, nunc, nunc oro te impensis precibus, filium ut praebeas fortem huic hospiti meo, corpore firmum et animosum. Haec loquuto heroe confestim misit deus magnam aquilam, qua conspecta ille laetus pergit: Erit tibi filius, quem optas, o Telamo, appellavitque eum Aiacem e nomine aquilae, ut insignem futurum in

laboribus Martis. Tum consedit. Finita hac narratione Pindarus ad res praesentes redit, praedicatque Pytheae, Phylacidae et Euthymenis avunculi victorias, quibus gentem Psalychidarum illustraverint domumque Themistii avi; postremo debita laude etiam Lamponem ornat, qui ipse rei gymnasticae studiosus filios ad eam praeclare instituerit, vir hospitalis et moderatus. — Iam revocanda haec sunt ad veram rationem suam. Est igitur summum consilium poetae hoc, ut Lamponis filiorum duorum inprimisque Phylacidae, recentis victoris, ἀνδρία illustretur quam luculentissime. Erant ambo fratres praeclari, ut vidimus iam Nem. V., maxime vero Phylacidam virtute gymnica excelluisse verisimile est, siquidem hic etiam de Olympica corona reportanda cogitasse videtur. In talibus igitur epiniciis quid attulit Pindarus? Orditur ab Aeacidarum immensa gloria, significans etiam horum fratrum aliquando maximam futuram gloriam. Tum ad Herculis et Telamonis res gestas deducta oratione narrat ab illo quondam expetitum Telamoni filium eximium et a Iove promissum magnifico augurio. En similes filii egregii nunc etiam Lamponis liberi sunt, et ipsi propitio numine patri dati, inprimisque recens victor Phylacidas, natu minor, patri credo carissimus. Adde haec in convivio cani, ubi poculis sublatis preces fiebant pro hac praeclara Lamponis progenie, quemadmodum Hercules olim steterat inter coenantes poculum tenens, et impetraverat a Iove immortalem illum Aiacem: quid quaeso fingi potuit ad commovendos omnium qui aderant animos potentius? aut quae laus magnificentior adolescentibus dicta est unquam? Convenit cum ceteris exitus carminis, ubi victoriae filiorum directa oratione laudantur, et laudatur pater Lampo, praeclarus filiorum suorum in arte gymnastica institutor.

E X P L I C A T I O.

V. 1 — 16. Prooemium. Secundum hunc esse ait hymnum, quem Lamponis filiis canat, optatque, ut etiam tertium aliquando addere liceat, Olympio Iovi

consecratum, precans Parcas, ut audiant Lamponis in hanc rem vota. — Initio constructio est: *θάλλοντος ὡς ὅτε συμποσίου δεύτερος κρατὴρ κίρναται*, ut quum laete vigente convivio secundus crater miscetur. Formulam *ὡς ὅτε* vidimus iam Ol. VI, 2. — *θάλλοντος*, ut *εἰλαπίνην τεθαλυῖαν* Hom. Od. XI, 415, et saepe *δαὶς θάλεια*, cf. Heinrich. ad Scut. Hercul. p. 192. — *κρητῆρα Μοισαίων μελέων* vocat hunc hymnum, comparatione a potu vinoque petita, ut fieri vidimus in carminibus in convivio cantatis, veluti Ol. VI, 91. Ol. VII, 7. Ceterum conferas obiter *μύθων καὶ λόγων κρατῆρα, φιάλην* similesque elegantes metaphoras aliorum ap. Wyttenb. ad Plutarch. Conviv. P. 156. d. — *εὐάθλου*. Utitur verbo Aristoph. ap. Suid. in v., cf. Stephan. edit. Lond., ubi etiam aliud exemplum notatum videbis. — *Λάμπωνος γενεᾶς ὕπερ*, pro Lamponis filiis. Ductum suaviter ex usu conviviorum, in quibus libantes deo pro se aliisve preces faciunt, veluti Hom. Od. III, 55 sqq. Sic igitur etiam hic crater miscetur, ut vota fiant pro Pythea et Phylacida. Omnino prooemium excogitatum est pulcherrime. Solebant veteres, quemadmodum etiam Scholia bene illustrant et Soph. ap. Hesych. v. *τρίτος κρατήρ*, in conviviis primum craterem miscere Iovi, alterum Terrae et Heroibus, tertium Iovi servatori. Vide de hoc usu et maxime de tertio cratere Iovi Servatori misto Spanhem. ad Aristoph. Plut. 1176. Iacobs. Anthol. Tom. VI., p. 314. Heindorf. ad Platon. Charmid, p. 93. *Δία σωτῆρα* ipsum explicabit alio loco Müllerus. Plures misceri crateres immodicum esse monet Eubulus ap. Athen. II. P. 36. Illos vero tres nunc Pindarus comparat. Primum Iovi mistum dicit pro Lamponis progenie, quum beneficio Iovis Nemeaei Pytheas vicisset; hoc igitur est carmen Nem. V. Alter nunc miscetur Neptuno et Nereïdibus, quum Phylacidas vicerit in Isthmiis. Tertium precatur ut aliquando miscere liceat Iovi Olympio in Olympica victoria. — V. 35 sqq. *ἐν Νεμέᾳ μὲν πρῶτον* sqq., postquam in Nemea primum a Te accepimus coronam, nunc autem ab Isthmi domino et quinquaginta Nereïdibus, Phylacida victore. De v. *δέχεσθαι* c. dativo cf. ad Pyth. IV, 23. — *ἄωτον στεφάνων*, pulcherrimam coronam, Ol. IX, 21. — *Νηρεΐδεσσι*. Co-

lebantur hae una cum Neptuno Isthmio in templo dei; cf. Pausan. II, 1, 7. Tamen quum alias in his rebus apud Pindarum non laudentur Nereïdes, recordaberis ex iis fuisse Psamathen et Thetidem, matres Aeacidarum. Favent igitur eximie Aeginae Nereïdes et Neptunus, *Νηρηΐδων γαμβρός* qui dicitur Nem. V, 37. Ac significavi iam illic respici hoc loco illud carmen. — V. 7 sq. *εἴη δὲ τρίτον* sqq., utinam liceat tertium Servatori apparantes Olympio Aeginae in gratiam libare mellisonis carminibus, ut vertit Boeckh. Adduntur autem, ut aliquoties vidimus, preces pro futura victoria, ubi captum iam est a victore aliove e familia adeundi certaminis consilium. Nunc igitur fratrum unus meditabatur Olympicam victoriam, quem ego suspicor ipsum Phylacidam fuisse, recentem victorem, filiorum Lamponis, ut videtur, insigniorem. — V. 10 sqq. Dixerat: Utinam etiam summa quae restat laus Lamponis domo contingat. Hinc pergit: Nam si quis sumptu gaudens et labore egregias res peragit, simulque deus ei parat gloriam, summam is consequutus est felicitatem. — *ἀρεταί*, facta egregia. Unde *πράσσειν* addi potuit; neque vero dicitur *πράσσειν ἀρετήν*, singulari numero. — *θεοδμάτους*, vid. ad Pyth. I, v. 61. — Porro *πράσσειν θεοδμάτους ἀρετάς* potest etiam is, qui sine successu strenue agit. Unde addit: *σύν τέ οἱ δαίμων φυτεύει δόξαν ἐπήρατον*, h. e. victorias, ut *κλέος ποθεινόν* Isthm. IV, 8., *δόξαν* Isthm. III, 16. cf. ad Ol. XI, 63. — *φυτεύει*, Pyth. IV, 59. Nem. VIII, 16. Fragm. inc. nr. 2. — *σύν τε*, simulque, quod interdum absolute ponitur, ut Eurip. Herc. fur. 787. Musgr., notante Schaefero ad Schol. Apollon. Rhod. p. 246. Omisit hoc Bernhardy Synt. p. 198, 9., ubi docte multa exempla affert praepositionum adverbiali sensu cum particula *δέ* iunctarum, ut *ἐκ δέ*, *ἐν δέ*, *ἐπὶ δέ*, *μετὰ δέ*, *ὑπὸ δέ*, *σὺν δέ*, al. — *βάλλετ'* h. e. *βάλλεται*, iacit ancoram ad ultimos fines felicitatis. Vidimus *ἔσχατον πλόον* Pyth. X, 29., et saepe columnas Herculis memoratas. — V. 14 sqq. Talibus votis precatur ut potitus mortem videat et senectutem Lampo. Hoc, ait, gloriae et felicitatis fastigium precatur Lampo ut domo suae contingat, neve sine hoc mortem videat et senectutem. Ceterum aptum hic est hysteronproteron, qualia quis ne-

scit. — ὀργαί, quae quis appetit. — ἀντιάσαις, compos factus. Observa etiam εὔχεται optime collocatum ante hoc participium. — ἕπεσθαι, obsequi (Pyth. IV, 133.), exaudire. — ἐφετμαῖς, postulatis, precibus intentis; haec vis enim inesse videtur in voce. — Ceterum magnificentiore oratione utitur optime, preces faciens pro egregio viro et amico; unde ipsarum Parcarum appellatio. Ineptum hoc fuisset in leviori re.

V. 19 — 53. Mythica pars carminis. De immensa gloria Aeacidarum, tum de Hercule Telamoni, quum hunc ad societatem belli invitaret, filium fortem a Iove precibus impetrante Aiacem. — V. 10 sqq. Vosque, o Aeacidae, lex mihi maxime perspicua est ut celebrem, quoties Aeginetas canam. Neque enim ἐπιστείχοντα proprie accipiendum, sed poeta adest per carmen, ut saepe vidimus. Particulam τέ etiam integris sententiis nectendis inservire notum. — ῥαινέμεν. Dixit rigare, conspergere laude terram, urbem (Ol. XI, 103.), etiam gentem (infr. 60.), sed non usurpavit de singulo homine nisi Pyth. VIII, 60. de mortuo, quod aliud est (cf. ad Pyth. V, 100.), quanquam illic monere oblitus sum. — V. 22. μυρίαι δ᾽ ἔργων καλῶν τέτμηνθ᾽ ἑκατόμπεδοι ἐν σχερῷ κέλευθοι cet., Innumerae vero facinorum praeclarorum sectae sunt centumpedales continuo viae, et ultra Nili fontes et per Hyperboreos. Sunt, ait, longissimae et latissimae viae praeclaris Aeacidarum factis, h. e. gloria horum factorum non angustis tramitibus incedit, sed latissimis viis iisque continuis ad terminos orbis. Iterum dico, quod Isthm. II, 40. et Isthm. IV, 50. dixi, res grandes verba postulare grandia. Neque tales imagines vere magnificae ex nostro usu, sed ex veterum ratione iudicandae sunt. Tenebis hoc etiam propter loquutionem ἑκατόμπεδοι κέλευθοι, viae centum pedes latae, h. e. latissimae, quum Boeckhio monente veteres etiam alias solerent a latitudinis mensura vias denominare, ut saepius in Tabulis Heracleensibus memoratur ἁ τριακοντάπεδος ὁδός. — τέτμηνται, h. e. sunt, exstant. Sed magnificentiore verbo utitur. Est vero τέμνεσθαι proprium de viis, cf. Pyth. V, 90. — V. 23. πέραν Νείλοιο παγᾶν, h. e. ad Aethiopes, quod propter Memnonem dictum

ab Achille caesum, cf. similem locum Nem. VI, 51. — Hyperboreos, Aethiopibus oppositos, vides ad septentrionem habitare, non ad occidentem. Vid. ad Ol. III, 14. Ignota vero fabula est, quam hic Pindarus spectat. Suspicor Telamonem respici, qui socius Herculis fortasse etiam ad Hyperboreos cum eo venerat. Potuit e domesticis Aeginae traditionibus hausta esse res reconditior. — V. 25. ἀΐει, novit, ut etiam ἀκούειν dici constat. — In fine loci addo, quod in Introductione monui, Pindarum de immensa Aeacidarum gloria propter Lamponis filios dicere, simili loco Nem. VI. probari, ubi propter Bassidas horum heroum gloria pervulgata laudatur, ut illic explicatum est in Introductione. Iam subsistit in Telamonis rebus. Vidimus autem expeditiones contra Troiam, Meropes et Gigantes iam Nem. IV, 25 sqq. laudatas, ubi cf. dicta. — V. 27. χαλκοχάρμαν Scholiastes recte cum πόλεμον iungit, non vero cum τόν. Comparabis σιδαρίταν πόλεμον Nem. V, 19. Est autem χάρμη proprie χαρά, χάρμα, unde Ol. IX, 86. pro victoria vidimus dictum. Hinc ἱπποχάρμης rei equestris studiosus, ut interpretantur etiam ἱππιοχάρμης Hom. Il. XXIV, 257., cf. Heyne. Porro σιδαροχάρμας, χαλκοχάρμας est qui laetatur et utitur armis ferreis, aereis, ut notavi Pyth. II, 2. Ceterum χάρμη ap. Homerum est pugnandi alacritas, bene notante Doederlino Lectt. Hom. Spec. II. p. 1. — V. 28. σὺν Τιρυνθίοισι, ubi tum habitabat. — ἥρωσι μόχθον Troiam dicit, utpote divino muro munitam, ut non posset facile capi. — V. 29. ὑπὲρ ἀμπλακίαν, ob fraudem Laomedontis, ut notum. De significatione praepositionis ὑπέρ rariore cf. Herm. ad Viger. p. 863. Non cogitavit de hac constructione Bernhardy Synt. p. 244. — V. 32. βουβότας dicitur Alcyoneus, quum Solis boves ex Erythia abegisse ferretur, Apollod. I, 6, 1. — οὔρεϊ ἴσον, ingentem, horrendumque visu. Primus montis comparatione usus est Hom. Od. X, 113. τὴν δὲ γυναῖκα εὗρον ὅσην τ' ὄρεος κορυφήν, κατὰ δ' ἔστυγον αὐτήν, et de Hectore Il. XIII, 754. ὡρμήθη ὄρεϊ νιφόεντι ἐοικώς. Minus simplex Virgil. est in Aeneae laude Aen. XII, 701.: „quantus Athos aut quantus Eryx, aut ipse coruscis Quum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali Vertice se attollens pater Apenninus in auras.“ Postremo aliam loquutionem addam de Cyclope Aen. III, 619.: „ipse arduus altaque

pulsat sidera." — V. 33 sq. σφετέρας οὐ φείσατο νευρᾶς, suoque non pepercit gravisono nervo. σφέτερος pro suus ter supra vidimus. — Sagittandi peritiam in Hercule laudavit iam Hom. Il. V, 393. Od. VIII, 224. Ita factum, ut etiam in Gigantomachia arcu ferrent eum usum, cf. Apollod. I, 6, 1. Omnino adde, quod optime Müllerus me monet, Herculem in his cum Telamone expeditionibus ψιλοῦ partes egisse, Telamonem vero ὁπλίτου, probantibus hanc veterum opinionem etiam artis operibus. Igitur tenebis hoc etiam ad Nem. III, 37. Telamo et Iolaus illic παραστάται in prima acie capiunt moenia Troiae; insequebatur Hercules ψιλός, quem tamen poeta non nominat, de Telamone potissimum dicturus. Hoc obiter. — V. 35. Ἀλλ' Αἰακίδαν καλέων κ. τ. λ. Aeacidam vero invitans ad expeditionem invenit forte omnes coenantes. Memoraverat res a Telamone cum Hercule gestas; nunc ad principium redit, expositurus quomodo facta sit heroum societas, in quo non δέ adhibet sed nervosiorem particulam ἀλλά. Accedit ad id, quo maxime tendebat. Hausta vero sequens narratio est ex Eoeis, Hesiodeae scholae opere celeberrimo, ut Scholiastes notat v. 53. Legitur etiam Apollod. III, 11, 7. et ap. Tzetz. ad Lycophr. 455. — ἐς πλόον, ad expeditionem adversus Troiam, primum ex tribus memoratis facinus. — V. 37. ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα. Leonis exuviis primi instruxerunt Herculem Stesichorus et Pisander. Vide Heyn. ad Apollod. Observatt. p. 139. Heinrich. in Prolegom. ad Scut. Hercul. p. LXIX sqq. Müller. Hist. Dor. T. I. p. 444. — σπονδαῖσιν ἄρξαι, dictum ut Nem. II fin. ἁδυμελεῖ δ' ἐξάρχετε φωνᾷ. Scilicet Hercules, quum introisset, significaverat Telamoni causam adventus et ad societatem belli invitaverat. Hunc iubet Telamo auspicari libatione, poculum offerens, s. praeire libatione pro re suscipienda. Quod ita facit Hercules, ut Telamoni etiam, tum prole carenti, filium precetur, quo statim a Iove promisso constabat simul probari diis societatem belli cum Hercule ineundam et expeditionis finem. — V. 39 sq. ἄνδωκε, obtulit sublatum. — χρυσῷ πεφρικυῖαν, auro horrentem, h. e. phialam auro aspero, phialam auream asperam signis, ut toreuma. Vix equidem dubito etiam in his epiniciis talem phialam conspectam, πάγχρυσον κορυφὰν

κτεάνων. — V. 43. ἐθέλων, propitius, ἑκὼν θυμῷ, cf. Boeckh. Nott. critt. ad. Pyth. I, 62. Sic Hesiod. Theog. 443, 6. ἐθέλουσά γε θυμῷ, θυμῷ γε θέλουσα. Latine volens. — V. 44. εὐχαῖς ὑπὸ θεσπεσίαις, precibus cum maximis. De voce θεσπέσιος disputat Buttm. Lexil. T. I. p. 167. Ad loquutionem ὑπ᾽ εὐχαῖς cf. Propert. IV, 7, 95. Haec postquam querula mecum sub lite peregit. Omissum video hunc usum in grammaticis nostris. — Eriboeam Aiacis matrem appellat etiam Sophocl. Ai. v. 569. aliique; Meliboeam vocat Ister ap. Athen. XIII. p. 557. A., Periboeam denique Xenoph. Cyneg. I, 9. aliique. Vide plures locos de tota re notatos a me in Boeckhii editione. — V. 46. ξεῖνον ἁμὸν μοιρίδιον τελέσαι, hospitem meum qui plane felicem reddat. Monuit cum Hermanno Boeckhius in Nott. critt. Nam ad filium verba trahenda sunt, veluti Nem. VII, 28. κομίσαι ad Aiacem pertinet. — V. 47 sq. τὸν μέν propterea adhibuit, ait Hermannus, quia post mentionem pueri, de quo nunc pergit, haec ξεῖνον ἁμόν interposuerat. Quare ita iam orationem continuat, illum vero etiam robustum. — ἄῤῥηκτον φυάν, firmum corpore (unverwüstlich), qualis haec pellis leonina. Non bene invulnerabilem verti ad Nem. VIII, 29., quum quaestio, num invulnerabilis fuerit Aiax nec ne, aliena sit ab hoc loco, cf. Boeckh. ad Fragm. inc. 77. — περιπλανᾶται, de amictu fluitante. — πάμπρωτον ἄθλων, quum primus Herculis labor leonis caedes esset. — θυμὸς δ᾽ ἑπέσθω, animus autem comitetur. — V. 50. ἔκνιξεν, titillavit eum intus. — V. 53. καί νιν ὄρνιχος φανέντος cet., et a nomine avis, quae apparuerat, nominavit eum validum Aiacem, tanquam insignem futurum in hominum laboribus bellicis. Quum sic pergendum fuisset: Atque erit ille tibi ex aquilae nomine Aiax appellandus, Hercules suavius ipse statim nomen filii pronuntiat. — ἐπώνυμον ὄρνιχος, constat vocem c. genitivo et dativo iungi, cf. ad Pyth. I, 30. — ἐν πόνοις Ἐνυαλίου. Horat. Od. IV, 14, 17. „Spectandus in certamine Martio.“ — Ceterum ab aquila nomen Aiacis deducit etiam Apollod. III, 12, 7. Tzetz. ad Lycophr. 455. Alii ab αἶ, αἶ, αἰάζω, ut Sophocl. in Ai. 430., ubi vid. Lobeck. Adde Müller. Aeginet. p. 22. Osann. de Soph.

Aiace p. 64. — Absolvitur hic narratio, nec potuisset addi quod non fuisset alienum. Quare quod dicit V. 56. ἐμοὶ δὲ μακρὸν πάσας ἀναγήσασθ' ἀρετάς, scil. Aiacis, est formula loquendi, quales etiam alias ponit consulto rem aliquam abrumpens. — ἀναγήσασθαι, enarrare, ut Nem. X, 19. simili loco.

V. 57 — ad finem. Ultima pars. Redit ad res praesentes et laudat Phylacidam cum Pythea et Euthymene avunculo; patremque filiorum praeclarum magistrum. — ταμίας κώμων, largitor carminum epiniciorum. Ol. XIII, 7. ταμίαι ἀνδράσι πλούτου, Horae dispensatrices divitiarum. — Εὐθυμένει, Nem. V, 41. — V. 58 sq. τὸν Ἀργείων τρόπον, Argivorum more dicetur res paucissimis. βραχυλογία propria fuit Doriensium, inprimis Spartanorum, Argivorum, Cretensium, cf. Müller. Hist. Dor. T. II. p. 386. Postremo ne mireris, cur poeta non Spartanos in hac re nominet, ut vulgo fit, sed Argivos, recordaberis Argivos fuisse qui post reditum Heraclidarum Aeginam occuparent et Doricum imperium ibi conderent. Pausan. II, 29, 5. Quare sensus est: more vestro. — V. 60 sq. Victorias dicuntur tulisse primum τρεῖς ἀπ' Ἰσθμοῦ. Harum una est quae nunc canitur Phylacidae. Pytheae Isthmia victoria nulla fuit, ut ex carm. Isthm. IV, 19. post hoc scripto liquet, cf. illic dicta. Quare reliquas duas statuendum est Euthymenis esse, reportatas post carmen Nem. V., ubi nondum memorantur. — τὰς δ' ἀπ' εὐφύλλου Νεμέας, alias e Nemea. Harum una est Pytheae Nem. V. laudata. Phylacidas nondum vicerat ibi, qui iunior Pythea Nem. V. primum meditatur Isthmiam victoriam, nunc reportatam. Quare Euthymenes iterum in partem laudis venit. — Ceterum ἀπὸ παγκρατίου, ut Ol. VIII, 59. χάριν ἐκ παγκρατίου. De iterata praepositione ἀπὸ παγκρατίου — ἀπ' Ἰσθμοῦ cf. supr. v. 26, 7. Sed dissimile est Nem. XI, 9, 10., ubi vide. — V. 62. ἀνὰ δ' ἄγαγον ἐς φάος cet., et produxerunt (per haec) in lucem qualem vim hymnorum. Ad verba ἄγαγον ἐς φάος cf. similia ap. Astium Animadv. in Platon. Legg. p. 232. — μοῖρα ὕμνων, dictum ut μοῖρα καλῶν, εὐδαιμονίας, est felix copia laudum et carminum. Ceterum ne dubita cantatas has victorias etiam aliis carminibus a domesticis poetis. — τὰν Ψαλυχιδᾶν δὲ πάτραν κ. τ. λ., Psa-

lychidarum vero gentem Gratiarum rore irrigant et, Themistii illustrantes domum, hancce urbem diis caram habitant, h. e. illustrant pariter gentem suam et familiam. — *Χαρίτων δρόσῳ*, ut *κώμων δρόσος* Pyth. V, 99. et *ἄρδοντι* ut *ῥαινέμεν* supr. v. 19. Intelligit igitur hymnos epinicios, quibus ornant gentem, quum victoriis suis poetis carminum auctores sint. — *Θεμιστίου οἶκον*, qui avus maternus Pytheae et Phylacidae. Si de solis filiis Lamponis sermo esset, potuisset dici: paternam domum illustrant. Nunc melius pro paterna avitam dicit, propter Euthymenem, Themistii filium, simul laudandum, et propter Themistii ipsius gloriam, nobilissimi athletae, pugilatu et pancratio insignis, ut vidimus Nem. V fin. — *ὀρθώσαντες*, cf. Isthm. III, 56., et ad Nem. I, 15., ubi quod etiam Isthm. IV, 48. comparavi, errore factum. Porro pro *ὤρθωσαν* ornatius dicit: *ὀρθώσαντες τάνδε πόλιν θεοφιλῆ ναίοισι*, decora domus Themistii, habitant hanc urbem. — Iam pergit ad Lamponis laudes. V. 66 sqq. *Λάμπων δὲ μελέταν ἔργοις ὀπάζων κ. τ. λ.*, Lampo autem curam laboribus impendens Hesiodi valde probat hoc dictum, filiosque ut colant hortatur, commune civitati suae ornamentum adducens. Hesiodi dictum est Opp. et D. v. 382. *μελέτη δέ τοι ἔργον ὀφέλλει*, quare apud Pindarum pronomen *τοῦτο* ad ipsa verba *μελέταν ἔργοις ὀπάζων* pertinet. Confer quae de v. *οὕτω* collegit Schaefer. ad Schol. Apollon. Rhod. p. 261. — Constat autem Hesiodi in hoc opere proposita praecepta magna auctoritate apud veteres fuisse, quod notavit etiam Heinrich. Prolegom. in Scut. Hercul. p. XLVI. Veluti Xenophon in Memorabilibus non semel hoc opus laudat, I, 2, 56. II, 1, 20. Quid autem dicit Hesiodus? Cura et labore augeri rem familiarem. Pindarus vero de studio arti gymnasticae rebusque gerendis impenso loquitur, quum Lampo, quanquam nunquam victor in ludis, exerceret tamen hanc artem, et credo etiam certamina adiisset saepius. Quid igitur? Num male intellexit Pindarus perspicua verba Hesiodi? Ne crede, sed sciens suaviter alium sensum intulit suo, consilio accommodatum. Sic Plato Theaetet. p. 155. D. *Μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος τὸ θαυμάζειν. οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη, καὶ ἔοικεν ὁ*

τὴν Ἶριν Θαύμαντος ἔκγονον φήσας οὐ κακῶς γενεαλογεῖν. Est idem Hesiodus Theogon. 780. Suaviter hic Plato philosophiam, deorum nuntiam, dicit Irin Thaumantis filiam, ingeniose usus Hesiodi dicto. Aliud exemplum vid. Xenoph. Memorab. I, 3, 7. Notabile hoc genus interpretationis ingeniosis hominibus semper adamatum (eine sinnreiche Anwendung), quod cave confundas cum prava allegorica interpretatione scriptorum. Inprimis autem proverbia constat ingeniosiora ad diversissimas res transferri neglecto primitivo sensu. — *φράζων*, scil. *τοῦτο τὸ ἔπος*. — *κόσμον προςάγων*, h. e. ita vero etiam urbem illustrat. — V. 70. *καὶ ξένων εὐεργεσίαις ἀγαπᾶται*, et liberalitate in hospites placet. Ad *εὐεργεσίαις* cf. Pyth. IV, 30. — V. 75. *μέτρα μὲν γνώμᾳ διώκων, μέτρα δὲ καὶ κατέχων*, modum animo consequi studens, modum vero etiam tenens. Verba ut constructione ita sensu cum proxime antecedentibus nexa. Erat Lampo, credo, humanus, mitis, aequus, moderatus, alienus ab asperitate et superbia, *οὐχ ὑπερβαλών* Nem. VII, 66. Atque hanc praeclaram animi moderationem sectabatur ubique, et, quod non minus difficile est, servare etiam constanter sciebat. Quum enim alias saepe *διώκειν ἀρετήν* et *ἔχειν*, *κατέχειν* ad idem redeant, nunc haec verba vides sibi opposita esse. Ceterum Schmidius suspicatur Pindarum iterum respicere aliud Hesiodeum, quod fuerit: *μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον*. Sic *Ἔργ.* 639. *Μέτρα φυλάσσεσθαι· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος*. Laudabant tamen etiam gnomici *μέτρον* multis dictis, cf. Welckeri mei exempla ad Theognid. p. 36. Quare etiam huc respicere potuit. — V. 72 sq. *γλῶσσα δ' οὐκ ἔξω φρενῶν*, nec loquitur aliter Lampo quam sentit. Est *ἔξω τινὸς εἶναι* non participem esse alicuius rei, aut abesse ab ea, ut hic, cf. Iacobs. ad Anthol. N. XI. p. 150. et Musgrav. ad Soph. Oed. Col. 1231. — *φαίης — ἀκόναν*, dicas eum athletis esse quod Naxia cos alios est inter lapides, h. e. quemadmodum Naxia cos prae ceteris lapidibus apta est ad acuendum, ita Lampone nemo magis idoneus ad artem gymnasticam docendam. Dicitur *θήγειν*, acuere, de alipta docente, cf. ad Ol. XI, 21.; ita factum, ut poeta in hanc comparationem incideret. Videtur enim olim in Naxo fuisse cos aeri acuendo inprimis apta, hinc *χαλκοδάμας*, ut etiam apud nos aes, ferrum,

chalybs acuuntur lapidum quorundam durorum ope. Tamen aliunde de hoc Naxio lapide non constat. Ceterum redit poeta per hanc sententiam cum vi ad principium loci, *Λάμπων δὲ μελέταν ἔργοις ὀπάζων*. Hinc est asyndeton. — V. 74. *πίσω*. De forma cf. grammaticas nostras. Construitur cum duplici accusativo, ut *ποτίζειν* Geopon. XVII, 20., *φοινίζειν* Herod. I, 129. Nolim vero vertere: rigabo, irrigabo, ut olim feci cum aliis; potius *πόμα ἀοίδιμον* intelligendum est. Hoc ait: Recreabo eos (Lamponem cum ceteris supra laudatis) pro praeclara opera et labore potu Dircaeo Musarum. Habitabat Pindarus prope Dircen ante portas Neitides, Pausan. IX, 25, 3., quare, ut alias cum vino carminum laudes comparat, sic nunc cum aqua refrigerante hausta e fonte Dircaeo, quam produxerint Musae fontium deae. Sic haec pulcherrime excogitata sunt, quum dicere vellet: Sint mihi laudibus celebrati.

Carmen Isthmium sextum.

INTRODUCTIO.

Quo tempore scriptum sit hoc carmen non traditur, coniecit tamen Boeckhius eximie Ol. 81, 1. scriptum post Isthmia aestiva, quum Thebani ad Oenophyta magna clade afflicti essent sex mensibus ante. Scilicet Thebani pacti erant cum Lacedaemoniis, ut hi sibi Boeotiae imperium restituerent amissum post Persica, promiserantque pro hac opera socios se iis futuros contra Athenienses. Sic anno Ol. 80, 4. post expeditionem Spartanorum adversus Phocenses quum redeuntibus se opposuissent Athenienses, factum est, ut ad Tanagram a Lacedaemoniis et Thebanis proelio certaretur contra Athenienses sociosque, inter quos Argivi, de Boeotiae imperio. Pulsi Athenienses, et victoriam tulerunt Spartani cum sociis. Iam vero Spartani domum redeunt, quadrimestribus cum Atheniensibus induciis

factis, nec diutius Thebanis opitulantur; unde Athenienses denuo exorti sexaginta diebus post Tanagraeam pugnam apud Oenophyta Thebanos fundunt gravissimo proelio, ubi dimicatum per tres dies. Ereptum est Thebanis imperium Boeotiae, quam sibi subiiciunt Athenienses universam exceptis Thebis et Phocis, Thebis vero populare imperium institutum turbidum et inconditum, ut etiam multis mensibus post desperatae essent res urbis. Atque hoc tempore carmen scriptum videtur Strepsiadae pancratiastae. Vide haec docte exposita in editione maiore a Boeckhio ex ipsis historiae fontibus. Accipe iam argumentum: Postquam Pindarus in prooemio prisca ornamenta et facta egregia Thebarum indicavit, ad recentem Strepsiadae victoriam accedit et ab huius laude mox ad avunculum cognominem transit, qui in proelio ceciderat. Ornat igitur nunc etiam hunc eximiis laudibus, qui pro patria occubuerit fortissime pugnans, et cum summis heroibus Meleagro, Hectore, Amphiarao comparat. Sensi tum, ait, ingentem luctum, sed nunc Neptunus serenitatem praebuit ex tempestate; canam igitur laete coronis caput revinctus. Deorum autem ne turbet invidia gaudia quotidiana, quae sector. Longinqua si quis circumspectat, reputet non posse attingi deorum sedem. Nobis autem Apollo praebeat etiam Pythiam coronam. Atque haec hactenus. — Vides rationem carminis oppositione adversarum et secundarum rerum niti, quas Thebae expertae. Gravi proelio afflicta est urbs et perdidit eximios viros; opponit igitur poeta huic calamitati prisca ornamenta urbis et recentem victoriam Strepsiadae, ut luculenta documenta favoris deorum, ut solatia et fomenta moeroris. Viget adhuc, ait, ut olim, fortuna aeterna Thebarum, necdum aversi dii; erigite igitur animos et spem resumite. In quo suaviter ad suam omnia personam revocat, quae civibus dicta vult. Postremo ad modestiam Thebanos hortatur, qui ad superbiam quam ad moderationem procliviores erant, ut contenti sint modico prosperitatis fructu neve insolentes nimia affectent iterum, sic censeas, opinor, mansurum deorum favorem et futuras etiam alias coronas.

EXPLICATIO.

V. 1 — 19. Prooemium. Prisca ornamenta Thebarum. — ὦ μάκαιρα Θήβα, pro urbe suavius deam urbis alloquitur, ut Isthm. I init. — τὰ πάρος καλὰ ἐπιχώρια vides esse prisca decora et ornamenta domestica. — ἦ ῥα usitatum in interrogationis primo membro, ut monet etiam Hermannus ad Soph. Aiac. v. 176. Pindarus autem dicit: Utrum aere strepentis Cereris assessorem quum edidisti Bacchum. — χαλκόκροτος de cymbalorum strepitu intelligit Scholiastes, ut Rhea dicitur χαλκόκροτος Hesychio teste διὰ τὰ κύμβαλα, cf. T. II. p. 1539. Fuerit igitur ab hac dea res ad Cererem traducta. Fortasse tamen non cogitat cymbala Pindarus, sed aes illud s. instrumentum aeneum, ἠχεῖον, cuius strepitus fuit in Cerealibus, cf. interprett. ad Vellei. Pat. I, 4, 1. Atque haec Mülleri mei sententia est. Porro constat inde a prisco tempore Cereris et Proserpinae sacra fuisse Thebis, cf. Müller. Hist. Orchom. p. 450 sqq. Bacchum vero assessorem Cereris dicit, quum apud Thebanos, ut in multis Graeciae urbibus, hi tres dii coniunctim colerentur iisdem sacris. Addit Gedikius: „In pluribus antiquis gemmis Ceres assidet Baccho (v. Bunarotti Osservazioni sopra alcuni Medaglioni antichi p. 441. et Mariette Traité des pierres gravées T. II. P. I.).“ — ἀντείλας, ut Isthm. V fin. Natum vero Bacchum Thebis quis nescit? — Pergit poeta V. 5. An Iovem excipiens moenibus tuis, quum ingressus Amphitryonis fores Alcmenam adiret Herculeo cum semine? — χρυσῷ νίφοντα, vid. de constr. ad Pyth. V, 99. Venit Iuppiter cum aurea nive, pluvia, notissimum quod est figmentum in fabulis. — V. 7. μετῆλθεν Ἡρακλείοις γοναῖς, non est pro ἐπὶ τὴν γονήν dictum, ut Heynius accepit, sed quemadmodum Nem. X, 69. construi vidimus ἐφορμαθεὶς ἄκοντι θοῷ. Idem est αὐλὰν ἐςῆλθεν σπέρμ' ἀδείμαντον φέρων Ἡρακλέος Nem. X, 17. — V. 8. An quum prudentibus Tiresiae consiliis gauderes? πυκναῖς βουλαῖς de vaticinandi arte intellige, cf. ad Pyth. III, 92. Floruerunt diu huius vatis oracula, qui per septem aut novem aetates vixisse traditur. —

De Iolao, nobilissimo heroe Thebano, saepe vidimus. Nec Sparti tibi ignoti, e draconis dentibus orti. Quinque superstites fuerant ex bellicoso genere, ad quos totidem gentes Thebanae originem suam referebant, cf. Heyn. ad Apollod. Obs. p. 225. — Postremo attende constructionem variatam, ut sunt variae constructiones verborum dolendi, irascendi, laetandi, similium. Igitur *θυμὸν εὐφραίνειν ἀμφὶ Τειρεσίαο βουλαῖς* positum, ut dicitur *χολοῦσθαι ἀμφὶ γυναικί, λυπεῖσθαι ἀμφὶ συμφορᾷ, δαίεται ἦτορ ἀμφ' Ὀδυσῆϊ.* Porro ad constructionem *θυμὸν εὐφραίνειν ἀμφ' Ἰόλαον* cf. Nem. I, 54. Tum *θυμὸν εὐφραίνειν Σπαρτῶν* dixit, ut sunt *χώομαι, κοτέω, ὀδύρομαι, κλαίω,* alia cum genitivo, cf. Matth. Gr. p. 681. Denique videbis alia exempla casuum diversorum eodem loco iunctorum apud Bernhardy Synt. p. 206. Fecit Pindarus ornatus causa. — Pergit v. 10. *ἢ ὅτε καρτερᾶς Ἄδραστον ἐξ ἀλαλᾶς ἀμπέμψας* cet., an quum Adrastum gravi e tumultu remitteres Argos orbatum innumeris sociis? Adrasti expeditionem infaustam nemo nescit, cf. Nem. IX. Eximie vero Boeckhius notat alludi a poeta simul ad recentem Tanagraeam pugnam, ubi fusi cum Atheniensibus Argivi redierunt domum. — V. 12 sqq. An quum Dorica colonia Lacedaemoniorum recto ut talo staret effecisti, et Aegidae tui ceperunt Amyclas Pythiis oraculis, h. e. an quum firmasti Doriensium Peloponnesum occupantium conatus, captis per Aegidas Amyclis? — *ἕλον δ' Ἀμύκλας* paullo maiore cum vi dictum pro *ἑλόντων Ἀμύκλας Αἰγειδῶν,* cf. ad Ol. V, 8. Fecerunt hoc ipso Apolline iubente, *μαντεύμασι Πυθίοις,* de quo dativo cf. Matth. Gr. p. 728. — Verba *ὀρθῷ ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ* attulerunt interpp. ad Callim. hymn. in Dian. 128. et comparata sunt Horat. Epist. II, 176. Securus cadat an recto stet fabula talo. Dicitur loquutio pro incolumem esse, successum habere, ut *πίπτειν, πίπτειν ἐς γόνυ, ἐπὶ στόμα* est incidere in adversa, cf. Aelian. Var. Hist. III, 17., c. nott. Stetit igitur et successum habuit Doriensium colonia auxilio Aegidarum, non stetisset nisi Amyclis ab Aegidis captis, Achaeorum firmissima sede, quod factum ex Pindari opinione, quum Dorienses Peloponnesum ingressi essent, vid. Pyth. I, 65. Errasse tamen Pindarum et quos sequutus est Müllerus docuit Hist. Orchom. p.

330 sqq., quum Aegidae iam ante Doriensium reditum ad Achaeos profecti essent. Ceterum de Aegidis, prisca gente Thebana, vidimus iam Pyth. V. — V. 16 sqq. *ἀλλὰ παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις*, sed dormit memoria prisci beneficii, et obscurata est oblivione, cf. Pyth. IX, 108. — *ἀμνάμονες δὲ βροτοὶ κ. τ. λ.*, et obliviscuntur homines quod non ad poesios summum ornatum pervenit, carminum flumini iunctum. *ῥοὰς Μοισᾶν, ἐπέων* vidimus Nem. VII, 12. et Ol. XI, 10. — *ζυγὲν ῥοαῖσι*, arcte iunctum et connexum, ut obscurari non possit. Ceterum tangi hoc loco Spartanos et ingrati animi accusari perspexerat iam Aristarchus in Scholiis, et nunc etiam clarius intelligitur, postquam Boeckhius tempora carminis explanavit. Vidisti supra in Introductione Spartanos post pugnam Tanagraeam domum regressos, et Thebanos sic auxilio destitutos post ad Oenophyta ab Atheniensibus victos esse. Hoc est, quod reprehendit, sed leniter tamen reprehendit, excusans eo, quod prisca Aegidarum beneficia poesios ornatum non experta sint. *αἱ μεγάλαι γὰρ ἀλκαὶ σκότον πολὺν ὕμνων ἔχοντι δεόμεναι.* — Explicatis singulis restat, ut de universo loco nonnulla addam. Dicit: Hanc esse urbem quae Bacchum genuerit, quae Iovem moenibus suis receperit, quae Tiresiae oracula habuerit, h. e. quae tam manifestum deorum favorem experta sit, ut et deos viderit praesentes et vates a diis concessos. Pergit: Fuerunt apud nos Iolaus equester, fuerunt Sparti hasta clari, h. e. excelluit urbs iam antiquo tempore, ut hodie, pedestris et equestris militiae studio. Addit denique: Ac documenta dedit urbs eximia virtutis, remisit olim Argivos, ut nunc, cum magna clade, profuerunt Aegidae nostri Doriensibus maximopere in reditu, quanquam hoc obliti sunt Spartani. Vides nihil hic esse superfluum, sed egregie composita omnia ad erigendos Thebanorum animos. Qui reprehenderunt non inquisiverant in consilium poetae.

V. 20 — 39. Laudatur recens victoria Strepsiadae et avunculi cognominis gloriosa mors. — V. 20. Cane post haec dulci cum hymno etiam Strepsiadam. *κωμάζειν* enim c. dativo vidimus iam, cf. Nem. II fin. — *φέρει*, vid. ad Nem. III, 17. Poetam vero se alloqui non debebat dubitari a quoquam. — V. 22. *ἄγει τ' ἀρετὰν οὐκ αἴσχιον φυᾶς*, habet-

que virtutem non deteriorem corpore. Est ἄγειν secum ducere, habere, veluti merces, opes. Hom. Od. I, 184. Hinc Crates Thebanus Anthol. Palat. T. II. p. 771. ep. 47. πλοῦτον ἀγινεῖν (volo) εὔφορον, εὔκτητον, τίμιον εἰς ἀρετήν. Atque ita h. l. ἀρετὰν ἄγειν. cf. ad Nem. III. 19. Aliud tamen πλοῦτον ἄγειν est Pyth. VI, 47. — αἴσχιον, observa neutrum pro αἰσχίονα, ut recte dicas nominativo casu ἀρετὰ οὐκ αἴσχιον φυᾶς, vid. Matth. Gr. p. 815. Nihil in hoc genere subtilius Bernhardy attulit Synt. p. 335. — V. 23 sq. Celebratur Musis et cum avunculo quoque cognomine communicavit coronam, redundante etiam in hunc coronae reportatae gloria, ut alias in familiam gentemque. — φλέγεται, cf. Ol. IX, 22. — μάτρωϊ, avunculo, qui quum florente aetate ceciderit, sorore sua, Strepsiadae matre, iunior fuisse videtur. Significationes vocis vidimus Nem. IV, 80. Atque ita nunc transit ad hunc virum, quo tendit oratio. — V. 25. χάλκασπις Ἄρης, pedestris pugna. — V. 26. τιμὰ δ' ἀγαθοῖσιν ἀντίκειται, sed honoris praemium est viris fortibus pro rebus gestis, in quo gravius generalis sententia substituta est speciali: τιμὰ δ' αὐτῷ ἀντίκειται. Notum vero κεῖσθαι de praemiis, cf. ad Isthm. I, 27. — V. 27 sqq. ἴστω γὰρ σαφὲς κ. τ. λ., sciat enim qui in hac nube grandinem sanguinis pro patria propulsat, exitium vertens in hostes, civitati se maximam gloriam parare viventem et mortuum. — ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ, τᾷ τοῦ Ἄρεος. — χάλαζαν αἵματος, h. e. χαλαζάεντα φόνον. Vide enim de his metaphoris ad Nem. IX, 38. — πρὸ πάτρας, Matth. Gr. p. 1135. — ἄντα φέρων. cf. Damaget. Epigr. VIII., Anthol. Lips. T. II. p. 41. δριμὺν ἐπ' Αἰτωλοῖς ἀντιφέρων πόλεμον. Ibid. T. IV. p. 245. Epigr. adesp. 607. καὶ πολὺν ἀντιπάλων ἐγκατέχευε φόνον. — ἀστῶν γενεᾷ, ut Λοκρῶν γενεάν Ol. X, 15. — Porro μέγα αὔξειν vide notatum ad Pyth. X, 10. Iam si κλέος αὔξων dicas pr. ἔχων κλέος positum, veluti Hom. Il. XVII, 139. μέγα πένθος ἐνὶ στήθεσσιν ἀέξει, vertas: is sciat se apud cives maximam gloriam alere, habere; quod sane convenit sententiae, quum τιμὰν explicet ἀγαθοῖσι κειμέναν. Sed simplicius est constructione et maius sententia alterum: sciat civitati maximam se gloriam cumulare; quo ipso etiam sibi summam

gloriam parat, cf. Tyrtaeum III, 23 sqq. — V. 31 sqq. τὺ δέ, tu vero ἀγαθόν te praebuisti quam maxime. — αἰνέων, aemulatus. — Μελέαγρον, celeberrimum pugna adversus Curetes, ubi occubuit, Apollod. I, 8, 3. Antonin. Lib. Met. 2. Pausan. X, 31, 2. coll. Hom. Il. IX, 547 sqq. Addit Hectorem et Amphiaraum, qui ambo in adversa pugna ceciderant, ut Strepsiades. Et Hector quidem heroum peregrinorum honestissimus laudatur etiam Nem. IX, 39. Memorabilis tamen traditio est de Hectore ad Thebas sepulto, vide locos in Boeckhii editione et Müller. Orchom. p. 395.; quam si spectavit Pindarus, minus etiam mira Hectoris hic mentio. Postremo Amphiaraum ad Thebas terra haustum inter ἐπιχωρίους heroes fuisse nosti. — ἀπέπνευσας ἁλικίαν, ut Simonid. Fragm. nr. 100. Gaisf. p. 387. ἡνίκ᾽ ἀφ᾽ ἱμερτὴν ἔπνεεν ἡλικίην. Idem nr. 47. οἵδε παρ᾽ Εὐρυμέδοντί ποτ᾽ ἄγλαον ὤλεσαν ἥβην. Et nr. 52. ἐρατὴν γὰρ ἀπωλέσαμεν νεότητα, τρηχείην πολέμου δεξάμενοι νεφέλην. — Πολέμοιο νεῖκος, Homerica loquutio, Il. XIII, 271, 333. Od. XVIII, 263. — ἔσχον, sustinuerunt, Hom. Il. XIV, 57. — ἐσχάταις ἐλπίσιν, extrema spe, h. e. in summo discrimine. — V. 38. Neptunus, qui victoriam hanc dedit, idem tempestatum potens est, quare suaviter dixit. — V. 39. ἀείσομαι. Pendet haec sententia ut apodosis ex antecedente, ut copula non opus fuerit, cf. Ol. II, 50. Sensus: At nunc laetiorem diem video; canam igitur caput coronis ornatus. Praesentem fuisse Pindarum in his epiniciis non est quod dubites, quare primum se ipsum intelligit, quanquam etiam ceteri, qui aderant, coronas gerebant. — χαίταν στεφάνοισιν ἁρμόσαις, ut nosti alia, στεφάνους κροτάφοισιν ῥοδίνους συναρμόσαντες Anacr. VI init., στεφανίσκους δ᾽ ὑακίνθων κροτάφοισιν ἀμφιπλέξας ibid. XLII, 6., στεφάνοις πυκασθείς Eurip. Alcest. 799, 835. — Restat, ut de universo loco dicam. Ac primum quidem pugnam gravissimam fuisse non dubitabis, si noveris pondera verborum Pindaricorum, νεφέλα Ἄρεος, χάλαζα αἵματος, ἔνθ᾽ ἄριστοι πολέμοιο νεῖκος ἔσχον ἐσχάταις ἐλπίσιν, ἔτλαν δὲ πένθος οὐ φατόν, Γαιάοχος εὐδίαν ὄπασσεν ἐκ χειμῶνος. Spectat eodem, quod de summo honore dicit virorum pro patria mortuorum, et quod tribus eximiis heroibus Strepsiadem comparat. Tamen, quae pulcherrima est poetae ars, non dicit

aperte urbem magnam cladem passam, sed huius nomen tacens ita rem tractat, ut non tam de publica calamitate quam de Strepsiadae morte loqui videatur et loquatur. Quare etiam non dicit: ἔτλα δὲ πόλις πένθος οὐ φατόν, sed ad se rem revocat, et quemadmodum ante de Strepsiadae solius morte loquutus est, sic etiam huius potissimum luctum prodit, quanquam haud dubie non hunc solum doluerat, sed universam cladem cum tota civitate. Denique ad eandem normam etiam suam tantum laetitiam profitetur, licet universam civitatem solari et erigere velit, ut satis e prooemio patet. Post haec etiam ad collocationem rerum attende vere poeticam. Orditur ab ornamentis urbis et secundis rebus, tum de calamitate bellica dicit luctuque, postremo ad laetos sensus redit, suaviter revoluta oratione in orbem.

V. 39 — ad finem. Hortatur cives ad modestum fortunae secundae usum et audaciores conatus dissuadet. Pergit tamen etiam haec ad suam personam revocare, ut par erat. Ac vidimus in admonitionibus hoc saepissime factum a poeta. — V. 39 sqq. Deorum vero invidia ne turbet gaudium in diem praesens, quod sectans (cuius fructu) securus accedo ad senectutem et fatale vitae tempus. — ὁ δ᾽ ἀθανάτων φθόνος, cf. ad Ol. VIII fin. — θρασσέτω, h. e. ταρασσέτω, vid. quae nuper accurate de h. verbo exposuit Buttm. Lexil. T. I. p. 211. — τερπνὸν ἐφάμερον, iucunditates quotidianae, iucunda quae contingunt in diem. Sic Eurip. Cyclop. 335. πιεῖν καὶ φαγεῖν τοὐφ᾽ ἡμέραν. Est enim καθ᾽ ἡμέραν per diem, ἐφ᾽ ἡμέραν in diem, für, auf den Tag, notante etiam Seidlero ad Eurip. Electr. p. 57. Hinc ἐφημέριον βίον ἕλκειν, in diem vivere, cf. Iacobs. Delect. Epigr. p. 236. Et nota loquutio τροφὴ ἐφήμερος. Adde de sententia et loquutione Mitscherl. ad Horat. Od. III, 29, 42. — διώκων, sequens, sectans, appetens, veluti in hoc ap. Plutarch. de garrul. 7. Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει. Sed res nota. — ἕκαλος, securus, contentus. — ἔπειμι, accedo, praesenti tempore, quum de praesenti vitae ratione dicat. Ac nota praesentis significatio ex Homero, coll. Buttm. Gr. ampl. T. I. p. 555. Ingrediebatur autem poeta tunc senectutem, agens annum sexagesimum sextum.

— V. 43. *δαίμων δ' ἄϊσος*, at fortuna non utimur omnes aequali, sua cuique felicitatis pars data, qua acquiescere debet. Si vero maiora appetit, punitur. — *τὰ μακρά*, magna, longinqua, maiora quam licet. — *παπταίνει*, ut Ol. I, 114. Pyth. III, 22. — V. 44. *βραχὺς ἐξικέσθαι*, sciat se nimis imbecillum quam ut coelum assequi possit et divinam felicitatem. Constructio ut *βραχύ μοι στόμα ἀναγήσασθαι* Nem. X, 19. Ipsum *βραχύς* est *ἀσθενής*. — *ὅτι ἔῤῥιψε*, quandoquidem Bellerophontes, quum hoc tentasset, deiectus est. Vidimus rem Ol. XIII. Ceterum cf. Horat. Od. IV, 11, 25. „Terret ambustus Phaëthon avarus Spes et exemplum grave praebet ales Pegasus terrenum equitem gravatus Bellerophontem," ubi cf. Mitscherl. Erat etiam Gnomicorum praeceptum *μὴ ἐπιθυμεῖν ἀδυνάτων*, cf. Welcker. ad Theogn. p. 35. Postremo oblata hac occasione aliud addo. Quod in Commentario ad Pyth. III, 110. p. 214. Sarpedonem Corintho oriundum dixi nimis breviter Ol. XIII. laudans, ita intellige, Sarpedonem nepotem fuisse Bellerophontis Corinthii ex Laodamia, cf. Il. VI, 196 sqq. — V. 47 sq. *τὸ δὲ πὰρ δίκαν γλυκύ*, iniustam, ultra fas appetitam voluptatem acerbus manet exitus. — Ceterum dixi iam supra propter Thebanos haec moneri omnia, qui Boeotiae imperium concupiscentes in res adversas inciderant et omnino nullo non tempore ad superbiam erant proclives. Athenienses enim spectari non credo, quanquam per se talia omnibus dici possunt hominibus et civitatibus; in hoc vero carmine Thebanas res tractat. — V. 49 sqq. expetit denique Strepsiadae etiam Pythiam victoriam, quum is haud dubie in animo haberet hoc certamen adire. Sic cum novorum decorum spe carmen absolvitur. Ceterum *Πυθόϊ* pro vulgata lectione *Πυθοῖ* nuper repositum a Boeckhio, quum ita legerit Choeroboscus ap. Bekkerum Anecdot. T. III, 1202. Adde Buttm. Gr. ampl. T. I. p. 186. Similiter Hom. Il. X, 238. *αἰδόϊ* pronuntiandum.

Carmen Isthmium septimum.

INTRODUCTIO.

Carmen hoc, Cleandri Aeginetae victoriis consecratum, scriptum esse non diu post bellum Persicum depulsum Ol. 75, 2. dubitari nequit. Iam Isthmias proxima acta Ol. 75, 3.; poeta autem in prooemio tam recentem luctum prodit, ut etiam propius post pugnam Plataeensem Thebarumque obsessionem haec cecinisse videatur. Unde Boeckhio assensus sum, qui, quum Cleander in Isthmo et Nemea vicerit, Isthmiam victoriam paullo prius, Nemeaeam vero Ol. 75, 2. reportatam statuit ludis hibernis, sex fere menses post Thebas obsessas a Graecis, et carmen propositum scriptum post hanc, ut erraverint grammatici, qui inter Isthmia posuerunt quod Nemeaeis adnumerandum erat. Et cum hac ratione universum carminis argumentum optime conspirat, ut videbimus. Cantatum est in Aegina ante aedes Telesarchi patris, in vestibulo. Accipe iam argumentum ipsum. In prooemio post indicatam Isthmiam et Nemeaeam Cleandri victoriam transit poeta statim ad bellum nuperrime depulsum, ex quo etiamnum vehementer commotum se prodit nec dum satis firmatum animo curisque liberum. Tamen erigit mentem et ad cantum accedit; nam insulam cognatam canendam esse, quum Theba et Aegina filiae Asopi fuerint. Atque hanc quidem a Iove in Oenonam translatam peperisse ibi Aeacum, mortalium maxime venerabilem, qui etiam diis lites composuerit. Huius autem filios et nepotes Aeacidas fortitudine bellica et moderatione sapientiaque pariter fuisse distinctos. Quod etiam diis observatum. Quum enim, ait, Iuppiter et Neptunus de Thetidis nuptiis certarent, quam uterque uxorem habere cupiebat, Themis monuit in fatis esse, ut Iovi fratrive Iovis nupta Thetis filium ederet patre maiorem, quare mortalem virum potius ei dari debere. Esse autem piissimum hominum Peleum, huic igitur deam nuptui collocandam. Consenserunt dii, et Peleus adiuvans deorum consilium una curat nuptias. Sic

igitur etiam haec lis composita est non sine Peleo. Natus vero ex hoc matrimonio Achilles mox celebratur poetis, qui etiam Telephum vulneravit et Alcidis reditum munivit, Troiae nervis excisis prostratisque Memnone, Hectore aliisque. Nec post mortem carmina eum destituerunt. Similiter nunc Nicoclis mortui laudem Musae canunt, patruelis Cleandri, qui et ipse in Isthmiis vicit. Hinc ad Cleandrum redit memoratque huius etiam priores victorias, Megarensem et Epidauriam. — Restat, ut singula enarrata ad veram sententiam suam revocare studeam. Erat Cleander eximius pancratiastes, qui primum Megaris et Epidauro quum vicisset, deinde etiam e sacris ludis victorias reportaverat duas, atque etiam patruelem habuerat pancratii laude florentem. Quod igitur in mythica parte carminis de fortitudine Aeacidarum Pindarus canit, inprimisque Achillis res gestas praedicat, vides commode sic expediri, si omnino eximiam Aeginetarum *ἀνδρίαν* celebrari dicamus, quae olim in Aeacidis conspicua, etiam in his gymnicis Cleandri victoriis iterum se ostendat, ne pugnam Salaminiam addam, tecte simul laudatam haud dubie cum Achillis rebus gestis. Sed coniungit poeta cum hac virtute etiam aliam laudem sapientiae, pietatis, moderationis, quae in Aeacidis eminuerit, ut etiam p a c i f i c a t o r e s fuerint inter deos. Quorsum hoc? Coniecturam olim a me propositam, quam probavit Boeckhius, etiamnum veram habeo. Scilicet bello Persico depulso libertatem restitutam habebant omnes, sed Thebani invisi erant ceteris propter *Μηδισμόν*, viderant nuperrime victorem Graecorum exercitum ante muros *τοὺς μηδίζοντας* expostulantem (cf. Introd. ad Pyth. XI.), nec potest esse dubium, quin etiam post obsidionem aliquamdiu molestissima tempora habuerint in tanto Graecorum odio. In hac igitur molestia poeta Thebanus graviter commotus praeteritorum malorum recordatione et futurorum metu, quum ei carmen in Aeginam mittendum esset, ad Aeginetas se convertit, iam diu Thebanorum socios, quorum tum magna erat potentia et auctoritas, ne deserant urbem amicam, sed ad placandos Spartanorum et Atheniensium animos cohibendasque eorum minas operam suam praestent. In qua re fabulis vides utendum fuisse. Primum igitur commemorat id, quod in tali causa maximum erat, cognationem Thebae et Aeginae; tum ad Aeacidas transit, quorum laudes pri-

marias explicans, Aeginetis ostendit ipsorum laudes quales sint et quales velit esse; Aeacidae enim, ut saepe vidimus, sunt omnium laudum in Aegina summum exemplum, horum fabulis Aeginae virtutes illustrantur. Vides rationem carminis claram. Laudatur in Aegina virtutum insignium praeclara societas, fortitudinis dico et sapientiae moderationisque, conspicua olim in heroibus illustribus insulae nec non hodie vigens in civibus eius. Ac fortitudinem quidem propter Cleandrum laudat pugnamque Salaminiam, moderationem vero et pacificam mentem Aeacidarum, quum etiam nunc Aeginetas pacificatores esse velit in hoc Graecornm adversus Thebanos odio. Convenit denique prooemium, quod moerorem prodens poetae, ne post depulsos quidem Persici belli terrores curis levati, sic causas exhibet sequentium dictorum.

EXPLICATIO.

V. 1 — 15. Prooemium. Cleandri victorias laudare rogatus poeta, quanquam etiam post depulsum bellum Persicum nondum levatus sollicitudine metuensque alios fortunae dolosae casus, tamen erigit animum et ad cantnm accedit. — Prima haec sunt: Cleandro aliquis eiusque robori iuvenili compensationem claram laborum, o iuvenes, patris Telesarchi splendidum vestibulum adstans, suscitet cantum epinicium, Isthmiae victoriae praemium et quod in Nemea palmam adeptus est. — Orditur coryphaeus Pindari partes agens, quem dicere haec puta choro vestibulum occupante. Ac credas ad tibiam prooemium cantatum ob flebile argumentum. — *ἁλικίᾳ τε*, et iuventuti, robori iuvenili eius, quum iuvenis tam egregia gesserit. Ac sodales intelligi nequeunt, quum non appareat, quosnam hic dicere possit sodales. Quare tu potius ornatum observa cumulatae orationis *Κλεάνδρῳ ἁλικίᾳ τε*, ut componunt poetae partem cum toto (*συγκαταλέγοντες τὸ μέρος τῷ ὅλῳ*) et specialem notionem cum generaliori. Sic dicit Alcman ap. Strabon. VIII. p. 341. (Welck. Fragm. p. 50.) *Κύπρον ἱμερτὰν λι-*

ποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν, ubi huius speciei alia exempla Strabo affert. Vide porro Horat. Od. III, 4, 43. Titanas immanemque turmam, et add. Horat. Od. I, 8, 16. I, 10, 15. III, 4, 4. Virg. Georg. I, 16. — Pronomen τὶς usitatum in hortationibus ubi omnes intelliguntur, ut Hom. Il. II, 382. XVII, 227. Herod. VIII, 109. Add. Matth. Gr. p. 910. — λύτρον εὔδοξον καμάτων appellat carmen, ut est μέλος καλλίνικον λυτήριον δαπανᾶν Pyth. V, 106. Alias vidimus ἄκος, ἀμοιβὰ, ἄποινα μόχθων. Adde λύτρον συμφορᾶς Ol. VII, 77. ap. Horat. Od. I, 32 fin. est testudo laborum dulce lenimen. — παρὰ πρόθυρον ἰών, cf. Nem. I, 19. — ἀνεγειρέτω κῶμον, Ol. VII, 43. ἔγειρ' ἐπέων οἶμον λιγύν. Horat. Od. II, 10, 19. „Apollo suscitat Musam," ubi cf. Mitscherl. — V. 5. κράτος ἀέθλων, victoriam certaminum. — ἐξεῦρε, Ol. VII, 89. — αἰτέομαι, rogor, usu rariore. Usitatiora sunt sensu passivo participium αἰτούμενος et composita ἐξαιτοῦμαι, ἀπαιτοῦμαι. Ceterum aliud est poscimur Horat. Od. I, 32, 1., aut Stat. Achill. I, 539. „nos vocat iste labor," et quae sunt similia. — Μοῖσαν καλέσαι, poeta enim vocat Musam, ut veniat in domum victoris, cf. Nem. III, 1. — ἐκ μεγάλων δὲ πενθέων λυθέντες κ. τ. λ., quum autem magnis malis liberati simus, neve in penuriam incidamus coronarum, neve moerorem fove, s. neve iucunda studia omittamus, neve calamitatum luctum foveamus. Pro rebus iucundis nominat certaminum coronas. — V. 6. ὀρφανίᾳ, cf. ad Isthm. III, 26. Confer etiam Latinum viduus, viduitas. — V. 7. παυσάμενοι δ' ἀπρήκτων κακῶν cet., sed deposito inutili luctu dulce quid populo ludamus etiam post calamitatem. — κακά, aerumnae, Hom. Od. IX, 460. — ἄπρηκτα, inutilia, quibus nihil proficias; Hom. Il. XXIV, 524. οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο, coll. v. 550. Od. X, 202. — V. 8. δημοῦσθαι γλυκύ τι, in publicum proferre quod iucundum sit. Veteres exponunt παίζειν καὶ εἰς τὸν δῆμον ἄγειν, δημοσίᾳ παίζειν, δημοσίᾳ ᾄδειν. Hinc δαμώματα sunt τὰ δημοσίᾳ ᾀδόμενα, in Stesichoreo illo: τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων ὑμνεῖν, quod expressit Aristoph. Pac. 798, ubi vid. Scholia. — V. 9 sq. τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς γε Ταντάλου λί-

θον, quando quidem maximum illud proxime impendens periculum depulit nobis deus. Vides cur *γέ* addiderit. Neque enim omnia pericula depulsa dicit. Tantali saxum vidimus Ol. I. Ad metaphoram cf. Archiloch. Fragm. nr. 45. Liebel. p. 128. *Μηδ' ὁ Ταντάλου λίθος τῆσδ' ὑπὲρ νήσου κρεμάσθω.* — *παρέτρεψεν*, avertit. — *ἀτόλματον*, intolerabilem, *ἄτλητον*. Est enim *τολμᾶν* etiam pati, sustinere, tolerare, cf. Boeckh. in Platon. Min. p. 142. Fr. Iacobs. Addit. ad Athen. p. 309. s. — V. 12. *ἀλλά μοι δεῖμα μὲν παροιχόμενον* cet. Sensus: Verum quum terror praeterierit, gravis mihi cura soluta est. Dicendi genus notavimus al Pyth. XI, 23. Etiam deesse videas participium in hac constructione, cf. Isthm. II, 40. — V. 13 sq. *τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ σκοπεῖν χρῆμα πᾶν*, quod vero praesens est praestat semper spectari, praesentia semper prae ceteris curanda, quum futura incerta sint. Intelligit vero nunc epinicia praesentia. Sententia passim lecta in antecedentibus vario modo, veluti Ol. I, 99. Pyth. X, 62. Et cf. Horat. Od. III, 8, 27. „dona praesentis cape laetus horae.“ — *ἄρειον σκοπεῖν*, Ol. VII, 26. — *δόλιος γὰρ αἰὼν ἐπ' ἀνδράσι κρέμαται*, insidiosum enim tempus hominibus incumbit, varie flectens vitae cursum. — *ἐπικρέμαται*, ut Simonid. Fragm. nr. 14. (Gaisf. p. 364. Iacobs. T. I. p. 60.) *ὁ δ' ἄφυκτος ὁμῶς ἐπικρέμαται θάνατος.* Antip. Sid. Anthol. Lips. II. p. 18. Planud. p. 666. *ᾇ δὲ βαρὺς πότμος ἐπικρέμαται.* Theogn. v. 1021. 2. Bekk. *τὸ δ' οὐλόμενον καὶ ἄμορφον αὐτίχ' ὑπὲρ κεφαλῆς γῆρας ὑπερκρέμαται.* Comparat autem cum flumine vitam, ut significet eam non semper recto cursu labi. Ad quam metaphoram vid. Ol. II, 33. notata. — V. 15. *ἰατὰ δ' ἔστι βροτοῖς σύν γ' ἐλευθερίᾳ καὶ τά*, sed etiam haec dolosae fortunae mala et pericula sanabilia sunt hominibus, qui libertatem habent. Quare erige animum, *χρὴ δ' ἀγαθὰν ἐλπίδ' ἀνδρὶ μέλειν.* — Restat, ut de universo prooemio nonnulla addam. Vides poetam post terrores belli Persici modo praeteritos etiamnum graviter commotum, ut iterum iterumque relabatur ad istorum malorum cogitationem (*ἐκ μεγάλων δὲ πενθέων λυθέντες, παυσάμενοι δ' ἀπρήκτων κακῶν, τὸν ὑπὲρ κε-*

φαλᾶς Ταντάλου λίθον, ἀτόλματον Ἑλλάδι μόχθον, δεῖμα παροιχόμενον, καρτερὰν μέριμναν), et identidem ad bonam spem sese hortetur et confidentiam (μὴ κάδεα θεράπευε, τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ σκοπεῖν χρῆμα πᾶν, ἰατὰ δ' ἔστι βροτοῖς σύν γ' ἐλευθερίᾳ καὶ τά, χρὴ δ' ἀγαθὰν ἐλπίδ' ἀνδρὶ μέλειν). In quo iure quaeras, cur depulsis tamen periculis et restituta securitate Graeciae non paullo laetiorem prodat animum, cur etiamnum sic luctetur cum moerore, ut facit, et illud quidem saxum, sed non omnia pericula remota significet, insidias fortunae loquens. Num inania mala sibi fingit vano timore anxius? Non credo. Subest haud dubie gravius quid, quod iure eum terreat etiamnunc, faciatque, ut nondum confidat fortunae; atque hoc est, ut in Introductione posui, praesens patriae urbis periculum in maxima ceterorum Graecorum adversus Thebas odio. Sic omnia clara sunt, et vides eximie compositum prooemium fluctuans diu inter spem luctumque, donec tandem paullo firmatior animus ad ipsum cantum accedat (χρὴ — χρὴ δέ), redeunte oratione ad principium.

V. 15 — 60. Mythica pars carminis. Orsus poeta a cognatione Thebae et Aeginae transit ad Aeacum pacificatorem et ad Aeacidas fortitudine pariter et iustitia distinctos, inprimisque narrat litem Iovis et Neptuni de Thetide, per nuptias deae cum Peleo compositam, et Achillis fortia ad Troiam facta. — V. 16. Χαρίτων ἄωτον προνέμειν, oportet, ait, Thebanum vatem Aeginae prae aliis Gratiarum pulcrum donum, carminum laudem, tribuere. προνέμειν est enim prae aliis tribuere, dictum ut νέμειν τιμήν. — Mox de Asopo Thebae et Aeginae patre vidimus ad Nem. III, 3. — V. 20. φιλαρμάτου πόλιος ἁγεμόνα, alteram Thebarum, ait, reginam constituit. Ad φιλάρματος cf. Ol. VI, 85. — V. 21. σὲ δέ, te vero, Aegina! De Aegina enim nunc data opera dicturus est. Distingui compellatione personas, alteram prae altera, monui ad Pyth. IV, 89. — Οἰνοπία, vetus Aeginae nomen, lectum Ovid. Met. VII, 472. De Aegina huc translata vidimus Pyth. VIII init. — κοιμᾶτο, concubuit tecum, omisso pronomine cum praepositione, ne bis adsit. — V. 24. ὃ καὶ δαιμόνεσσι δίκας ἐπείραινε, qui etiam diis lites componebat. πειραίνειν

pr. *περαίνειν*, Hom. Od. XII, 37. Imperfectum de re iterata est. Dictus vero Aeacus communi antiquitatis sententia iustus, Graecorum omnium sanctissimus, *βουλαῖς ἄριστος*, cuius auctoritatem vicini reges venerabantur Pind. Nem. VIII, 8. Fuerat complurium foederum auctor, ut pacis inter Scironem et Nisum Megarenses, Pausan. I, 39, 5. Et vid. Müller. Aeginet. p. 20. Quare quum Iovis esset sanctissimus sacerdos, potuit etiam hoc in fabulis esse, licet alias non lectum, eum ipsis diis lites composuisse, veluti alia in re deae tres Paridem quondam arbitrum elegerunt. — V. 25. iunge *ἀνορέᾳ ἀρίστευον*, tum *ἀρίστευον ἀμφέπειν χάλκεον στονόεντα ὅμαδον*, ut dicitur *ἀριστεύεσκε μάχεσθαι* Hom. Il. XI, 746. et *μετέπρεπε μάρνασθαι* Il. XVI, 194. cf. Matth. Gr. p. 1049. Porro *ἀμφέπειν ὅμαδον* est ut *ἀμφέπειν μόχθον* Pyth. IV, 268. Sensus: excellebant fortitudine in pugnis administrandis. — V. 26 sqq. narratur fabula de lite Iovis et Neptuni super Thetide, de qua cf. Apollon. Rhod. IV, 794 sqq. Schol. Lycophr. 178. Apollod. III, 13, 5. Aesch. Prometh. 926 sqq. Quint. V, 338. Schol. Hom. Il., 519. In locis postremo allatis tribuitur Prometheo vaticinium, quod hic Themis edit. — *Ζεὺς ὅτ᾽ ἀμφὶ Θέτιος — γάμῳ*, ut Apollod. l. cit. *περὶ ἧς τοῦ γάμου Ζεὺς καὶ Ποσειδῶν ἤρισαν*. — V. 30. *ἄμβροτοι θεῶν πραπίδες*, sed non perfecerunt iis coniugium ceterorum deorum mentes et consilia. — V. 31 sqq. *εἶπεν*, dixit enim. Asyndeton est ut in explicatione antecedentium verborum. Ad *εὔβουλος* cf. ad Pyth. III, 92. Dicitur *εὔβουλος* etiam Fragm. Hymn. 2. et *ὀρθόβουλος* Aesch. Prometh. 18., utpote dea vaticinans et quae sapientia consilia dat. Verte locum: dixit Themis fatale esse, ut marina dea Iovi nupta aut Iovis fratribus praestantiorem patre filium ei pareret, qui et fulmine potentius aliud telum agitaturus esset et tridente. — *εἵνεκεν*, *οὕνεκα*, *ὅτι*. Matth. Gr. p. 1317. — Pronomen *οἱ*, de coniectura interpositum a Boeckhio, ad sequentia refer, *Δί τε μισγομέναν* cet. Porro verba *Διὸς παρ᾽ ἀδελφεοῖσιν* cum *τεκεῖν* mente iunge. Poterat sic dicere: ut apud Iovem aut Iovis apud fratres (h. e. in horum unius matrimonio) pareret praestantiorem filium. Nunc variata structura in primo membro *μισγομέ-*

ναν Αἰ dixit, in altero παρ' ἀδελφεοῖσιν. De particulis τε — ἤ vero cf. Hom. Il. II, 289. Plat. Ion. p. 535. d. et alia, Matth. Gr. p. 1277. Postremo quod attinet verba ὅς κεραύνου τε κρέσσον ἄλλο βέλος κ. τ. λ. vide notissimum locum Aesch. Prometh. 930 sqq. — βροτέων δὲ λεχέων τυχοῖσα, sed mortales toros sortita filium videat mortuum in bello, quem habebit insignem. — ἀκμὰν ποδῶν, Ol. I, 48. — V. 38. τὸ μὲν ἐμόν, mea sententia est Peleo divinum nuptiarum honorem esse tribuendum, quo neminem magis pium aiunt vivere in Iolci campo. — τὸ ἐμόν, alias pr. ἐγώ cf. Matth. Gr. p. 865., nunc vides de sententia dictum, τὸ ἐμοὶ δοκοῦν. — γάμου τὸ γέρας, h. e. nuptiarum praemium, de quo nunc disceptatur. — Iolcum ceperat Peleus in bello contra Acastum, Nem. III, 34., ibique tum habitabat. De v. τράφειν vid. ad Pyth. II, 44. — V. 41. ἄντρον Χείρωνος, in monte Pelio non longe ab urbe Iolci. — εὐθύς, recta, pr. εὐθύ, ut Pyth. IV, 83, ubi vide. — V. 43. μηδὲ Νηρέος θυγάτηρ νεικέων πέταλα δὶς ἐγγυαλιζέτω ἄμμιν, neve Nerei filia ad contentiosa suffragia bis nos vocet. Foliis veteres interdum usos in suffragiis ferendis constat; nomen inde habuit πεταλισμός Syracusanus (Müller. Dor. II, 159.) et apud Atticos τὸ ἐκφυλλοφορεῖν (Suid. in v.). — ἐγγυαλιζέτω, in manus nobis det, s. causa sit, ut iterum in manus sumamus folia suffragiorum litigiosa. — V. 44 sq. ἐν διχομηνίδεσσιν δὲ ἑσπέραις κ. τ. λ., plenilunii nocturnis horis solvat sub heroe zonam virginitatis. Plenilunii tempus faustum habitum esse nuptiis celebrandis constat ex Eurip. Iphig. Aul. 717., ubi Agamemno interrogatus a Clytaemnestra: τίνι δ' ἐν ἡμέρᾳ γαμεῖ (Achilles Iphigeniam), respondit: ὅταν σελήνης εὐτυχὴς ἔλθῃ κύκλος. Athenienses vero aliter sentientes τὰς πρὸς σύνοδον ἡμέρας ἐξελέγοντο πρὸς γάμους, ut Proclus refert ad Hesiod. Op. et D. 782. Ceterum vide Martin. Var. Lect. I. c. 14. et nunc Lobeck. in Aglaophamo T. I. p. 433. — Porro ἑσπέραις est de horis vespertinis, ut neutrum ἕσπερα Hom. Od. XVII, 191. Similiter νύκτες, cf. Pyth. IV, 256. — χαλινός, h. e. δεσμὸς virginitatem cohibens. Vide de zona virginitatis Schrad. ad Musaeum p. 343 sqq. Spanhem.

ad Callim. in Iov. 21. in Dian. 14. Burmann. ad Ovid. Heroid. II, 116. — V. 45 sq. *φάτο ἐννέποισα*, ut dicitur *εἶπε λέγων*, *ἔφη λέγων*, noto usu. — *ἐπέων δὲ καρπὸς οὐ κατέφθινε*, verborum fructus non periit, h. e. eventum habuerunt verba. Comparat Schneider. Aesch. Sept. 620. *εἰ καρπὸς ἔσται θεσφάτοισι Λοξίου*, et Eumenid. 710. *κἀγώ γε χρησμοὺς τοὺς ἐμούς τε καὶ Διὸς ταρβεῖν κελεύω μηδ᾽ ἀκαρπώτους κτίσαι*, ubi cf. Blomfld. — *φαντὶ γὰρ ξύν᾽ ἀλέγειν* cet., narrant enim una curasse Thetidis nuptias etiam regem Peleum. Quod est de opera Pelei in adornandis nuptiis intelligendum. Sententia haec necessaria erat ad absolvendam fabulam, quum ostendere velit poeta non defuisse Aeacidas, ubi lites componendae pacesque firmandae essent. Atque ita finitur pulcra narratio, quae ut politicis Pindari votis et consiliis inservit, ita etiam Cleandro iuveni suave augurium est, credo, coniugii pulcherrimi virtutibus parandi, unde nunc explicatius tractata est a poeta. Ac vidimus saepius nuptias in his carminibus victorum causa propositas. — Restat, ut altera Aeacidarum virtus, bellica fortitudo, explicetur. — V. 47 sq. *καὶ νεαρὰν ἔδειξαν κ. τ. λ.*, nec diu post poetarum ora iuvenilem virtutem Achillis ignaris monstrarunt. *καί* in tali transitu significat mox, non diu post. Canebatur enim iam tum, quum viveret, et circumferebantur eius laudes a poetis, quemadmodum vel ante bellum, ut cum Statio loquar Achill. I, 473., omnis in absentem belli manus ardet Achillem, nomen Achillis amant et in Hectora solus Achilles poscitur. — V. 49 sq. *ὃ καὶ Μύσιον αἵμαξε κ. τ. λ.*, qui etiam Mysium cruentavit campum Telephi atro sanguine conspergens. *καί*, h. e. ut alia transeam et potiora tantum memorem. De pugna cum Telepho vidimus Isthm. IV, 41. Non occisus rex, sed vulneratus, quare *φόνῳ* est pr. *αἵματι*, ut saepius, cf. Iacobs. Animadv. ad Eurip. p. 4. Blomfld. ad Aesch. Prometh. p. 113. — V. 51. *γεφύρωσέ τ᾽ Ἀτρεΐδαισι νόστον*, et munivit Atridis reditum per mare. Polyb. I, 10. ait visum Romanis non deserendam Messanam, *μηδὲ ἐᾶσαι Καρχηδονίους οἱονεὶ γεφυρῶσαι τὴν εἰς Ἰταλίαν αὐτοῖς διάβασιν.* — *ἶνας ἐκταμών*, metaphorice, ut apud alios *τὰ νεῦρα ἐκτέμνειν*, *νευροκοπεῖν*, cf. Erasmi Adagia

in v. Similiter Latini nervos incidere, praecidere usurpant, ut constat, vid. interprett. ad Liv. VII, 39., ubi nervi coniurationis dicuntur milites, in quibus robur coniurationis consistebat, ut hic heroes sunt nervi Troiae. — V. 53. *ταί μιν ῥύοντο* cet., qui eum inhibebant, sc. quum ei obsisterent pugnam in campo administranti. — *μάχας ἔργον*, ut *ἔργον Ἄρηος* Hom. Il. XI, 734., *φυλόπιδος μέγα ἔργον* Il. XVI, 208. — *κορύσσοντα*, ut *πόλεμον κορύσσων* Hom. Il. II, 273. — *ὑπέρθυμον* cum *βίαν* iunge. — V. 55. *οἷς δῶμα Φερσεφόνας μανύων Ἀχιλεὺς κ. τ. λ.*, quos occidens Achilles Aeginam suamque stirpem illustravit. Nam *τηλαυγὲς φέγγος Αἰακιδᾶν* (Nem. III, 61.) pendet ex his rebus gestis. — *δῶμα Φερσεφόνας μανύειν* proprie dicuntur qui quem lethali vulnere prosternunt, ei mortem Orcumque nuntiant, ut toties fit apud Homerum. — V. 57. *Ἑλικώνιαι παρθένοι*, suaviter, ut significet Boeotias fuisse Musas, quae Achillem canerent, quemadmodum nunc Boeotiae Musae Aeginam canunt virosque eius egregios. — *ἐπὶ* — *ἔχεαν*, superque eo fuderunt naeniam. Nobilis hic threnus Nereïdum et Musarum in funere Achillis; memorat eum Hom. Od. XXIV, 60., memoraverat Arctinus in Aethiopide, ut ex Proclo videmus (Biblioth. Vet. Lit. et Art. T. I. p. 33. et Bekker. p. X. ante Tzetz. Hom.) et repetiit Quintus Posthom. III, 581 sqq. Nimirum placuit hoc immortalibus, ait Pindarus, fortem virum etiam mortuum hymnis dearum tradere. Ad verba *ὕμνοις θεᾶν διδόμεν* cf. Pyth. IV, 67. — Perlecto toto loco unum est, quod addendum video. Novimus etiam ab aliis scriptoribus Troiae captae laudem inprimis Achilli tribui, licet post mortem demum eius caperetur, vid. Horat. Od. II, 4, 10., ibiq. Mitscherl. Add. Pausan. III, 4, 6.; tamen qui hunc locum attentius consideravit, vix dubitabit nunc quidem cum Achille simul Aeginetarum ad Salaminem facta laudari, carpique Spartanos nimium rebus ad Plataeas gestis gloriantes. Achilles vester, ait, verus Troiae victor habendus; sic non Spartanis prima debetur libertatis restitutae laus, sed vos ad Salaminem nervos hostium excidistis et viam munivistis Peloponnesiis ad victoriam Plataeensem. Hinc omnia, hic ad summam laudem composita; quemadmodum enim fortitudini Aeginetarum tri-

buit libertatis fundatae laudem, sic horum maxime iustitia pacifica componi vult Thebarum periculosas inimicitias.

V. 61 — ad finem. Exitus. Redit ad ludicras victorias, Nicoclem laudans mortuum praesentemque victorem Cleandrum. — τὸ καὶ νῦν φέρει λόγον, hoc (deorum iudicium, praeclarum virum etiam post mortem cani debere) etiam nunc rationem habet. — φέρει pr. ἔχει. Quod rationem idoneam in se fert, habet, consentaneum est. — ἔσσυταί τε Μοισαῖον ἅρμα κ. τ. λ., et festinat Musarum currus, (quo vectus modo heroicas res Achillis cecini,) ut nunc etiam pugilis monumentum canatur. Ad Μοισαῖον ἅρμα cf. dicta Ol. VI, 22. — μνᾶμα, monumentum laudis, ut mortuo. Mortuum enim Nicoclem esse res ipsa docet. — V. 63. γεραίρετέ μιν, canite igitur eum. Copula non opus. — V. 65. ἀφύκτῳ χερὶ κλονέων, inevitabili manu exagitans, aptissime de pugilatu. — τὸν μὲν οὐ κατελέγχει κ. τ. λ., hunc non dedecorat eximii patrui proles Cleander, genitus ex Nicoclis patruo. — ἁλίκων τις, choreutarum aliquis, qui νέοι supra dicti. Corona myrtea paratur Cleandro, quum hoc genus daretur in Alcathoi ludis et Aesculapiis. Memoravimus Alcathoea Ol. VII, 86. et Aesculapia Nem. III fin. — V. 67 sq. νεότας, iuventus ad certamen congregata. Credam hos pueros fuisse. At in Isthmo et Nemea iuvenis victoriam tulit. — σὺν τύχᾳ δέκετό νιν, quum veniret prospera cum fortuna, τύχᾳ μολών Nem. X, 25. — V. 69 sq. παρέχει, eum laudare viro bono promptum est, Herod. 7, 120. 8, 8. — ἥβαν γὰρ οὐκ ἄπειρον ὑπὸ χειᾷ καλῶν δάμασεν, iuventutem enim non expertem praeclarorum conatuum in latibulo desidia fregit. δαμᾶν nosti ex Homero, ut Od. VIII, 231. XIV, 318. — χειά, latibulum, ut serpentium Hom. Il. XXIV, 93. Non profecto timidus se abscondidit Cleander, ait, sed in lucem prodiit et certamina frequentavit. Cf. alias loquutiones Ol. I, 83. Pyth. IV, 186. Ceterum ὑπὸ χειᾷ, ut ὑπὸ κεύθεσι Nem. X, 56.

FRAGMENTORUM EXPLICATIO.

INTRODUCTIO.

De generibus variis carminum lyricorum est locus primarius e Chrestomath. Procli in Photii Biblioth. p. 522. ed. Hoeschel., p. 319 sqq. edit. Bekk. Pindari carmina a grammaticis collecta et in septendecim libros divisa erant, qui a Suida et in Vita Pindari Vratislaviensi indicantur, cf. Schol. edit. Boeckh. p. 5 sqq. Quum autem dissentiant Suidas et auctor Vitae Vratislaviensis in compluribus, licet uterque septendecim libros agnoscens, Boeckhius suspicatur duplicem olim Pindari recensionem exstitisse, alteram ab Aristophane, alteram ab Aristarcho fortasse profectam, ut Alcaei aliam Aristophanis, aliam Aristarchi scimus editionem fuisse, et Aristophani quidem eam tribuit divisionem, quae in Vita Vratislaviensi traditur et simplicior est, in altera vero, cuius vestigia apud Suidam sunt, genera subtilius distincta singulisque generibus singulos libros assignatos esse, servato ceterum universo numero librorum. Hoc modo:

Prior ordo.	Posterior ordo.
Hymni	Hymni
Paeanes	Paeanes
Dithyramborum libr. I.	Dithyrambi
Dithyramborum libr. II.	Bacchica
Prosodiorum libr. I.	Prosodia
Prosodiorum libr. II.	Enthronismi
Partheniorum libr. I.	Parthenia
Partheniorum libr. II.	Daphnephorica

Τὰ κεχωρισμένα τῶν Παρθενίων	Sublatus hic liber
Hyporchematum libr. I.	Hyporchemata
Hyporchematum libr. II.	Tragoediae
Encomia	Encomia
	Scolia
Threni	Threni
Epiniciorum libri IV.	Epiniciorum libri IV.

Vides, quid discriminis inter priorem et posteriorem ordinem intercesserit ex Boeckhii acutissima sententia. Primum enim quum antea duo dithyramborum libri fuissent, postea distinxerunt grammatici dithyrambos et Bacchica, quae Ἰοβάκχους Boeckhius fuisse censet, ut Menander d. Encom. p. 27. dicit: τοὺς δὲ εἰς Διόνυσον (ὕμνους νομίζομεν) Διθυράμβους καὶ Ἰοβάκχους. Fuit hoc genus dithyrambis vehementius, concitatius, efferatiore enthusiasmi aestu cantatum, βεβαπτισμένον πολλῷ φρυάγματι, ut discimus ex Procli Chrestomath. ap. Phot. loc. cit. Porro Boeckhius ait a Prosodiis separatos Enthronismos, cantatos in iis pompis, ut ei videtur, quibus statuae diis dedicatae ad sedes suas ferrentur. Contra Lobeckius in Aglaophamo Tom. I. p. 368. eas in Lectisterniis, Catagogiis, Epidemiis, Theoxeniis aliisque pompis cantatos censet, quibus deorum statuae lavatum missae aut ad alia templa quasi ad salutandum deductae aut lustrandi gratia agris circumvectae ad suas sedes referrentur. Qua sententia viri doctissimi quid lucremur non video. Si Enthronismi cantati sunt quum statuae referrentur ad sedes suas, quidni etiam quum ferrentur primum, ut Boeckhius censet? Ego ad Ol. VI. p. 73. Boeckhium sequutus sum; tamen alio inclinat animus. Legitima sunt de statuis ut de templis positis verba ἱδρύσασθαι, ἵδρυσις, ἵδρυμα, ut Schol. Ol. VI, 149. Pausan. III, 23, 2., al. cf. Wyttenb. ad Iulian. Orat. Biblioth. Crit. Vol. III. P. II. p. 36. Oritur sic ἕδος dei. Hinc etiam πάρεδροι sunt in eodem templo culti statuis iuxta positis, quod est συγκαθιδρύειν, cf. locos ap. Lobeck. in Aglaopham. I. p. 150. Nunquam vero ἐνθρονισμόν de hac re usurpatum reperias. Quae quum ita sint, malit aliquis ad θρόνωσιν, θρονισμόν in Metroacis sacris haec carmina referre, quibus qui initiarentur solio insidebant, circa quod ceteri saltarent, cf. Albert. ad Hesych. in v., Heindorf.

ad Platon. Euthyd. p. 320. Welcker. d. Trilog. Aeschyl. p. 263. Lobeck. Aglaopham. p. 116. p. 369. Magnae matris sacra ipsis Thebis erant; quodsi Pindarus, qui huic cultui favebat, cf. Pyth. III., octo vel decem carmina huius generis fecerit, non adeo mirum dixerim. Sed alienus fuit ab ineptiis mysticis, et tractavit etiam haec, si tractavit, ingeniose. Suspiceris igitur in prima recensione Enthronismos Hymnis adnumeratos, in altera autem rectius separatos, ut non cantatos a stante choro, pars etiam inter Parthenia latere potuit initio, quum Thebis virgines deam canerent, Pyth. III, 78. Haud dubie reputavit haec omnia etiam Boeckhius meus, sed eum hoc credo retinuit, quod duo Prosodiorum libri fuerunt primum, nec apparet facile, quid altero factum sit. Quod profecto obscurum. Possis tamen suspicari Prosodiorum forte paullo maiorem numerum a Pindaro tibias amante factum, quae quum primum in duos libros divisa essent, ut similem omnes libri totius operis numerum carminum haberent, postea eiectis fortasse nonnullis male huc relatis in unum librum contracta sint, quum singulis generibus unus assignaretur liber. Sed nolo plura hariolari in re ignota. Videamus cetera. A Partheniis generatim dictis distincta sunt Daphnephorica, quae species erant illorum, notante Proclo in Chrestom. *τὰ δὲ λεγόμενα Παρθένια χοροῖς παρθένων ἐγράφετο, οἷς καὶ τὰ Δαφνηφορικὰ ὡς εἰς γένος ἐμπίπτει.* Fuit autem *δαφνηφορία* festum Apollini sacrum, celebratum multis Graeciae locis, ut Delphis, Athenis, in Boeotia et Thessalia, ubi lauri ferebantur sollemni pompa a sacerdotibus in templum dei, canente choro puellarum. Vide praeter Boeckhium ad Fragmenta p. 590. etiam Müllerum Hist. Dor. T. I. p. 203, 235, 330. Haec igitur carmina nunc secundus Partheniorum liber continuit. Praeterea erat tertius liber *τὰ κεχωρισμένα τῶν Παρθενίων* complectens, h. e. ea carmina, ut Boeckhius explicat, quae, quum ab Aristophane male in Partheniis habita essent, ab aliis recte eiecta erant; unde in altera recensione hic liber plane sublatus videtur, carminibus quae inerant in alios libros ad genera sua distributis. Porro quum duo fuissent initio Hyporchematum libri, altero Boeckhius censet postea tragoedias comprehensas, quas Pindarus fecit, h. e. carmina lyrica tragici argumenti, de quo genere ipse dixit in libro de Oecon.

civitat. Athen. T. II. p. 357. et in Corp. Inscript. V. I. p. 765. Thierschius in Introd. ad Version. German. Pind. p. 163., Müllerus Hist. Dor. II. p. 367 sqq. Welckerus in Append. ad libr. d. Aeschyl. Trilog. p. 243. Relatae vero initio ad Hyporchemata erant hae tragoediae propter alacritatem vividiorem et actionem verborum sententias mimice reddentem, utrique generi propriam. Postremo ab Encomiis separata Scolia sunt, atque ita mansit septendecim librorum numerus. Praeterea mutatae, alio credo tempore, sedes librorum, quos Suidas ita affert: *Ὀλυμπιονίκας, Πυθιονίκας, Νεμεονίκας, Ἰσθμιονίκας, Προσόδια, Παρθένια, Ἐνθρονισμούς, Βακχικά, Δαφνηφορικά, Παιᾶνας, Ὑπορχήματα, Ὕμνους, Διθυράμβους, Σκόλια, Ἐγκώμια, Θρήνους, Δράματα Τραγικά ιζ'.* Vides male derelictum antiquiorem ordinem pulcriorem, in quo primum locum tenebant carmina diis consecrata, ultimum vero quae ad hominum res pertinerent; quum tamen recentior ratio in codices transiisset, sic factum videtur, ut Epinicia primo loco posita servarentur, cetera interirent tristissima clade. Boeckhius Vitae Vratislaviensis ordinem sequutus est, nisi quod Encomia et Scolia distinxit et Isthmiorum fragmenta praemisit. Servatis ex decem generibus fragmentis subiectae in fine sunt reliquiae, quae quorum generum fuerint non traditum. — Post haec accedimus ad explicationem fragmentorum ipsam. De criticarum rerum infinita copia lector Boeckhii uberrimas disputationes adibit, cuius praeclaram recensionem sequutus sum; ubi tamen dissentiam, indicavi suo loco.

I. ISTHMIA.

Non habemus omnia Isthmia carmina a grammaticis olim collecta, sed perierunt in fine aliquot odae revulsis casu foliis codicis, scriptae gymnicis victoribus; nam curulibus victoriis dedicata carmina in principiis librorum ubique vides posita.

Primum fragmentum de Nereidibus est, quae apparuerunt quondam Aeoli filio Sisypho, regi Corinthi, et hortatae sunt, ut filio mortuo Inus longe splendentem honorem, *τηλέφαντον γέρας*, excitaret Isthmios ludos instituendo. Con-

tulit iam Boeckhius Schol. Pind. Isthm. Arg. I. p. 514. *χορεύουσαι τοίνυν ποτὲ αἱ Νηρεΐδες ἐφάνησαν τῷ Σισύφῳ καὶ ἐκέλευσαν εἰς τιμὴν τοῦ Μελικέρτου ἄγειν τὰ Ἴσθμια.* Nota est traditio Isthmia primum Melicertae, daemoni mystico, acta esse a Corinthiis, vid. Müller. Orchom. p. 176., postea vero a Theseo ad Neptunum traducta, cf. Müller. Dor. I. p. 238. et adde Welckerum in Addendis ad libr. d. Aesch. Trilog. p. 135. Vides Pindarum in hoc carmine de origine Isthmiorum nonnulla dixisse, ut alias de Olympiis dixit, et in antecedentibus quidem verbis Ino nominata erat, quo pertinet pronomen *ᾧ*, id est, *αὐτῆς*.

Secundum fragmentum, *ὅςτις δὴ τρόπος ἐξεκύλισσέ νιν*, quicunque modus eiecit s. expedivit eos, quo spectet ignotum est. Pronomen *νίν* hic pluralem esse ex Apollonio Dyscolo scimus, cf. Buttm. Gr. ampl. T. I. p. 296. Scribendum vero *ἐξεκύλισε* cum Bekkero, vid. ad Nem. VIII, 23. Verbum ap. Hom. de viris e curru praecipitatis dicitur, ap. Aesch. vero Prometh. 86. est expedire, liberare e vinculis, et hoc sensu potuit hic de angustiis et artibus dici, quibus constricti luctatores quidam se expediverint. Sic *τρόπος* erit modus aliquis luctae, quem sensum vocis disces e Commentario ad Isthm. III, 70.

Quartum fragmentum ita verte: Clara Aeaci fama, clara etiam navibus insignis Aegina, quam deorum cum fortuna Hylli et Aegimii Doricus populus condidit. Partim sub legis norma vivunt, non fas nec ius hospitum migrantes; fortitudine vero delphinum instar in mari sunt, et curatores sapientes Musarum ac ludicrorum certaminum. — Fuit haec praeclara stropha haud dubie prooemium carminis, complectens generatim Aeginae laudes; neque enim in medio carmine talia credet locum habere potuisse qui antecedentes hymnos accurate legit. — *Ὕλλου καὶ Αἰγιμιοῦ στρατός*, cf. ad Pyth. I, 62 sqq. — *ἐκτίσσατο*, occupavit et incolis implevit. — Verbis *τὰ μέν* in sequentibus respondet pr. *τὰ δέ* simplex *δέ*, multis modis Pindaro hanc constructionem variante, cf. Hermann. ad Vig. p. 701. — *ὑπὸ στάθμα*, sub lege, ad legis normam, *δικαίως*. Sic *Ὑλλὶς στάθμα* Pyth. I, 62. Habet *παρὰ στάθμην* pr. recte, iuste, Theogn. v. 543, 945. Conferri etiam potest

notissima loquutio, βίος ἐπὶ στάθμῃ, Orphicis et Pythagoreis usurpata. Ceterum Hermannus τῶν μὲν (Ὕλλου καὶ Αἰγιμιοῦ) ὑπὸ στάθμᾳ νέμονται coniecit acute. — θέμιν, fas, ius divinum, a diis praescriptum, h. e. quae religio praecipit adversus hospites, qui sunt in tutela Διὸς ξενίου. Significationem vocis notavit etiam Klausen Theologum. Aeschyli p. 34. — δίκαν, politicum ius, leges civitatis, veluti quum lites mercatoriae dirimendae. Conferes enim ad rem Ol. VIII, 21 sqq. ibique dicta. — Mox οἷοι δὲ δελφῖνές εἰσιν ἀρετὰν ἐν πόντῳ dictum ut μῆτιν δ' ἀλώπηξ. Isthm. III, 65. De velocitate delphinum cf. Pyth. II, 50. Add. infr. Fragment. inc. 155. Hinc inciti dicti Attio Cic. d. N. Deor. II, 35. Intelligitur vero navium Aegineticarum eximia agilitas remigumque dexteritas, cf. Müller. Aeginet. p. 74., unde spectatam constat Aeginetarum virtutem in compluribus proeliis. Ceterum magnificentius idem de Atheniensibus Sophocles dixit Oed. Col. 716 sqq. ἁ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία χερσὶ παραπτομένα πλάτα θρώσκει τῶν ἑκατομπόδων Νηρῄδων ἀκόλουθος, ubi Atticarum navium velocitas cum Nereidum rapido cursu comparatur, et quemadmodum, si quinquaginta Nereidum cohortem currentem per mare videas, centum pedum videas celerrimum motum, talis fertur Attica navis remorum concitata plurimorum agilitate. — ἑκατομπόδων dixit universam cohortem cogitans. Mira de hoc verbo disputant interpretes. — Opponit nunc bellicae virtuti pacis artes, poesin et gymnasticam. — ταμίαι σοφοὶ Μοισᾶν sunt qui curant et dispensant dona Musarum s. poesin exercent, ut duos poetas lyricos Aeginae memoratos vidimus Nem. IV. Similiter Ol. X. Locrorum artes musicas laudavit, et Ol. XIII, 22. de Corintho dixit: ἐν δὲ Μοῖσ' ἁδύπνοος, ἐν δ' Ἄρης ἀνθεῖ. Ceterum dicti ταμίαι Μοισᾶν ut ταμίας Διός Ol. VI, 5. — Porro ταμίαι ἀέθλων sunt qui curant, edunt ludos, et sic gymnica studia apud se fovent. Neque enim alium sensum admittunt haec verba. Habebantur autem in Aegina Delphinia, Heraea, Aeacea, cf. Ol. XIII, 110. Pyth. VIII, 65, 79. Verum, dicas, quid hoc ad Isthmium carmen? Ut vicerit victor etiam in illis, tamen si summum thema carminis Isthmia victoria est, cur inter primas Aeginae laudes recenset, quod apud se ludos edunt? Recte. Scilicet ut nunc de toto car-

mine aperiam quid sentiam, uti Nemeaeis in fine adiecta vidimus carmina aliis victoriis consecrata, sic etiam Isthmiis in fine collectionis subiecta suspicor fuisse alia nonnulla non Isthmia, et hunc quidem victorem Aeginetam credo non in Isthmo sed domesticis in ludis coronatum. Fuit, puto, carmen non longum, et intelligimus sic etiam illud, cur versus breviores habeat. Postremo fac in Aeaceis nunc vicisse hunc virum, quid aptius initio, *κλεινὸς Αἰακοῦ λόγος?* Revolvitur prooemium in orbem, redeunte oratione in fine ad id, quo spectaverat initium. Post haec de ipsa victoria dixit.

II. HYMNI.

Hymni etsi generatim varia carmina dicuntur, nunc tamen grammatici ea hoc nomine complexi videntur diis scripta, ut Boeckhius monet, quae a choro prope aram stante ad citharam cantata sunt; *ὁ δὲ κυρίως ὕμνος*, ait Proclus ap. Photium, *πρὸς κιθάραν ᾔδετο ἑστώτων*, add. Etym. M. v. *προσῳδίαι*, unde simul liquet moderatius et tranquillius tractationis genus in iis regnasse, quanquam nonnullos hymnos etiam saltatos ex Athenaeo scimus.

In principio autem collectionis posuerunt Hymnum ab adolescente Pindaro factum, fabularum copia insignem et Hesiodi Theogoniae quodammodo similem, qui propterea etiam reprehensus erat facete a Corinna, *τῇ χειρὶ δεῖν σπείρειν*, dicente, *ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.* Optime vero de hoc carmine meritus Boeckhius et secundam stropham addidit et locos veterum omnes in unum congessit, qui huc pertinere videbantur. Interpretis nunc est quaerere de ratione carminis mirifici, quid voluisse videatur poeta et quo nexu omnia iuncta fuerint. Igitur, ut ab hoc ordiar, vides in altera stropha poetam ad nuptias Iovis accedere, et primum quidem Themidem narrare ductam, unde concludimus in sequentibus ceteras potiores nuptias dei commemoratas, credo quae cum Eurynome iunctae, unde Gratiae, cum Cerere, unde Proserpina, cum Dione, unde Mars et Venus parentes Harmoniae, denique cum Iunone, qui celeberrimus *γάμος* fuit in Graecorum religione; *λοισθοτάτην δ᾽ Ἥρην θαλερὴν ποιήσατ᾽ ἄκοιτιν* Hesiod. Ad has ultimas nuptias fortasse pertinuit quod apud Aristid. T.

II. p. 116. legitur loco a Boeckhio adscripto: *Πίνδαρος δὲ τοσαύτην ὑπερβολὴν ἐποιήσατο, ὥστε ἐν Διὸς γάμῳ καὶ τοὺς θεοὺς αὐτούς φησιν ἐρομένου τοῦ Διός, εἴ του δέοιντο, αἰτῆσαι ποιήσασθαί τινας αὐτοῖς θεούς, οἵτινες τὰ μεγάλα ταῦτα ἔργα καὶ πᾶσάν γε δὴ τὴν ἐκείνου κατασκευὴν κατακοσμήσουσι λόγοις καὶ μουσικῇ.* Nati tum sunt Apollo et Musae, etsi quomodo hoc factum sit nescimus. Iam quas alias fabulas post has tractaverit poeta in medio relinquo, illud vero maxime probabile habeo, in ultima parte carminis Cadmi et Harmoniae nuptias cantatas; nam unum profecto e rebus in prooemio propositis canere debuit, convenit autem ceteris nuptiis nihil magis Harmoniae nuptiis, quas eam ipsam ob causam in fine prooemii ponit, quia has potissimum e Thebanis rebus tractaturus est. Ut enim nunc de toto quid sentiam indicem, videtur mihi Pindarus in hoc hymno eximia inventione omnino celebrasse pulcherrimum ordinem Olympiorum deorum post Titanum tempora sub Iove ortum eorumque in homines beneficia (die Herrlichkeit der Olympischen Götterordnung). Orsus erat, opinor, post prooemium ab Harmoniae laude et origine, ut solet etiam alias ordiri ab eo, quo in fine redire vult. Tum ad altiora pergens exposuit nuptias et generationes Iovis *σωτῆρος*, aliasque aliorum deorum origines divisosque a Iove honores et munera, ut hoc ipso modo *κόσμον* Olympicum luculenter declararet. Intelligas sic Aristidis verba modo allata, postulatos alios deos *οἵτινες τὰ μεγάλα ταῦτα ἔργα καὶ πᾶσάν γε δὴ τὴν ἐκείνου κατασκευὴν κατακοσμήσουσι*, et locum Choricii Gazaei Sophistae laudatum Boeckhio, *ἐποίησε Πίνδαρος καὶ θεοὺς ὀκνοῦντας ὑμνῆσαι τὰς τοῦ Διὸς εἰς ἀνθρώπους φιλοτιμίας.* Dictum igitur fuisse videtur de his rebus in hymno, quas quum iusto modo ne dii quidem crederent se celebrare posse, Apollo et Musae nati. Licet vero *πανσπερμίαν τινὰ μύθων* in hoc hymno proposuerit poeta, tamen non dubito ad unum pleraque omnia finem revocata esse, atque ut luxuriaverit hic illic iuvenile ingenium, at poetica vis non defuit et nexus quidam magnificentior omnibus Pindari carminibus proprius. Postremo in fine ad Harmoniam rediit celebravitque data opera Cadmi nuptias; quo si pertinet locus Aristidis: *ὅτι κἂν τοῖς Ὕμνοις διεξιὼν περὶ τῶν ἐν ἅπαντι τῷ χρόνῳ συμβαινόντων παθημάτων τοῖς ἀνθρώποις καὶ τῆς μεταβολῆς τὸν*

Κάδμον φησὶν ἀκοῦσαι τοῦ Ἀπόλλωνος μουσικὰν ὀρθὰν ἐπιδεικνυμένου, dixit de vicissitudine rerum humanarum, ut hac oppositione antecedentia et sequentia luculenter illustraret. Scilicet ut in Hymno Homerico in Apollinem v. 189 sqq. *Μοῦσαι μέν θ᾽ ἅμα πᾶσαι — ὑμνεῦσίν ῥα θεῶν δῶρ᾽ ἄμβροτα ἠδ᾽ ἀνθρώπων τλημοσύνας, ὅσ᾽ ἔχοντες — ζώουσ᾽ ἀφραδέες καὶ ἀμήχανοι, οὐδὲ δύνανται εὑρέμεναι θανάτοιό τ᾽ ἄκος καὶ γήραος ἄλκαρ*, videmus Musas *θεῶν δῶρα* et *ἀνθρώπων τλημοσύνας* canere, similiter Pindarus coniunxit, credo, utrumque, et post expositas deorum Olympiorum generationes et munera de humanae naturae imbecillitate casibusque variis dixit, tum ad deorum laudes reversus, qui contra propitio numine vitam hominum ornant et ornarunt, instar omnium Cadmi et Harmoniae nuptias descripsit, ubi Olympi reges praesentes coenarunt et *ἕδνα* praebuerunt (Pyth. III, 94. Nem. IV, 68.), Apollo autem et Musae rectam et genuinam musicam et harmoniam cecinerunt, pulcherrimum donum Apollini debitum. Postremo quaeras, quo festo talia cani potuerint. Veniebant primum *Θεογάμια* in mentem, si dies festus fuisset Thebis nuptiis Harmoniae consecratus, sed incommodum sic est prooemium, ubi male poeta dubitat, quid potissimum canat, si tamen ipse dies festus Harmoniae laudes requirebat. Formulis ineptis deteriorum scriptorum non utitur Pindarus; necesse est festum fuerit, ubi etiam alia commode cani potuerint. Quare praefero quod Müllerus amicissimus vidit, fortasse *Θεοδαίσια* cogitanda esse, quod nomen ex Cyrenaicis rebus memoratur ap. Suidam v. *ἀστυδρομία*, et in Creticis etiam habetur, cf. Hoeckii Creta T. III. p. 178. et Welcker. Epistol. in Schwenckii libro mythologico (Etymologisch-mythologische Andeutungen) p. 273. Tamen etiam aliis in locis lectisternia fuisse constat, vid. Casaub. ad Sueton. Iul. Caes. c. 76. Quodsi igitur lectisternia Olympicorum deorum Thebis fuerunt, et his destinatus erat hymnus, sic mecum statue: Quum varia cani possent in convivio ad oblectandos deos qui venerant, poeta suaviter in prooemio deliberat, quid potissimum e rebus domesticis iis narret, tum eligit Harmoniae nuptias, aptissimum convivio argumentum, quod ita tractat, ut simul ipsorum convivarum deorum laudem proponat, immo huc omnia revocet, condatque sic hunc iucundum in eos hymnum. Agnosco nunc Pin-

dari ingenium. Atque in convivio deorum hic hymnus canitur etiam apud Lucianum Icaromenipp. c. 27. Bipont. VII. p. 40. Verum veniendum est ad ipsa verba. — De Ismeno, Melia, et de Ismenio, oraculo celeberrimo, cf. ad Pyth. XI, 4. — *χρυσαλάκατον*, cf. Ol. VI, 104. Ceterum constructio est *πότερον* — *ἤ κ. τ. λ. ὑμνήσομεν*. — *Θήβαν*, filiam Asopi, a Iove huc translatam, cf. Isthm. VII, 20. — *κυανάμπυκα*, purpurea taenia ornatam. Sequitur autem poeta hic ordinem temporis. Antiquissimos deos loci habet Ismenum et Meliam; tum accessit Cadmus heros ortique sunt Sparti, et condita urbs est, ut narrat etiam Apollodorus. In sequentibus autem mutata ratione primum heroem Herculem commemorat, tum deos Thebanos, Bacchum et Harmoniam. — *πολυγαθής* Bacchus iam Hesiodo dicitur Theogon. 941., ut infr. Fragm. inc. nr. 22. Porro *τιμή* est *γέρας* cuiusque dei proprium, *πατρὸς τιμά*, Iovis dignitas Ol. XIV, 12., cf. Passov. lexicon. Nunc *πολυγαθέα τιμάν*, laetissimum Bacchi munus, s. laetissimam Bacchi indolem, ornatius dixit pr. *Διώνυσον πολυγαθέα*. — *Ἁρμονία* dea fuit patria Thebanorum valde culta, Plutarch. Pelop. 19. Müller. Orchom. p. 461. *Ἁρμονίης ἱερὸν γάμον* nominat Onest. Epigr. VII. Iacobs. Anthol. Lips. T. III. p. 4. De aliis huiusmodi nuptiis vid. Wernsdorf. Praefat. ad Epithal. T. IV. p. 462 sqq. Pindarus hic commemorat nuptias Harmoniae in fine, separatim a Cadmi nomine prius allato, quia has nunc tractaturus est, non ceteras Cadmi res. Ceterum habebantur ruinae thalami Harmoniae, et in foro vetere in arce Musae ferebantur cecinisse, cf. Pausan. IX, 12, 3. Nunc fortasse ibi *Θεοδαίσια* habita. — *πρῶτον μέν*, Hesiodo quum Metis prima uxor Iovis dicatur, altera Themis, Theog. 886, 901., vides Pindarum aliam fabulam sequi. Habitabat autem Themis Titanis tum non in Olympo, sed apud Oceanum, cuius domus in Occidente, Hom. Il. XIV, 301 sqq. Ibique *κῆποι Ὠκεανοῦ*, Aristoph. Nub. v. 272. Nunc fontes Oceani quod attinet, memorantur hi etiam in Hesiod. Theogon. 282, et ab Eurip. in Fragment. Phaethon. et a Callimacho Lavacr. Pallad. v. 10. — *ποτὶ κλίμακα σεμνὰν Οὐλύμπου*, ducebant eam ad scalam sanctam Olympi, qua adscenditur mons a diis et descenditur. — *λιπαρὰ ὁδός* est via candens per aetherem ab

Oceano ad Olympum. Non accurate vertit locum Voss. Epist. Mythol. Vol. I. p. 191. ed. sec. — ἀρχαίαν ἄλοχον, quum postea etiam aliae essent. — σωτῆρα dicit, credo nunc, cui melior mundi status post Titanum tempora debeatur. — τίκτεν Ὥρας, cf. Ol. XIII, 8. Hesiod. 901. — ἀλαθέας, quae ut ipsae nunquam non sibi constant, cetera omnia rata faciunt certo temporum cursu. Hesychius: ἀλαθέας Ὥρας λέγει Πίνδαρος, ὅτι κυκλισμῷ πάντα ἀληθῆ s. φανερὰ ποιοῦσιν. Vid. Boeckh. — De sequenti fragmento iam in Introductione dictum. Atque haec de primo Hymno.

Fragmentum nr. 5. est ex hymno in Minervam, quae e Iovis capite prodiit, cf. Ol. VII, 36. — ξανθάν, flavam. Heyn. ad Tibull. I, 4, 26.

Fragm. nr. 6. de Titanibus agit a Iove liberatis, Pyth. IV, 291. Non refero ad primum Hymnum.

Fragm. 7. est initium eius hymni, ut videtur, quem Pindarus, Iovis Ammonis cultor, in Libyam miserat, de qua re dixit Boeckhius.

Fragm. 8. est initium hymni in Proserpinam, quam ante mortem videtur fecisse poeta somnio monitus a dea, quod eam nondum cecinisset. Vide Pausan. IX, 23, 2. et quae Boeckhius addidit. — χρυσάνιος est Ἀΐδης, testante Pausania; excidit igitur in sequentibus Ἀΐδα δάμαρ aut simile verbum. — θεσμοφόρος Proserpina dicitur, ut vulgo Ceres. Aristoph. Thesmoph. v. 303. τὰ Θεσμοφόρω appellat.

Fragm. 12. Boeckhius suspicatur ex hymno in Τύχην esse, quum pluribus indiciis constet poetam carmen in hanc deam fecisse, quae Thebis colebatur, Pausan. IX, 16, 1.

III. Paeanes.

Paean dedicatus erat proprie Apollini et Dianae sospitatoribus, testante Proclo in Chrestom. ap. Photium, et canebatur post pestilentiam sedatam, post pugnas et bella feliciter finita, quale est Bacchylidis eximium fragmentum ap. Neue p. 19.,

aliisque omnino gravioribus malis depulsis, laetum carminum genus, a lamentationibus alienum, neque vero exsultans vehementius, sed compositum, dignum, grave, rhythmis etiam et musica nervosis, non mollibus et remissis. Vide Ilgen. Carm. Conviv. Graecor. p. CLXXXV. Boeckhium ad Fragmenta et Müllerum Hist. Dor. T. I. p. 298, 350. Ac dixerat in paeanibus Pindarus Doriam harmoniam esse gravissimam omnium. Canebatur paean aut simpliciter sine saltatione (Pausan. X, 24), aut cum saltatione chori, et quum primum creticis maxime versibus compositus esset a Thaleta, deinde aliorum rhythmorum varia genera adscivit; cf. Boeckh. de Metr. Pind. libr. II. p. 143. libr. III. p. 201, 270. Omnino Pindarus et aequales etiam hoc genus, ut cetera omnia, ampliori arte exornarunt, rerum et sententiarum varietate maiore adhibita fabulisque intextis plurimis, ceterum conservata, opinor, indole carminis. Apollineos fuisse paeanes vidimus, ac quod Servius ad Virg. Aen. X, 738. paeanum Pindaricorum libro hominum et deorum laudes contineri dicit, inprimis ad fabulas referam deorum et heroum rebus plenas; tamen grammatici etiam alia nonnulla carmina ob formae et argumenti similitudinem ad paeanes retulisse videntur, ut illud in Iovem Dodonaeum, etsi proprie non essent paeanes, ac Procli tempore paean erat *εἶδος ᾠδῆς εἰς πάντας γραφόμενος θεούς*: add. Schol. Aristid. Fromm. p. 50. Plurimi Pindari paeanes Delphicis festis destinati f[illegible] videntur, in quibus etiam Delphicas fabulas par est prae ceteris tractatas. Huiusmodi est Fragmentum I. de Neoptolemo Delphis caeso, quod est explicatum ad Nem. VII. Adde Welckerum meum in Addendis ad libr. de Trilog. Aeschyl. p. 147. — Referas porro ad tales paeanes quae de oraculo vi ab Apolline occupato, de *Ἀπολλωνίᾳ νάπῃ*, de templo Delphico et aquilis duabus ab oriente et occidente hic congressis, similibus dixit, congesta a Boeckhio. Quo pertinet secundum Fragmentum: Aureae canebant e laquearibus Flexanimae. Fuerunt autem *Κηληδόνες* feminae aureis imaginibus expressae, cantrices dulci voce insignes, ut Sirenes, quae sub tecto templi tertii suspensae fuisse dicebantur, vid. Boeckhium. Alios paeanes Thebanis cecinerat, unde est quod de tripode dixit, quem *Θηβαγενεῖς* in Ismenium ferebant, cf. ad Pyth. XI init., et quod Niobae ac

liberorum fata exposuit et in nuptiis Niobae harmoniam συντονολυδιστί primum auditam narravit, credo simul ut flebile omen futurae calamitatis. Locos habet Boeckhius. Omnino eximiis fabulis paeanes probabile est ornatos fuisse. Nec sententiae defuerunt gravissimae, qualis in quarto Fragmento habetur: Quid vero censes sapientiam esse, qua paullulum vir virum antecellit? Neque enim deorum consilia assequetur mortali mente, a mortali enim matre natus est, ut vertit Boeckhius. Tenuis est, ait, omnis sapientia nostra. Quanti enim faciendum, si homo hominem paullum superat? Angustis finibus circumscripta humana omnia. Ad ἔλπεαι cf. Nem. VII, 20. Ad ἰσχύει, valet, cf. Eurip. Orest. 901. ἰσχύων θράσει, multum audaciae habens. Atque haec hactenus. Restat, ut de Fragmento nr. 6. explicetur. Quum Pindarus secundum Schol. Soph. Trachin. 175. in Paeanibus dixerit duas fuisse columbas, quarum una ad Ammonium Thebis venerit, altera Dodonam, Boeckhius fragmentum, quod tenemus, suspicatur eius paeanis initium fuisse; quo posito vides grammaticos carmen in Iovem Dodonaeum, etsi proprie non erat paean, ob peculiarem aliquam causam similitudinemque in paeanum libro collocasse. Ac quum Boeoti quotannis tripodem ex Ismenio Apollinis Dodonam ferre deberent (τριποδηφορεῖν εἰς Δωδώνην), tali deductioni carmen inserviisse Boeckhius coniicit. Obscura vero vox ἀριστοτέχνης, quum proprio sensu veluti Vulcanus sic Iuppiter appellari vix potuerit. Veteres in locis apud Boeckhium δημιουργόν intelligunt. Alienus quidem Platonicus deus, sed tamen physicus sensus subesse videtur. Pherecydes philosophus quum dixerit: Ζὰς ποιεῖ φᾶρος μέγα τε καὶ καλόν, idque positum fuerit in quercu alata (τί ἐστιν ἡ ὑπόπτερος δρῦς, καὶ τὸ ἐπ᾽ αὐτῇ πεποικιλμένον φᾶρος) Sturz. Pherecyd. p. 46. ed. sec., probabile habeas Iovem Dodonaeum cum quercu sacra his allegoriis adhibitum esse. Iam coniicias similiter Orphicos ante Pindarum, qui certe non solum Bacchum, sed cum Baccho Iovem carminibus suis philosophicis celebrabant, hunc Dodonaeum Iovem ob priscam sanctitatem et mysticam quodammodo indolem pro summo numine coluisse. Atque ex horum carminibus Pindarus nonnulla hic petere potuit.

IV. DITHYRAMBI.

Dithyrambos constat Baccho consecratos fuisse et cycliis choris quinquaginta choreutarum saltatos, quanquam non omnes cyclii chori Bacchici.

Eximium Fragmentum, quod proxime vides, prooemium est Dithyrambi Atheniensibus facti non diu post bellum Persicum. Tempus fuit vernum proxime post Nemea hiberna, ut ex verbis ipsis liquet; quum autem Anthesteriis nullo indicio constet neque omnino probabile sit dithyrambos cantatos, magna Dionysia, *Διονύσια ἐν ἄστει*, cogitanda vides mense Elaphebolione acta, festum splendidum, multorum hominum frequentia insigne, tam praeclaro carmine plane dignum. Omnino bis tantum per annum dithyrambi acti, magnis Dionysiis et Lenaeis. — *Δεῦτ' ἐν χορόν, Ὀλύμπιοι*, pro *ἐς χορόν*, cf. ad Pyth. II, 11. Tum *κλυτὰν χάριν*, festivitatem, laetitiam, vox usitata in Bacchicis rebus, cf. Ol. XIII, 19. Ceterum vocantur dii, veluti etiam apud Aristophanem fit in *ᾠδαῖς* et *ἀντῳδαῖς*, v. c. in Nubibus: *ὑψιμέδοντα μὲν θεῶν Ζῆνα τύραννον ἐς χορὸν πρῶτα μέγαν κικλήσκω, κ. τ. λ.*; atque in dithyramborum initiis vulgo frequentabatur inprimis illud *ἀμφιανακτίζειν* derisum ab Aristophane ibidem, cf. Schol. ad. Nub. v. 591. Nunc et propter magnitudinem sollemnitatis et propter locum, de quo mox, perquam apta est haec Olympicorum deorum vocatio. Vocantur autem generatim omnes; nam *οἵ τε οἰχνεῖτε* est: Vos, qui Olympii estis, quique etiam alias Athenas venire soletis. Sed hoc ultimum ita dicit: Quique multum frequentatum urbis umbilicum thure redolentem Athenis aditis et pulcre exornatum illustre forum. *οἰχνεῖτε* cum accusativo, ut alia, cf. Iacobs. Anthol. T. XII. p. 459. Matth. Gr. p. 747. Porro *ἀγορά* est forum vetus in valle inter Pnycem, Acropolin et Areopagum, de quo accurate egit Müllerus in Erschii Encyclop. in v. Athen. p. 231 sqq. Dicitur *πανδαίδαλος* post instauratas splendidius Athenas ex bello Persico, ut notat Boeckhius. Conf. Böttig. Archaeol. Pict. p. 274. Quare post bellum illud dithyrambus scriptus. Denique *εὐκλέα*, forma epica et lyrica pro *εὐκλεᾶ* saepe iam lecta, significat omnino praeclaram, ut Soph. Oed. R. 161. Sed *ὀμφαλὸς*

ἄστεος quis sit, obscurum. Simonides βουλευτήριον dixit ὀμφαλὸν πόληος, ut videtur, docente Boeckhio in Corpor. Inscript. V. I. p. 557., qui h. l. tholum intelligendum putat, aedificium rotundum ad forum, ubi prytanes sacrificia quaedam statis temporibus peragebant, diversum a prytaneo, vid. Müller. l. cit. p. 237. Ibi cyclios choros agi potuisse. Sed tam amplum fuisse hoc aedificium, ut cum quinquaginta choreutarum saltationibus populum spectantem caperet, est quod dubitem, quum non exstructum fuerit huic usui, nec ὀμφαλόν cum amico credam dici propter formam aedificii, sed tropico sensu, quod longe melius, uti Simonides βουλευτήριον dixit, alius autem πρυτανεῖον dicere potuisset. Tholi quum non fuerit talis dignitas, aliud propono. Quidni enim aram duodecim deorum in foro positam intelligamus, quae similiter et propter duodecim deos et quum distantias locorum per Atticam ab ea metirentur Athenienses, ut ostendit Müller. l. cit. p. 237., optime ὀμφαλός appellari potuit. Est haec πολύβατος, multum frequentata a diis, etiam alias propter sacrificia, θυόεις autem confer cum Homerico βωμὸς θυήεις Il. VIII, 48. XXIII, 148. Od. VIII, 363. Iam puta cyclium hunc chorum in ipso foro actum sub divo, veluti vetus oraculum Dodonaeum dicit Demosth. in Mid. P. 531. Αὐδῶ Ἐρεχθείδαισιν, ὅσοι Πανδίονος ἄστυ ναίετε καὶ πατρίοισι νόμοις ἰθύνεθ᾽ ἑορτάς, μεμνῆσθαι Βάκχοιο καὶ εὐρυχόρους κατ᾽ ἀγυιὰς ἱστάναι ὡραίων Βρομίῳ χάριν ἄμμιγα πάντας, καὶ κνισσᾶν βωμοῖσι, κάρη στεφάνοις πυκάσαντας. Ac nihil convenientius Dionysiis magnis tali publica saltatione. In foro igitur si res acta ad aram duodecim deorum nunc sacrificiis et thure flagrantem, vides recte et suaviter dictum, adeste Olympii, qui etiam alias hanc aram et forum adire soletis. — V. 6. ἰοδετᾶν λάχετε στεφάνων, violaceas ferte coronas et vere collectas libationes. ἰοδετᾶν quae nexae violis, a poetica forma ἰοδέτης ut Boeckhius statuit. Sic mox κισσοδέτας. Offerebantur autem hoc festo violaceae coronae, quas nunc in ara duodecim deorum aliisque circum positas puta. — Verba τᾶν τ᾽ ἐαριδρέπτων λοιβᾶν Boeckhius ita explicat, ut flores libationibus additos credat. Sed vidimus iam coronas florum, quod sufficit, et mire omnino sic libationes ἐαρίδρεπτοι dicuntur. Quum

Baccho etiam *νηφάλια* oblata sint, cf. Schol. Soph. Oed. Col. 100., ego mel vernum credam libatum hoc festo, e vernis floribus ab apibus cellectum, ac dicit Ovid. Fast. III, 735. succis dulcibus ille gaudet et a Baccho mella reperta ferunt. *δρέπεσθαι μέλι*, quod in Anthol. Lips. T. III. p. 28. Lucian. Epigramm. XXXVII. de hominibus dicitur apum mel colligentibus, optime etiam de apibus ipsis dici non est quod moneam. Verno tempore mel colligentem apem habes in Epigr. VII. Niciae Anthol. Lips. T. I. p. 183. Delect. Epigr. p. 399. — *Διόθεν τέ με σὺν ἀγλαᾷ ἴδετε πορευθέντ' ἀοιδᾷ* cet. optime explicat Boeckhius de poeta a Iove Nemeaeo post Nemea Athenas profecto ad Bacchum celebrandum. — *δεύτερον*, postquam primum adii Iovem. — *ἴδετε*, benigne adspicite, cf. ad. Ol. VII, 11. Logicus nexus hic: ferte coronas et libationes, et accipite propitio numine etiam carmen vobis oblatum. — *κισσοδέταν*, cf. Ol. II, 27. Ceterum ut deus ita etiam chorus dithyrambicus hedera coronatus erat, unde Simonides Epigr. 72. (76.) p. 382. Gaisf. *κισσοφόρους* appellat *διθυράμβους*, post victoriam autem *μίτραισι καὶ ῥόδων ἀώτοις*, taeniis roseisque coronis, ornabantur choreutae, eodem Simonide teste l. cit., in quo *ἀοιδοί* ut Pind. Pyth. I, 3. de choro dictum. De roseis coronis adde Welcker. in Addend. ad libr. de Aeschyl. Trilog. p. 188. — Ad *Ἐριβόας* cf. *μιξοβόας διθύραμβος* Aesch. Fragm. 409. — Mox prolem summorum patrum et Cadmearum mulierum appellat Iovis et Semelae filium Bacchum, magnificentius plurali usus, cf. ad Ol. IX, 56. Ac respondent sibi *μέν* et *τέ*. Asyndeton explica per *γάρ*. — V. 12 sq. Eximie horum verborum sensum enucleavit Boeckhius. *Μάντις* est sacerdos et augur Nemeaeus, qui sacram palmam custodit. Dabatur enim in Nemeaeis ludis, ut in aliis plurimis, victori in dexteram palma praeter coronam, de qua re dixit Pausan. VIII, 48, 2. Elea palma ex Horatio nota est. Sacram arborem qui custodiret sacerdos constitutus erat. — *ἔρνος* hic est ramulus, germen palmae. Iam hoc vult: Quanquam procul hinc in Argiva Nemea eram, tamen me non latuit instare Dionysia Attica. Quod ita expressit suavissime: Augur Nemeaeus probe animadvertit et observat germen efflorescens palmae, quum aperto Horarum thalamo odoratum ver sentiunt plantae atque etiam palma;

cognito autem sic veris adventu etiam Dionysiorum tempus adesse intellectum est. — ὁπότε ἐπαΐωσιν, quum tanguntur omnia vi veris venientis. Ad verbum cf. Nem. II, 14. — νεκτάρεα, fragrantia, ut Hom. Il. III, 385. Ceterum quum rarius veteres de talibus rebus loquantur in carminibus nobis servatis, observa incomparabilem pulcritudinem huius loci, ut discas quomodo etiam de his noverint loqui. — τότε βάλλεται κ. τ. λ., tunc sparguntur, tunc super divinam terram et ubique efflorescunt amabiles violarum crines. Suaviter orditur a violis, primo flore veris. — βάλλεται, funduntur, metaphora ducta a seminibus manu sparsis, et observa schema Pindaricum, ut mox ἀχεῖται ὀμφαί, χοροί, vid. ad Ol. X, 6. Saepe eo usum Pindarum Lesbonax de figuris p. 184. Valck. tradit. — ἀμβρόταν, Buttm. Lexil. I. p. 131 sqq. — φόβαι, folia larga, iuba violarum, veluti milii (der Blumenbüschel an der Hirse) Theophr. Hist. Plant. IV, 4., Schneid., inprimisque sunt arborum frondes, ut Eurip. Ion. 120. μυρσίνας ἱερὰν φόβαν, Soph. Antig. 419. φόβη ὕλης, Anthol. Lips. T. III. p. 18. Epigr. Sabin. φόβαι εὐπέταλοι. — ῥόδα κόμαισι μίγνυται. De rosis Baccho sacris cf. Welckerum l. cit. Quum paullo ante violaceas coronas diis offerendas memoraverit, nunc rosas laudat comis mixtas; gerebant autem cives, quos oraculum supra allatum vult esse κάρη στεφάνοις πυκάσαντας, in his Dionysiis rosis fere violisque nexas coronas, opinor, quare hoc vult: Tunc violae sparguntur per terram, quibus coroneris, et rosae comis miscentur. Hinc in sequenti Fragmento ἰοστέφανοι dicuntur Ἀθᾶναι. De choreutarum victorum roseis coronis nondum hic sermo, ubi adveniens festum describitur. — V. 17. ἀχεῖται s. ἠχεῖται pr. ἠχεῖ, ut Soph. Oed. Col. 1500. — ὀμφαί nunc cantus, ut Anacr. VI. κοῦρος προχέει λίγειαν ὀμφάν, et Nem. X, 34., ubi non satis accurate dixi. De voce humana est etiam alias, v. c. Eurip. Med. 175. — σὺν αὐλοῖς, ad quos canuntur dithyrambi. — Postremo notabis repetitiones verborum vividiores in hoc genere poesios frequentatas, τὸν Βρόμιον τὸν Ἐριβόαν, τότε βάλλεται, τότε, ἀχεῖται, ἀχεῖται, et multa in unum congesta epitheta, ut in sequenti Athenarum laude, nec te latuit, credo, per totum fragmentum regnans suavis enthusiasmus, in fine vero pulcherrime

increscens. — Iam scire cupias, quem cursum post haec carmen tenuerit, de qua re hinc accipe quid sentiam. Dixi supra dithyrambos in Dionysiis magnis et Lenaeis actos, unde coniicio duplex fere eorum genus fuisse, alterum laetum, efflorescente rerum natura cantatum, alterum tristius et quod non hilarem sententiam subiectam haberet, quum Bacchus Lenaeorum tempore apud inferos versetur. Confirmari videtur haec sententia etiam eo, quod Müllerus meus addit, Lenaeis antiquitus tragoedias proprias fuisse videri, magnis Dionysiis comoedias, quum ubi de hoc festo sermo sit primo loco comoediae memorari soleant, deinde tragoediae, contra ubi de Lenaeis primum tragoediae, deinde comoediae. In hibernis igitur dithyrambis *τὰ πάθη τοῦ Διονύσου* exposita credam maxime et quae alia in fabulis Bacchicis tractationem admitterent convenientem sensibus cum hoc festo coniunctis. Suspicari licet huiusmodi Arionis dithyrambos fuisse, qui *τραγικοῦ τρόπου εὑρετής* dicitur ap. Suid. v. *Ἀρίων*. Praeterea quod Aristophanes in Nubib. v. 334 sqq. dithyrambicos poetas ridens ait: *Ταῦτ᾽ ἄρ᾽ ἐποίουν ὑγρᾶν νεφελᾶν στρεπταιγλᾶν δάϊον ὁρμάν, πλοκάμους θ᾽ ἑκατογκεφάλα Τυφῶ πρημαινούσας τε θυέλλας, εἶτ᾽ ἀερίας διερὰς γαμψοὺς οἰωνοὺς ἀερονηχεῖς, ὄμβρους θ᾽ ὑδάτων δροσερᾶν νεφελᾶν*, add. Schol. d. Pac. 829. *περὶ τῶν νεφελῶν λέγουσι πολλά*, haec igitur quod attinet, primum non dubito etiam pluvias et procellas hiemis saepe in his dithyrambis tractatas, vocatumque deinde Bacchum, ut mox laetiores menses reducat. Sed potuerunt talia, ni fallor, etiam magnis Dionysiis adhiberi, si per oppositionem descripto hiberno tempore sic ad veris serena, ad flores deumque redditum laetabunda transiit oratio. Nam in hoc quidem altero genere hilaritas regnabat; canitur veris dator *εὐανθής* Bacchus, qui flores donat et Horas Gratiasque adducit; in quo videntur etiam alia multa adscivisse ad veris tempus illustrandum, avium cantum redditum et *οἰωνοὺς ἀερονηχεῖς*, postremo Iovis divina fulmina, veluti Horatius in descriptione veris ait: „iunctaeque Nymphis Gratiae decentes alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum Vulcanus ardens urit officinas.“ Vides quae magnifice tractari potuerint et tumide, ut saepe factum. Postremo quod mythica attinet, quum aliae fabulae his vernis Dionysiis aptae, tum locus de ortu dei, quovis vere qui orbi

laetabundo redditur quasi denuo natus. Post haec ad Pindarum redeo. Vidimus in fine prooemii Semelam memoratam; quodsi usum poetae respicimus, probabile est eum in sequentibus ab ipso hoc nomine progressum de origine Bacchi dixisse, ut iam ante significavit se *γόνον ὑπάτων πατέρων γυναικῶν τε Καδμειᾶν* celebratum venire. Quam usitatum omnino fuerit hoc argumentum in Dithyrambis, intelligere licet e Platonis verbis d. Legg. III. p. 700. *Διονύσου γένεσις διθύραμβος καλούμενος.* Ac Pindarus in aliquo Dithyrambo Bacchum *Λυθίραμβον* dixerat, quum Iuppiter in partu clamasset *Λῦθι ῥάμμα*, vid. Etymol. M. p. 274, 50., ut vulgo et deus et carmen origines dei canens a duplici partu nomen habere credebatur, *παρὰ τὸ διὰ δύο θύρας βῆναι τὸν θεόν.* Cf. Welcker. in Addendis ad libr. d. Trilog. Aesch. p. 191. Cecinerit igitur, ut hoc ponam, etiam in proposito carmine origines Bacchi, utque deus natus mox festa, cantus chorosque excitaverit ubique per agros et oppida, *κωμάστης, χοροίτυπος, χαριδώτης,* atque inprimis etiam Athenarum praeclara urbs eum receperit. Veluti paucis dicitur in Hymno Homerico: *αὐτὰρ ἐπειδὴ τόνδε θεαὶ πολύυμνον ἔθρεψαν, δὴ τότε φοιτίζεσκε καθ᾽ ὑλήεντας ἐναύλους κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος, αἱ δ᾽ ἅμ᾽ ἕποντο Νύμφαι, ὁ δ᾽ ἐξηγεῖτο, βρόμος δ᾽ ἔχεν ἄσπετον ὕλην,* argumentum enthusiasmi plenissimum, multis modis deinde exornatum poetis dithyrambicis, Bacchas et Satyrorum choros et itinera dei per orbem canentibus. Eximie apta talia vernis dithyrambis esse apparet, quanquam non omnino negaverim etiam in Lenaeis has fabulas adhibitas, quum Trieterica hieme fuerint, modo teneamus diversam tractationem esse debuisse in his et in illis, quod nunc persequi nolo. Sed in hoc carmine posito nexu qualem indicavi, commodum iam locum habebit sequens Fragmentum, *αἵτε λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι, δαιμόνιον πτολίεθρον,* Splendidae et violaceis sertis coronatae et carminibus celebratae, Graeciae columen, clarae Athenae, divina urbs, in quo etiam oratio: *αἵ τε — Ἀθᾶναι,* probat, opinor, alia locorum nomina praecessisse; ac verno haec verba tempore scripta et Dionysiis magnis, vox *ἰοστέφανοι* indicat, etsi hinc per se demonstrari non potest eundem annum fuisse. Accedunt tamen etiam verba: *ἀοίδιμοι* et *Ἑλλάδος ἔρεισμα,* quibus in-

signia Athenarum facinora ad Artemisium et Salaminem tanguntur, ut notat etiam Plutarch. de Glor. Athen. c. 7. Nam de fortitudine bellica antiquioribus ἔρεισμα dicitur, ut Ol. II, 6. Thero est ἔρεισμ᾽ Ἀκράγαντος. Posteriores quosvis eximios viros columina civitatum appellant, cf. Iacobs. ad Anthol. T. VIII. p. 57. Quemadmodum igitur supra forum restauratum laudavit, sic nunc fortitudinem modo spectatam, atque ita par erat in primo post bellum Persicum Athenis scripto carmine. Ceterum valde placuit hic locus veteribus, qui saepius imitatione expresserunt vel totum, vel singula verba λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι Ἀθᾶναι, ἀοίδιμοι Ἀθᾶναι, et ἔρεισμα, cf. Boeckh. h. l. et Wyttenbach. Bibl. Crit. V. III. P. I. p. 49. Denique ultima verba, δαιμόνιον πτολίεθρον, nunc addidi e Scholiis Aristidis a Frommelio nuper editis p. 115. — Praeterea vero addita his fuisse videntur ap. Pindarum etiam alia nonnulla, ut Boeckhius notat, quae Himerius habet Orat. XVI. Pindaricas laudes ad Constantinopolin transferens: *Καί μοι δοκῶ καὶ τῆς Πινδάρου λύρας λαβὼν μέλος ἐκεῖθεν εἰς αὐτὴν ἀποφθέγξασθαι, ὡς τῆς Ἑλλάδος μὲν εἰπεῖν ἔρεισμα μικρόν, ὅπερ εἰς τὰς Ἀθήνας ᾖσται Πίνδαρος, πάσης δὲ τῆς ὑφ᾽ ἥλιον ἥδιστον ἄγαλμα· σὲ μὲν καὶ Ποσειδῶν ὁ βασιλεὺς ὁ θαλάσσιος γλαυκοῖς περιβάλλει τοῖς κύμασιν οἷά τινα νύμφην Ναΐδα καὶ πανταχόθεν περιπτύσσει καὶ γέγηθε, σὲ δὲ Νηρηΐδων ἁλιπορφύρων χοροὶ ἄκροις ἐπισκιρτῶντες τοῖς κύμασι κύκλῳ περὶ πᾶσαν χορεύουσι.* De Neptuno quod dicit urbem ut Naidem amplectente, Pindaricum non est meo iudicio, sed aliunde petitum, nisi ipse excogitavit; at Nereïdum choros memoraverat Pindarus, pertinuitque etiam hic locus ad bellicas laudes urbis, quam Nereïdum chori circumsaltent quasi dominam maris, victoriis navalibus nuperrime insigniter illustratam. Unde clare iam videbis haec fragmenta recte ad unum omnia carmen revocari. Neque enim situm geographicum urbis mari cinctae his Nereïdum choris describere voluisse Pindarum cuivis patet. Usus igitur erat gestis nuperrime rebus ad ornatum huius dithyrambi, in quo plane agnosco morem poetae, qui toties recentium decorum coloribus carmina sua exornavit. Atque ut sentias, quam egregie etiam cum reliqua ratione carminis hae navales laudes conveniant, modo e Meleagri descriptione veris Epigr. CX.

confer hunc versum: *Καὶ ναῦται πλώουσι Διώνυσός τε χορεύει.* Quod autem Nereïdum choros in ea re adhibuit, magnifice etiam hoc verno tempori accommodatum vides, ubi omnia choreas agunt. Nimirum spirabat, ut ita dicam, per totum carmen veris aura, in prooemio, in loco de ortu dei, in his Athenarum laudibus, et canebatur per omnia idem ille veris auctor Bacchus, ad quem etiam in fine, credo, oratio rediit et ad hosce in urbe choros. Verum finem facio; uno exemplo disce quales Pindarus fecisse videatur dithyrambos. Pergo ad sequentia.

Fragmenta nr. 5. et 6. ex uno dithyrambo esse liquet e Strabone X. p. 719., A, B. Vide Boeckhium. Ac prima quidem verba initium fuerunt carminis eodem Strabone teste: Olim serpebat prolixa cantilena dithyramborum et San pravum hominibus ab ore. Quae optime explicat Boeckhius. Orditur Pindarus a comparatione veterum et novorum Dithyramborum, uti etiam Strabo prodit. Olim ait dithyrambus profusus ab ore hominum fluxit itemque San in iis usurpatum, nunc artificiosa opera San illud asperius proscribunt et nescio quibus artificiis utuntur. — *Πρίν*, olim, Ol. IX, 57. — *ἕρπειν ἀπὸ στομάτων* hic est labi ex ore facile et sine opera (gleiten), quum non esset artificiosus. — *σχοινοτενής*, largus, copiosus, longus, quasi in funis longitudinem extensus, cf. Schweigh. Animadv. ad Athen. T. V. p. 580. Interprett. Greg. Corinth. p. 509. Schaef. Et *σχοινοτένεια* est forma feminina, ut *ἡδυέπεια*, *μουνογένεια*, alia; cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 538. — *Καὶ τὸ σὰν κίβδαλον.* Videtur enim Doriensium San paullo rudius pronuntiatum, nec plane convenisse ceterorum Graecorum literae Sigma, cf. Boeckh. de Oecon. civit. Athen. II. p. 386. Hinc multis modis declinavit S haec dialectus, cf. Müller. Hist. Dor. II. p. 519., ac poetae quidam etiam carmina *ἄσιγμα* fecerant, ut Lasus Hermionensis, vid. Athen. X. p. 455. Haec reprehendit Pindarus, nervosius carmen facturus prisco more, spiritu plenum non ineptis artificiis. Videtur autem etiam Metroaca in Phrygiam Magnam Matrem comparasse, quam ipse etiam colebat hereditario cultu, vid. ad Pyth. III, 78. Huc spectat sequens Fragmentum: Tibi ad sacra initia et ut praeeant ritus, Magna Mater, praesto sunt cymbalorum turbines, et quae si-

mul sonent crepitacula, praesto ardens fax inter fulvas taedas. Hoc est: Etiam tu magnos sonos instrumentorum et taedarum strepitus amas. Sunt ἄρχεσθαι, κατάρχεσθαι verba religiosa, de quibus dixit Buttmann. Lexil. II. p. 103., usnrpata pro: ordiri et administrare sacros ritus. Activum autem hic significare videtur: praeire quod sequatur, cantus, qui igitur ipse etiam gravis et nervosus esse debet, ut praeeuntia cymbala. — πάρα, πάρεστι. — ῥόμβοι, rotationes, commotiones celeres (das Wirbeln). — ἐν δέ, simul, vid. Ol. VII, 5. et Bernhardy Synt. p. 198. — κεχλάδειν, uti scripsit Hermannus, est pr. κεχλαδέναι, ut Pindarus κεχλάδοντας et πεφρίκοντας habet. Ultimi versus sensus obscurior. Vertere posses: ardens fax sub fulva pice, si πεύκας constaret pices esse quibus inducta esset fax. Nunc praestat dicere, in ara, ubi sacrificium, ardere facem inter taedas, h. e. saltantibus circa aram choreutis cum taedis. — ξανθαῖσι, ex igne.

Fragmentum nr. 7. est de Hercule et Geryone, notissima fabula. Dicit: Te vero, o Geryon, inter nos laudo quidem, quod autem Iovi non arridet taceam. Neque enim consentaneum, dum bona rapiantur, foco assidere et ignavum esse. Laudat, ut vides, Geryonem, quod Herculi boves rapienti se opposuerit pro virili parte. — παρ' ἄμμιν proverbialiter dictum videtur pro tecte, non nimis clara voce. — Ad verba καθῆσθαι παρ' ἑστίᾳ cf. Ol. I, 83. — Quaeras nunc, quomodo haec dithyrambico carmini convenire potuerint. Quod mihi et Müllero meo probabile videtur, hoc est. Novimus praeter Bacchi origines ceterasque Bacchicas fabulas inprimis etiam heroica argumenta, ἡρωϊκὰς ὑποθέσεις, in Dithyrambis tractata, vid. Plutarch. d. Mus. c. 10. Quae res iam tum coepta videtur. Vellem constaret de Strabonis loco XV, 728. B., ubi laudatur Σιμωνίδης ἐν Μέμνονι Διθυράμβῳ τῶν Δηλιακῶν. Bacchylides autem quum in Dithyrambis de Graecis Philoctetam Lemno arcessentibus dixerit, cf. Pind. Schol. Pyth. I, 100., et de pueris puellisque septenis, quos Athenienses quotannis in Cretam mittebant, a Theseo liberatis, cf. Serv. ad Virg. Aen. VI, 21. collat. Fragm. Bacchyl. Neue p. 24., videntur etiam haec ex heroicis dithyramborum argumentis esse. Tales igitur dithyrambos

potuit etiam Pindarus facere, si non obiter nescio quomodo de Hercule et Geryone dixit. Postremo scire cupias, qui factum sit, ut heroicas fabulas Bacchi honoribus aptas haberent. De qua difficili quaestione plane certa non habeo, suspicor tamen, quum Bacchus propter ortum a Semela, propter vim victricem quae in eo est, et propter παθήματα quae experitur, heroibus similis sit, inde rem ductam. Hinc etiam tragoediae heroici argumenti in Dionysiis ortae sunt et actae quotannis in dei honorem, quod fieri non potuisset, si recte video, nisi inter eum et heroes maior quaedam similitudo fuisset. Ceterum per se patet etiam in harum fabularum delectu duplicem rationem Dionysiorum a dithyrambicis poetis spectatam, quam supra indicavi. Atque haec hactenus. — Fragmento 8. Aegyptus dicitur praeclara, praecipitibus litoribus munita. Ad v. ἀγχίκρημνος cf. Stephan. ed. Lond. et Boeckh. ad Fragm. p. 664. — Ad Fragment. 9. vid. Ol. VI, 90. — Fragm. 10. de Orione est Pleionen amante et persequente, quem sequitur canis venaticus leonum domitor, qui Sirius est. Cecinerat enim Pindarus in dithyrambo aliquo catasterismum Pleiadum Orionem fugientium narrato huius ortu et in Pleionem amore, vid. locos ap. Boeckh. Fuit sane nexus quidam Orionis cum Bacchicis fabulis, si quidem ebriatus et occaecatus quondam erat ab Oenopione Chii rege, Bacchi et Ariadnes filio, cf. Apollod. I, 4, 3., sed non multum inde proficias. Immo quum vere oriantur Pleiades mense Apr. sereni temporis amicae, sub hiemem vero abscondantur tristes mens. Nov., sic potius et in verno aliquo et in hiberno dithyrambo commode locum habere fabula potuit. Discimus hoc exemplo, quomodo non Bacchicae fabulae in dithyrambum inferri etiam ita apte potuerint multae, si ad vernum aut hibernum tempus illustrandum pertinebant. — Ultimum Fragmentum verte: Animosus ille, chori saltator Bacchus, quem Maleae natus nutrivit Naïdis maritus Silenus. — χοροιτύπος est Bacchus ut χοροιτυπίη de Bacchica saltatione; cf. Anthol. Gr. Ep. Antipatr. Tom. II. p. 109. Iacobs. et Delect. Epigr. p. 449. — Ad Μαλεάγονος vid. Pausan. III, 25, 2, ubi hic locus laudatur. Fuit in isto promontorio antiquus Bacchi cultus, unde etiam Silenus huc revocatus, qui in aliis fabulis Nysigena. Ad Bacchicum cul-

tum loci pertinere videtur fabula de Centauris a Pholi convivio ad Maleam fugientibus, Pholus autem filius Sileni fuit, cf. Apollod. II, 5, 4. Praeterea vid. aliam fabulam ap. Müller. d. Etruscis T. I. p. 84. — Ad verba *Ναΐδος ἀκοίτας* et *ἔθρεψε* vide praeter Creuzerum in Mythologia etiam Welckerum meum in Addendis ad libr. d. Trilog. Aeschyl. p. 214. doctissime de Sileno disputantem.

V. PROSODIA.

Scribit Proclus ap. Photium: *Ἐλέγετο δὲ τὸ προσόδιον, ἐπειδὰν προσίασι τοῖς βωμοῖς ἢ ναοῖς καὶ ἐν τῷ προσιέναι ᾔδετο πρὸς αὐλόν.* Add. Etymol. M. v. *προσῳδίαι* et *προσῴδιον*, nec non s. v. *ὕμνος*. Adde Boeckhium. Vocantur etiam paeanes prosodiaci. Ceterum supplicationibus aut gratiis agendis inserviebant.

Primum Fragmentum est prosodium in Delum; a quibusnam vero haec pompa missa sit, non constat. Exempla talium Deliacorum carminum laudavit Boeckhius, ut fuit Eumeli prosodium Messeniis scriptum Pausan. IV, 4, 1. et Pronomi Thebani Chalcidensibus Euboeae Pausan. IX, 12. extr. Propositum carmen Müllerus Dor. I, 312. ante Ol. 72, 3. scriptum iudicat, quo tempore insula motu concussa est secundum Herod. VI, 98., quam Pindarus hic immobilem dicit. Ignorat tamen illum motum Thucydides, notante etiam Müllero, ut res in incerto relinquenda sit. — *Χαῖρε.* Usitatae haud dubie formulae initiales Prosodiorum *χαῖρε, εὖ με δέξαι, λίσσομαί με δέξαι*, similes, utpote advenienti choro maxime convenientes. — *ἔρνος*, germen, surcule. Comparantur insulae cum plantis e mari natis, cf. ad Ol. VII, 62. — *ἀκίνητον τέρας*, quae immota stas, quum cetera terra longe lateque motibus obnoxia sit, nisi quod Delphicum umbilicum firmum vidimus Pyth. VI init. — *Δᾶλος*, proprie conspicuus, est aptum insularum et montium nomen, ut *ἀρίδαλος Ὄσσα* Simonides Epigr. 59. (65.) dixit. Tamen suaviter et poetice Pindarus hic tropicum sensum infert. — *μάκαρες δ' ἐν Ὀλύμπῳ κ. τ. λ.*, quam dii late clarum sidus nigricantis terrae nominant, h. e. Asteriam, quod vetus nomen my-

thologicum insulae, cf. Apollod. I, 4, 1., a diis repetitur, ut alias passim antiquiora nomina locorum, personarum, animalium in hymnis templorum, in epicis carminibns priscis, in traditionibus mythicis usurpata, v. c. Briarei nomen Hom. Il. I, 403. Adde alia exempla Il. XIV, 291. Odyss. X, 305. Fragm. Pind. Parthen. 5. Pindarus autem nunc affert haec duo nomina, ut claram et prae aliis locis sanctitate insignem significet insulam. Corinthum Ἑλλάδος ἄστρον dixit Polystratus Anthol. Lips. T. II. p. I. epigr. 2. cf. Iacobs. T. VIII. p. 4. Ac constat inprimis etiam viros eximios ἀστέρας dici, vid. Ind. ad Anthol. in v. p. 108. Denique κυανέας suaviter hic appositum. — ἦν γὰρ τοπάροιθε φορητά, vaga fluctibus et procellis, de qua fabula satis constat, cf. Spanhem. ad Callim. Del. 36, 273. Vid. etiam Müller. Dor. I. p. 311. Est φορητόν quod fertur huc illuc, cf. Eurip. Hecub. 29. πολλοῖς διαύλοις κυμάτων φορούμενος. Adde Suppl. 689. Sic infr. Fragm. Scol. nr. 2. φορεῖται pr. vagatur explicandum. De repetitae et continuatae actionis significatione in hoc verbo monet Hermannus ad Eurip. Herc. fur. 1371. Soph. Electr. 715. — ἁ Κοιογενής, h. e. Latona, ut Apoll. Rhod. Argon. II, 710. — ὁπότε ἐπέβαινεν, quum gradum iu insula posuit propter dolores instantis partus. Dativus causam indicat, ut saepe, cf. Matth. Gr. p. 727. — θοαῖς, festinantibus, rapide crescentibus, ut proximum locum petere cogeretur dea partui aptum. — δὴ τότε τέσσαρες ὀρθαί κ. τ. λ., tum quattuor rectae columnae adamantina basi firmatae a terrae radicibus exortae sunt et capitulis saxum suffultum gestarunt. Rem unde petierit Pindarus, ignotum. — πρέμνον, radix, fundamentum, ut constat. — ἀδαμαντοπέδιλοι, quae basin ferream habent. Ceterum cf. Plutarch. d. Glor. Athen. c. 7. ὥςπερ ἀδαμάντινοι (fortasse ἀδαμαντίναις κίοσι) στηρίξαντες τὴν ἐλευθερίαν τῆς Ἑλλάδος. — ἐπίκρανον, capitulum, cf. Porson. ad Eurip. Hecub. 788., ubi hunc locum tractat. — πέτραν, quum arida et saxosa esset insula, vid. ad Isthm. I, 3. Atque haec hactenus; inde ab adventu Latonae, ait, constitit insula firmissime. Exin in sequentibus fabula de partu et originibus Apollinis et Dianae amplius exposita est, aut alia

pars commoda rerum Apollinearum. Consentaneum talia proposita, quae festi rationi, veluti si natales dei erant, et rebus praesentibus eorum, qui pompam miserant, convenirent. Pro his vero preces factae.

Fragmentum secundum initium est Prosodii in Dianam Aphaeam, ut videtur, in Aegina cultam, Pausan. II, 30, 3. Disputavit de ea Müllerus Aeginet. p. 163. Verte: Quid pulcrius sive incipientibus sive desinentibus quam Latonam et equorum agitatricem Dianam canere. Diana ἱπποσόα explicata est Ol. III, 26. Ad formulam in primo versu cf. Hesiod. Theog. 48. Ζῆνα — ἀρχόμεναί ϑ' ὑμνεῦσι ϑεαὶ λήγουσαί τ' ἀοιδῆς, et Hymn. Hom. κ. in Apollinem: σὲ δ' ἀοιδὸς ἡδυεπὴς πρῶτόν τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείδει, quae ne nunc inanis sit, statuendum est in fine rediise invocationem, ut plerumque, credo, in hoc genere fiebat, in medio tractatis iis, propter quae prosodium canebatur.

Fragmentum tertium ex Prosodio Delphico esse videtur. Verte: Per Olympicum te Iovem, aurea vaticinatione inclyta Pytho, precor cum Gratiis et Venere me in sacro recipias loco clarum Pieridum vatem. Dirigitur alloquutio ad locum sacrum, ut poetam recipiat. Videtur autem vernum tempus fuisse, ubi festi dies Delphis erant; unde suaviter poeta Gratiis et Venere comitantibus venire se dicit, quae veris deae amant choreas agere verno tempore, cf. Horat. Od. I, 4, 5, 6. IV, 7, 5. — Πιερίδων προφάταν, ut infr. fragm. inc. 15. μαντεύεο, Μοῖσα, προφατεύσω δ' ἐγώ, et Theocrit. XVI, 29. Vid. plura ap. Iacobs. ad Anthol. T. VII. p. 347. Verbum deinde ad alia traductum, cf. Wernsdorf. ad Him. Eclog. X, 4. Nunc in Delphico carmine inprimis placet. Postremo adde similem loquutionem πρόπολος Πιερίδων, Μουσάων, Plat. Ep. 28. Anthol. Lips. I. p. 108.

VI. PARTHENIA.

Parthenia fuisse constat quae puellarum choris canerentur, distincta, ut videtur, propria quadam castitate et simplicitate nativa sensuum. Paucissima vero ex his Pindari carminibus supersunt, in quibus teste Dionysio Halicarnasseo De admir. vi dicend. in Demosth. minus quidem austera, sed tamen generosa et magnifica compositio fuit.

Primum Boeckhius posuit Fragmenta carminis Pani consecrati, de cuius et Magnae Matris cultu prope Pindari domum per virginum cantus nocturnos vid. Pyth. III, 78. Et haec quidem cecinerat gratias acturus deo, qui paeanem eius aliquem cecinisse ferebatur, ut est in Vita Pind. Vratisl. Lectum fuit carmen *ἐν τοῖς κεχωρισμένοις τῶν Παρθενίων*, quum aliis grammaticis Prosodium videretur esse, scite monente Boeckhio, vere tamen nihilominus Parthenium potuit esse, ut canebant virgines in illo cultu. — Prima verte cum Boeckhio: O Pan, Arcadiae domine et sanctorum adytorum custos, Magnae Matris pedisseque, Gratiarum dulces deliciae. — *Σεμνὰ ἄδυτα*, ut Boeckhius notat, sunt Magnae Matris sanctissime cultae, ante cuius aedem quum signum Panis esset, hic dicitur *φύλαξ* et dicitur *ὀπαδός* deae, consociatus etiam alias cum ea. Idem est *Χαρίτων μέλημα* ob musicae amorem, qui etiam Pindari carmen cecinisset. Ceterum displicet *σεμνᾶν* repetitum post *σεμνῶν*; utrum tamen corruptum sit, difficile dictu; potuit etiam versus interiectus esse, quo de adytis diceretur. Hoc igitur fuit initium. Ex eodem carmine Boeckhio secundum (sub nr. 3. allatum) videtur Fragmentum esse de Pane cantore, in quo *γλάζεις* est pr. *κλάζεις*, ut de eodem in Hymn. Hom. XVIII, 14. *τότε δ' ἕσπερος ἔκλαγεν οἶος*. Illustrat *κλάζειν* de canentibus Iacobs. ad Anthol. VII. p. 355. — Denique ex alio loco carminis Boeckhio desumptum videtur tertium (sub no. 5. allatum) Fragmentum. In hoc *κύων* est comes deae custosque adytorum. Varios usus vocis illustrat Ruhnken. Epist. crit. p. 93. Quum Pindarus dicat *καλέοισιν Ὀλύμπιοι*, patet antiquam esse societatem Panis et Magnae Matris. Ac fuit etiam in Phrygiis religionibus deus Pani

similis, cf. Marm. Par. epoch. 10. Müller. Dor. I. p. 345., unde hic cultus aliquando Thebas venit cum tibiarum cantu; Pindari autem familia tibicinum munus in his sacris hereditario iure exercuisse videtur, cf. Boeckh. Fragment. p. 592. — παντοδαπός, varius. Alluditur ad nomen *Πάν* et videtur creditum varias deum formas induere, quanquam aliunde nihil de hac re certi constat.

Fragmentum nr. 9. est de Apolline, quum alia templa et oracula tum Ptoum in monte Ptoo ad campum Tenericum sibi condente. Fuit autem Apollo Teneri et Ismeni pater, matre Melia, unde Boeckhius daphnephoricum carmen fuisse suspicatur, destinatum Ismenio, in quod daphnephoricam pompam ductam scimus. — *κινηθείς*, profectus. Dixit pro ire iam Hom. Il. I, 47. Deum puta visere omnia loca, ut oracula condat, ubi bonum, in insulis et in continente, in montibus et antris. — *σκοπιαῖσιν ὀρέων ὕπερ ἔστα*, institit verticibus montium. — *μυχοὺς δινάσσατο*, intravit antra et convalles, qualis *Παρνάσιος μυχός*, commotis autem his locis gradiente deo, magnifice dicit: concussit. Ita enim Boeckhius interpretatur *δινάσσατο*, quanquam aliud significationis exemplum non suppetit. Unde quibusdam *τινάξατο* in mentem venit. Ceterum ne quaeras, cur cum *μυχοῖς* maxime iunxerit tale verbum, in antro et convallibus sonitus gressuum repercutitur undique, ut terra tremere videatur vel homine fortius gradiente. — *ἀλσέων*, templorum suorum fundamenta iaciens, cf. ad. Ol. VII, 49. — *καί ποτε τὸν τρικάρανον* cet., et aliquando Ptoi vallem occupavit, quae *τρικάρανος* nunc appellatur, quum mons tria cacumina haberet, inter quae sita vallis. Dixit de Ptoo praeter Boeckhium Müllerus Hist. Orchom. pluribus locis, maxime p. 24 et 147. — Commemoraverat deinde Tenerum prophetam templi, solo cognominem. *δάπεδα* ipsius templi intelligere posses, ut *Πυθίοις δαπέδοις* Nem. VII, 34., si constaret oraculum Tenerium dictum. Nunc *πεδίον Τηνερικόν* oraculo adiacens versu antecedente memoravit, ut *δάπεδον ἂν τόδε* de Aegina est Nem. VII, 83. Oraculum *Πτῷον* dicitur. Etiam Strabo sic intelligit.

VII. HYPORCHEMATA.

De Hyporchematis explicate dixeruut Boeckhius ad hunc locum, Müllerus Hist. Dor. I, 351., et nuper Hoeckius Creta T. III. p. 345 sqq. Sacra erant Apollini teste Menandro de Encom. p. 27. ed. Heeren., diversa vero a paeanibus. Quum enim paeanes aut simpliciter canerentur a choro aut cum saltatione, et graviores rhythmos haberent, hyporchematum propria erat mimica actio; canente enim et saltante choro circa aram, in qua hostiae ardebant, simul saltatores quidam a choro diversi mimice imitabantur verborum sententias. Chorus erat vel puerorum, ut Lucian. d. Saltat. c. 16., vel virorum, vel puerorum et virginum, Athen. XIV, 631., sed haec ultima ratio in Doricis tantum civitatibus visa. Solas virgines hyporchemata saltasse dubito. Rhythmus carminis fuit velocior, saepe velocissimus multis brevibus syllabis, musicorum instrumentorum primarius usus tibiae, accedente tamen cithara. Argumentum laetum plerumque et hilare ludicrumque; triste tamen fuit carmen, cuius fragmentum exstat nr. 4. Postremo, hyporchema licet Apollini sacrum etiam ad Bacchum traduxit Pratinas ap. Athen. XIV. p. 617., c. et ad Minervam Itoniam Bacchylides Fragm. Neue p. 33., ac videbimus statim, quomodo vel homines eo cani potuerint.

Prima tria Fragmenta sunt ex Hyporchemate Hieroni regi scripto post partam mulabus victoriam, ut docet Boeckhius. Verum, dices, quum Apollini sacrum sit hyporchema, quomodo tamen Hieroni cani potuit? Scilicet Pythia oda erat, ut liquet ex Athenaeo I, 28, A., in Pythiis ludis reportata victoria, licet de mularum Pythiis certaminibus aliunde non constet, re mox sublata, ut etiam in Olympia factum. Quum autem veteres festis diebus, si fieri posset, epinicia celebrarent, Hiero Apollini ceterisque Triopiis diis sacrum diem elegerat, ut mox ostendam. Sic factum, ut hyporchemate caneretur victoria Apollini debita. — Primum Fragmentum initium fuit, ut Scholiastes ait ad Pyth. II, 127. Verte: Intellige quod tibi dico, pater divinorum sacrorum cognominis, Aetnae conditor. Vides statim hic discrimina generum; nunquam enim proprie dictus epi-

nicius hymnus tale initium habere potuit. Ad verba: *Σύνες ὅ τοι λέγω*, passim alludunt scriptores, ut Aristoph. Av. 939. *τὸ δὲ τεᾷ φρενὶ μάθε Πινδάρειον ἔπος.* Plat. Phaedr. 236. d. *ἐκ δ' ἁπάντων τούτων ξύνες ὅ σοι λέγω.* Meno p. 76. D. *ἐκ τούτων δὴ ξύνες ὅ τι λέγω, ἔφη Πίνδαρος.* Add. Gregor. Nazianz. T. I. p. 768. Epist. 2. — *Πάτερ*, vox dignitatis, honoris, ut Hom. Od. VII, 28 *ξεῖνε πάτερ.* — *ζαθέων ἱερῶν.* Fuerunt olim sacra quaedam in Triopio Cariae, communia Cereris et Proserpinae, Apollinis, Neptuni et Nympharum, qui ibi uno cultu a Doriensibus colebantur. Quum autem ante Triopium Telos iaceret, huius insulae familia quaedam cum Lindia colonia in Siciliam profecta illa sacra ex Triopio suscepta secum tulit, atque inde descendit Hiero. Quum igitur in familia Hieronis cultus deorum Triopiorum domesticus esset, nunc Pindaro nomen habere dicitur ab his sacris. Vide de re Boeckhium ad Schol. Pind. Pyth. II. p. 314. Müller. Dor. Tom. I, 262. et 400. Porro quaeri potest, quid sit quod hic talibus verbis utatur poeta. Scilicet haec sacra nunc fiunt; est dies Triopiorum deorum, quos gentilicio cultu Hiero apud se domi honorat. Nam in templo res non agitur, credo, sed in oeco regis, ubi chorum puta circum *ἑστίαν* saltare ardente sacro, ut postulabat hyporchematis ratio. — *κτίστορ Αἴτνας*, quae condita Ol. 76, 1. Memorari videtur res, quum rex Aetnaeum proclamari se iussisset Delphis. — Ex eodem carmine secundum Fragmentum est quod verte: Inter Scythas Nomadas indigus errat Strato, qui domum plaustro vectam non possidet; inglorius vero abiit. Scythae Nomades tentoria imponebant curribus, et qui curru carebat infamis habebatur, cf. Aeschyl. Prometh. 708. ibiq. Blomfld. p. 138. et interprett. ad Aristoph. Av. 941. — *πέπαται*, h. e. *κέκτηται*, vidimus Pyth. VIII, 73. — Verum cur haec Pindarus? Scholiastes Aristophanis Av. 941., ubi hoc fragmentum legitur, addit: *λαβὼν δὲ ἡμιόνους παρ' Ἱέρωνος ᾔτει αὐτὸν καὶ ἁρμάτιον*, et Boeckhius „non sibi, ait, sed Stratoni cuidam, Hieronis aurigae, si modo nomen a Pindaro profectum est nec potius ab Aristophane, qui imitatus est locum.“ Optime vidit amicus, opinor, aurigae, cui Hiero mulas victrices donaverat, iucunde etiam currum peti, rhedam dico mularem. Certum vero habeo equidem

Stratonis nomen; sed non auriga hic est Hieronis, qui non video cur ad Scythas abierit. Scilicet Pindarus tecte rogans, ut par erat, non aperte, suaviter narrat de Stratone quodam, quem necesse est fama fuerit ad Scythas quondam delatum errasse ibi contemptum, quum currum non haberet. Verba ἀλᾶται, πέπαται, praesentia historica sunt. — Fragmento tertio laudat Siculas rhedas. Vertit Boeckhius: Ex Taygeto Lacedaemoniorum canem, pernicissimum in feris persequendis animal; ad mulgendum lac Scyriae caprae praestantissimae; clypeos autem Argivos, currum Thebanorum ex agro fertilissimo, rhedam vero affabre factam Siculam debes quaerere. — Ματεύειν est pr. imperativo, et constructio clara, nisi quod semel nominativus interpositus, quem ita cape: Ex Taygeto canes quaere, in Scyro autem caprae optimae; clypeos pete ex Argis cet. — De canibus Spartanis cf. Voss. ad Virg. Georg. III, 405. Res notissima. — ἐπὶ θηρσί, in feris, h. e. in feris venandis. — De capris Scyriis Schneider. conferri iubet Athen. XII. p. 540. D. [αἰγιβότου Σκύροιο πέδον. Anth. Pal. IX, 219. Aelian. Hist. An. III, 33.] — ὅπλα intellige clypeos Argolicos, de quibus monitum ad Nem. X, 41. — ἅρμα, ut Critias ap. Athen. I, 28. A. laudat ἁρματόεντα δίφρον Thebarum. Gens equestribus studiis admodum dedita fuit, cf. ad Ol. VI, 85. — ἀγλαοκάρπου, de fertilitate regionis vid. Müller. Orchom. p. 26. — ὄχημα δαιδάλεον, quemadmodum Critias l. cit. ait εἶτα δ' ὄχος Σικελός, κάλλει δαπάνῃ τε κράτιστος. Est rheda mularis; vid. Boeckh. ad Ol. IV. Introd. p. 103. — Postremo de toto carmine verbum addo. Post suaves laudes Hieronis paullulum continuatas suspicor victoriam ipsam sic cantatam, ut mulae victrices, cursus, et si quae acciderant in certamine describerentur, qualia vel in Epiniciis tanguntur, ut Pyth. V., hyporchematicae vero saltationi maxime accommodata videntur scite tractata; laudatoque cum victoria auriga mox iucunde rogat Hieronem, ut post mulas donatas etiam rhedam addat optimo viro, in quo pulcritudinem et praestantiam Sicularum rhedarum luculenter illustrat. Apollinem commemorare potuit in victoriae laude, multis ut caneret opus non erat; vel sic res in honorem et oblectationem dei fiebat. Tractavit autem

omnia sic, quod vel ex Fragmentis vides, ut mimicae saltationi maxime convenirent; tale est illud de Scythis et Stratone illic errante, tum quae de canibus Spartanis, capris Scyriis aliisque rebus legisti, aliena ab epinicio carmine proprie dicto, suavissima vero in hyporchemate. Nam in Epiniciis nusquam unam rem talibus tamque multis exemplis illustratam videas. Omnino in hyporchematis descriptiones rerum et sensuum per partes maxime regnasse videntur, ut etiam quod Fragm. 7. legitur, *πολλὰ δ᾽ ἕλκε᾽ ἔμβαλε νωμῶν τραχὺ ῥόπαλον, τέλος δ᾽ ἀείραις πρὸς στιβαρὰς σπάραξε πλευράς, αἰὼν δὲ δι᾽ ὀστέων ἐῤῥαίσθη*, ei nihil simile invenias in Epiniciis. Adde sequens Fragmentum et Pratinae hyporchema ap. Athen. XIV. p. 617. C. Ceterum etiam sententias graves in iis lectas non est quod moneam, vid. mox Fragm. 5 et 6. Haec hactenus; subiectam proposito carmini poeticam sententiam distinctius enucleare non licet, nunc illud saltem significare volui, quomodo mihi hyporchematica tractatio victoriarum ab ea, quae in Epiniciis habetur, diversa fuisse videatur.

Fragmentum 4. nobilissimum ex Hyporchemate esse recte Boeckhius concludere videtur e Dionysii verbis in libr. d. Admir. Vi Dicend. in Demosthen., ubi legitur. Visa fuerat Thebis insignis Solis defectio; de tempore quidem nihil traditum, tamen Ideler. apud Boeckhium inter plures per ea tempora defectiones nullam memorabiliorem putat fuisse ea, quae d. 30. April. ann. ant. Christ. 465. Ol. 79, 1. hora pomeridiana secunda Thebis media fuit, quum undecim pollices Solis obscurati essent. Argumentum igitur non laetum est, sed triste, poeta gravia mala timente ex hoc deliquio Solis, ut solebant veteres, iisque deprecandis carmen scriptum esse liquet. Quaeras nunc de festo, quo haec cantata. Poeta Solem alloquitur a principio ad finem; quum autem Sol et Apollo apud classicos scriptores ubique diversi sint, quicquid de prima notione Apollinis statuas, etiam hic Sol non erit Apollo, opinor. Ergo Soli ipsi canitur; at enim Solis cultum peculiarem Thebis fuisse, quemadmodum aliis quibusdam locis Graeciae, non constat; qua re aliud tentandum. Igitur quum Hyporchema teneamus, genus poesios Apollini maxime sacrum, primum mihi Thargelia in mentem venerunt, acta mense Thargelione sive Maio Athenis et in ceteris Ionicis civitatibus, ubi cum Apol-

line Solem cultum ex Scholiis ad Aristoph. Equitt. v. 725 (739.) novimus; festum supplicationi et placationi numinum inserviens, atque ita huic carmini insigniter aptum. Dicas quidem Thargelia Ionica fuisse, non Boeotica, sed vix dubitari potest simile festum apud Boeotos aliisque in civitatibus actum. Haec una ratio est. Praefero tamen nunc alterum, si extraordinaria supplicatio instituta fuerit diis in publico aliquo loco urbis, quemadmodum ap. Demosthen. in Macartat. P. 1072. Athenienses propter *σημεῖον ἐν οὐρανῷ γενόμενον* oraculo consulto iubentur sacrificare Iovi, Minervae, Apollini, aliis, et choros parare. His positis fingi res ita potest: Fuit causa carminis ingens deliquium Solis, quo argumentum totum pertinuerit; maxime enim Pindaricum dixerim, si indicatam primis in versibus rem deinde in sequentibus sic tractaverit amplius, ut ad mythica progressus sit, quum fabulas etiam in Hyporchematis fuisse Fragmentum 7. ostendat. Postremo oratio ad ceteros deos transierit atque etiam ad Apollinem *σωτῆρα*, *ἀλεξίκακον*, et imploraverit eos pro salute Thebarum, veluti ap. Sophoclem in Parodo Oed. Reg. plures deinceps dii invocantur in publica calamitate, toti autem carmini una tamen sententia subiecta est. Quorsum haec disputo? Ut pateat non posse demonstrari et probari ex hoc Fragmento Apollinem Solem fuisse, quum etiam aliter rem cogitare liceat. Pergo ad verborum interpretationem. — *ἀκτὶς Ἀελίου*, ut Soph. Antig. v. 100. — *πολύσκοπε*, Hom. Il. III, 277. *ἠέλιος, ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.* XIV, 345. *οὔτε καὶ ὀξύτατον πέλεται φάος εἰςοράασθαι.* — Sequentia Dionysius corrupta exhibet sic: *ἐμῆς θεῶ μ᾽ ἄτερ ὀμμάτων.* Ex Philostrat. Epist. 72. p. 949. quum pateat Pindarum *μέτρα ὀμμάτων* dixisse, Hermannus bene scripsit: *ἐμοὶ θοῶν μέτρ᾽ ὀμμάτων*, mensura mihi oculorum; videmus enim tantum, quantum luce illustratur, lucis fines sunt etiam oculorum. Boeckhius *ἐμαῖς θέαις* scripsit et explicat: visui meo mensura rerum adspectabilium, si *ὄμματα* sint *θεάματα*, laudans Soph. Electr. 902. Platon. Phaedr. p. 253. E. Hoc tamen mihi non placet. Posses emendare: *ἐμοὶ θέας μέτρ᾽ ὄμμασιν*, nisi *ὀμμάτων* certum videretur. Ceterum *μέτρα* pr. *μέτρον* poetice, cf. ad Nem. X, 31. — Pergitur: *τί ἄστρον ὑπέρτατον ἐν ἁμέρᾳ κλεπτόμενον ἔθηκας ἀμάχανον*, cur (defectu tuo) si-

dus supremum interdiu subductum reddidisti infirmum. De collocatione notabis in verbis τί ἔθηκας ἀμάχανον pronomen maximum accentum rhetoricum habere (was ist es eigentlich warum); contra si dixisset τί ἀμάχανον ἔθηκας, adiectivum posset fortius esse pronomine. Ipsum ἔθηκας ἀμάχανον est: in angustias adduxisti et fregisti, ut debilis et impotens fieret. — ὁ δ ὸ ς σ ο φ ί α ς est Sol ducens ad sapientiam. Sensus enim: Sine quo nec corporibus vigor esset nec mentibus sapientia, quum nec valetudo floreat sine luce nec discere et cognoscere possemus quae extra nos sunt tenebris involuti. — π τ α ν ό ν ad Solis cursum refer. — ἀ τ ρ α π ὸ ν ἐ σ σ υ μ έ ν α, ut ἰέναι ὁδόν, tot alia. — ἐ λ α ύ ν ε ι ν τ ι ν ε ώ τ ε ρ ο ν ἢ π ά ρ ο ς, ut adducas novum quid, aliud quidquam antea, h. e. mala et adversa, per euphemismum, ut Pyth. IV, 155. De significatione verbi ἐλαύνειν compara Nem. III, 74. — V. 6. ἀ λ λ ά σ ε π ρ ὸ ς Δ ι ὸ ς ἵ π π ο ι ς θ ο α ῖ ς ἱ κ ε τ ε ύ ω ἀ π ή μ ο ν' ἐ ς ὄ λ β ο ν τ ρ ά π ο ι ο cet., attende primum collocationem, interpositis verbis ἵπποις θοαῖς, veluti Hesiod. Theog. 955. de Hercule: ὄλβιος, ὃ ς μ έ γ α ἔ ρ γ ο ν ἐν ἀθανάτοισιν ἀ ν ύ σ σ α ς ναίει ἀπήμαντος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα, atque ita saepissime. Cf. ad Pyth. VIII, 68. Iam dicit: commune prodigium Thebis saltem infelicitatem verte q u a m p r i m u m, hoc enim est ἵπποις θοαῖς, ac vides nunc, cur hae voces ceteris, quibuscum cohaerent, prius positae sint. Denique τράποιο active. Pergit: Sin minus, quod affers malum cum omnibus patiar. — σ θ έ ν ο ς, copiam, Isthm. III, 2. — π ό ν τ ο υ κ ε ν έ ω σ ι ν ἀ ν ὰ π έ δ ο ν, m a r i s e l u v i e m i n a g r o s. — π α γ ε τ ὸ ν χ θ ο ν ό ς, g l a c i e m t e r r a e. Videas hinc non hieme carmen cantatum, ubi παγετός non mirus, sed aestate seu potius verno tempore, quum sequatur: ἢ νότιον θέρος. Qua re etiam νιφετοῦ σθένος ὑπέρφατον ego de nive alieno tempore cadente ceperim. Loquitur enim de propinquis rebus. — ἦ γ α ῖ α ν κ α τ α κ λ ύ σ α ι σ α cet., a u t s i t e r r a d i l u v i o i n u n d a t a r e n o v a b i s d e i n t e g r o h o m i n u m g e n u s. Apparet hinc maximam fuisse defectionem Solis, et ingenti metu homines perculsos; neque enim inani tumore gaudet Pindarus. Postremo iterum vides, quod supra monui, descriptiones rerum per partes et multarum rerum enumerationes placuisse in hyporchematis, indicatis hic propemodum omnibus malis, quae cogitari possunt. In

fine autem **mythicam rem** habes, ut non temere aliquis coniiciat hinc transitum factum ad fabulas, si diluvium tractaverit. Inde potuit ad praesens tempus redire, descriptisque terroribus hominum et animalium in nupero deliquio, postremo se convertere ad ceteros deos.

Reliqua Fragmenta tangimus breviter. **Fragmentum** 5. vertit Boeckhius: **Deo vero principium monstrante ad quodque negotium recta via patet virtutem capessendi et fines pulcriores sunt.** *ἐν* pr. *εἰς*. Ad sententiam confer Pyth. X, 10. Potest ex hyporchemate quodam in victoriam Pythiam esse. — **Fragmentum** 6. ita habet: **Dulce inexpertis bellum; sed experti id adveniens reformidant animo magnopere.** Fuit proverbium *γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος*, **Schol.** Thucyd. II, 8., quod notat **Boeckhius**. — **Fragmentum** 7. statuunt de Hercule esse: **Imbuit sanguini immista; multa vulnera ingessit asperam vibrans clavam, postremo sublata ea valida percussit latera, medulla vero per ossa contrita est**, ut vertit **Boeckhius.** *Ἐνέπισε* ab *ἐμπιπίσκω*. Videntur arma intelligi quae sanguine hostis tinxerit, ut describitur in sequentibus. Ad *ἕλκεα ἔμβαλε*, cf. *ἕλκος ἐνέπαξαν*, Pyth. II, 91. et *ἕλκεα ῥῆξαν* Nem. VIII, 29. — *νωμῶν* Pyth. VIII, 47. Mox iunge: *ἀείραις ῥόπαλον πρὸς πλευρὰς σπάραξεν αὐτάς*. Vid. ad. Ol. IX, 59. — *αἰών*, **medulla**, cf. **Ruhnk.** Epist. crit. p. 29. *αἰὼν δι᾽ ὀστέων* est **medulla in ossibus**, per ossa diffusa; de qua significatione praepositionis cf. **Heind.** ad Plat. Soph. p. 357. Nisi voluit penetrante per ossa ictu contritam medullam. Ad *ἐῤῥαίσθη* cf. Hom. Od. IX, 459. — De **sequente Fragmento** tene, teste **Athen.** XIV. p. 631., Spartae cantatum hyporchema esse, unde hic versus, a puellarum puta et puerorum choro. *Λάκαινα ἀγέλα* pr. *Λακαινᾶν παρθένων*.

VIII. ENCOMIA.

Encomia Pindarica, ut observat Boeckhius, fuerunt carmina *ἐν κώμῳ*, in comissatione cantata in laudem hominum, regum et aliorum victorum (Nem. IX fin. Encomium in Chromium promitti statui, quanquam ibi etiam Scolium intelligi potuit, Ol. VI, 89.), ubi in epiniciis post hymnum epinicium ad alios cantus veniretur, genus Epiniciis paullo laetius et liberius, praeter Pindarum etiam Simonidi tractatum. Distingues igitur hanc significationem a latiori laudis et laudatorii carminis, ex qua etiam Scolia, immo Epinicia dici encomia poterant.

Fragmenta duo priora sunt ex Encomio in Theronem Agrigentinum, scripto, ut videtur, propter victoriam curulem Ol. II. et III. tractatam, et cantato in convivio victoriali post auditum carmen Olympicum secundum. Verba: *Βούλομαι παίδεσσιν Ἑλλάνων* sc. nuntiare Theronis laudes, fuerunt initium, ut Scholiastes ad Ol. II, 16. narrat, et comparari potest exordium Pyth. IX. *Ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν Τελεσικράτη γεγωνεῖν*, quod aeque simplex; nam magnificentiora Epiniciorum prooemia aliena mihi videntur fuisse ab hoc genere. Simplicioris exordii sunt etiam alloquutiones victorum, credo, qualem in Fragmento tertio vides, nusquam autem in Epiniciorum principiis deprehendes. In proposito Encomio tractaverat poeta data opera origines Theronis et Emmenidarum a Cadmo, ut narrat Scholiastes l. cit.; huc pertinet secundum Fragmentum. — *Ἐν Ῥόδον*, h. e. *ἐς Ῥόδον*, sed Boeckhius mutare noluit ob librorum auctoritatem, licet alias *ἐν* Aeolicis carminibus proprium; nunc autem Dorium metrum est. Migrarunt autem maiores Theronis in Rhodum e Thera, Telemacho duce; vide de his rebus Introd. ad Ol. II. — *ὑψηλὰν πόλιν*, Agrigentum inhabitant in collo sitam, cf. Pyth. XII init. Omittit autem Pindarus notante Scholiasta Gelam, breviter ex Rhodo Agrigentum eos venisse dicens. — *πλεῖστα δῶρα* cf. ad Ol. III, 40. — *νέφος*, ut Homerus dicit *Τρώων*, *πεζῶν*, *κολοιῶν*, *ψαρῶν*, nunc ad divitias traductum pr. densa copia. Redit vero oratio post participium ad verbum finitum, cf. ad Ol. I, 14. Ceterum videtur Encomium origines Theronis et res prae-

clare gestas complexum simul supplendis iis inserviisse, quae Ol. II. breviter tanguntur.

Fragmentum 3. et 4. sunt Encomii in Alexandrum Amyntae filium, Macedoniae regem, qui certavit in Olympia, cf. Schneid. Vit. Pindar. p. 35.; utrum tamen hic an aliis in ludis vicerit, non constat. Coluit poetam rex, musicas artes amans, vid. Solin. Polyhist. c. 14. — Ὀλβίων ὁμώνυμε Δαρδανιδᾶν, h. e. qui cognominis es Paridis celeberrimi, mariti Helenae, etiam Alexandri nomine ab Homero vocati, Dardanidae; in quo, ut saepe, magnificentius plurali pro singulari utitur domum beatam Dardanidarum memorans, cf. supra Fragm. 3. Dithyramb. v. 10. — Sequentia vertit Boeckhius: Convenit bonis celebrari pulcherrimis carminibus; hoc enim immortales ad honores proxime accedit solum; perit vero oblivioni traditum praeclarum facinus. Ad prima verba cf. Isthm. III, 7, 8. — ποτιψαύει, attingit, cum dativo, ut vel simplex ψαύω Pyth. IX, 120. et iam apud Homerum. Immortales honores, ait, exhiberi non possunt, at proximae immortalibus diuturnitate poesios laudes sunt. — ἐπιλασθέν, non conservatum memoria per cantum. Cf. Isthm. VI, 17. — Alia nonnulla eximia Encomiorum fragmenta infra videbis incertis in generibus, ut Fragm. 55. et 139.

IX. SCOLIA.

Scolia constat in conviviis cantata per vices a sedentibus ad citharam, inprimisque in melica Lesbiorum poetarum schola exculta esse, qui etiam metra vulgo in hoc genere usitata invenerunt. Pindari vero Scolia, quum antistrophica fuerint, monet Boeckhius simul saltata esse a choro cantori parente, unde ea chorica et Doria dixeris. Quamvis enim mirum haberi possit chorum Graecum saltasse non canentem, tamen et factum ita videtur in Xenophonteo Scolio, neque omnino aliter rem expedias, quum convivae necesse sit soli cecinerint singuli ut in Scolio, nec credibile videatur eos praecinuisse accinente choro, quod alias ἐξάρ-

χειν dicitur, verbum sollemne de iis, qui sacra carmina praecantant. Argumenta horum carminum Pindaricorum laeta erant et hilaria; canebatur ab eo nunc victoriae ludicrae aliaeque res gestae, nunc amores, nunc alia iucunda et faceta, ac quum etiam praecepta moralia in Scoliis saepe traderentur, cf. celeberrimum Ilgenium de Scoliis P. CLXXVIII. sqq., apud Pindarum etiam huius generis iucundissima exempla fuerunt; vid. Fragm. incl. 23, 25, 68 sqq. Denique per se patet et videbimus infra ad inc. Fragm. fabulas quoque in Scoliis tractatas, quales quidem huic generi convenirent, ac sentire mihi videor eximio cum iudicio etiam in hoc delectu Pindarum versatum. Ceterum quum chorus adsit, vides festa fuisse convivia, qualia etiam sunt epinicia, nuptialia, alia; nonnulla etiam in templis cantata, ut quod statim tractabimus. Et quum multa Scoliorum, quae servata sunt, sententias habeant in quovis convivio aptas, Pindarica suis temporibus et locis puta accommodatissima fuisse.

Primum legemus Fragmenta Scolii Xenophonti Corinthio scripti et cantati in templo Veneris inter sacrificium et epulum sacrum, quum is post victoriam Olympicam Ol. 79, 1. partam, quae carmine Ol. XIII. celebratur, meretrices ex voto adduxisset centum. Scilicet colebatur Corinthi Venus Urania, Pausan. II, 23, 8., cui se pro ἱεροδούλοις consecrabant meretrices, quae degebant Corinthi innumerae, ut inscriptae tabulis templi, ceterum habitantes, credo, ubi vellent in urbe, in tutela deae essent, quam precibus et thure colebant, eiusque auctoritate quaestum meretricium exercerent. Vide Hirtii librum de Hierodulis, Berolin. 1818, ubi etiam de Corintho dictum. Quemadmodum vero civitas Corinthia in magnis rebus meretrices colligere solebat quam plurimas et ducere in templum, ut deam implorarent pro salute publica, utpote gratissimae ei, et ratis factis precibus sacrificio sollemni adessent, sic etiam privati homines pro suis rebus, si quid maius susciperent, sacrificium vovebant adductis meretricibus plurimis in templo celebrandum, quae thura offerrent et choreas agerent, deinde post ceterorum convivium etiam coena, credo, larga exciperentur. Quae res placebat deae. Atque ita voverat etiam Xenophon ad ludos Olympicos profecturus. Vide Athenaeum libr. XIII. p. 573. C. E. collatis Pindari verbis,

unde quae posui collegi, dissentiens a Boeckhio meo, qui dedicatas a Xenophonte has centum puellas statuit. Sed tantum sumptum impensum et tot feminas donatas vix credibile, et ingens sic factus esset mox numerus servarum, cui sustentando magna bona templi opus fuissent. Immo sunt iam *ἱερόδουλοι*, quas Xenophon vocavit, ut mihi quidem constat e Pindari verbis, sunt puellae, quae se iam ante consecrarunt Veneri, nunc autem adducuntur sacrificii causa ex voto, atque ita faciebant etiam alii. Verb. *ἀπάγειν*, quod adhibuit Athenaeus, significat simpliciter adducere ex voto. De ceteris, quae Boeckhius addit, plane assentior: fieri nunc comissationem in templo et convivium sacrum, cantari ad citharam a convivis per vices hoc Scolium, saltante choro numeroso meretricum et thura praeter sacrificium a Xenophonte oblatum in ara accendente. — *Πειθώ*, socia Veneris notissima, cf. ad Pyth. IV, 219. Add. Plutarch. Quaest. Rom. II, 311. T. VIII. Sunt autem Suadae ministrae hae puellae, quum alliciant viros. — Pergit: Quaeque studiose Venerem colitis thure et precibus, quod ita dicit: Quaeque thuris flavas lacrimas adoletis saepe ad matrem amorum coelestem Venerem mentibus evolantes. Vides meretrices Corinthias, Veneri quae se consecrassent, saepe venisse in templum deae precantes et thura ferentes. — *λίβανος* est thuris arbor, cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 188. — *δάκρυα*, ut Ovid. Met. XV, 394. thuris lacrimas dixit. Add. Arnob. libr. 7. p. 233. Thus viscum est ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo, ceraso, lacrimabili destillatione coalescens. Ac confer de electro e lacrimis orto Welcker. Trilog. Aesch. p. 567. — *οὐρανίαν*, alludens, notante Boeckhio, ad nomen huius deae, quae Urania dicebatur; ac conferes obiter alia exempla invocatae a meretricibus Uraniae Veneris ap. Iacobs. ad Anthol. T. VII. p. 377. Verte autem coelestem, degentem in coelo, unde *πτάμεναι νόημα*, evolantes, posuit, quod de precibus est, ut dixi, eximie vero convenit amatoriis sensibus et votis puellarum. Alatus enim amor est et menti alas addit, quod ex Platonis Phaedro aliisque poetarum locis plurimis nosti. — *ποττάν* Theocriti dialecto conveniens non Pindari, unde Boeckhius *πρὸς τάν* coniecit. — *ὕμμιν ἄ τ' ἄνωθεν κ. τ. λ.* Quae vobis e coelo

excusationem et veniam dedit, o puellae, iucundis in lectis mollis pubertatis fructum decerpendi, ut vertit Boeckhius. ἄνωθεν, cum οὐρανία sit. — ἀπαγορίαι, ut ἀπηγορεῖν est excusare, unde ἀπηγόρημα. — ὥρας καρπός, ut Ἥβας καρπός, Ἥβας καρπὸς ἀνθήσας Ol. VI, 58. Pyth. IX, 110., ἄνθος ἥβας Pyth. IV, 158., flos pubertatis. Salvus hic flos nondum admissa Venere; decerpitur a viro virginitatem eripiente, quo sensu κεῖραι et ἀποδρέψαι est Pyth. IX, 37, 110., nunc autem etiam puellae florem pubertatis suae decerpere eoque frui dicuntur, quae virginitatem prostituunt. — σὺν δ' ἀνάγκᾳ πᾶν καλόν. Placet Veneri lascivia, cuius ἱερόδουλοι factae quaestum meretricium ut debitum officium exercetis, optime explicante Boeckhio. Ceterum ne dubita his excusationibus simul ironiam subesse, et disce ex luculento exemplo dulces iocos et facetias Scoliorum Pindari, qui, quum dicendum esset de his meretricibus, ita dixit, ut iucundius non posset. Ironiam passim in Scoliis poetae regnasse non dubito. — Antistropha amissa est, qua absolvebatur, si quid video, alloquutio puellarum, ad eam normam, quam Ol. IV, 6. explicui. Dicebat igitur sic fere: Agite vero, o dilecta deae cohors, quae lubens vos apud se videt, adeste nunc etiam huic sacrificio et laete celebrate choreas, ut alias facitis. Quae canebantur ab alio conviva. Iamque finita hac faceta meretricum laude, ridens iucunde pergit in Epodo: Miror, quid de me Corinthii dicturi sint, qui tale Scolii exordium invenerim consociatum communibus feminis (das in Gemeinschaft steht mit gemeinen Weibern), a quibus abesse praestet. Suaviter enim positum ξυνάορος, coniugatus, copulatus, socius consors, ac notat Boeckhius etiam literam ξ de industria assumptam propter sequens ξυναῖς, quum alias συνάορος dicat poeta. — Iam haec res in deperditis tractata videtur pluribus, quo spectabant sequentia verba, etiam Athenaeo l. cit. significante. — βάσανος, Pyth. X, 67. — Post haec ad Xenophontis victoriam accedit. Κύπρου δέσποινα, Paphia, quae Urania fuit, notante etiam Boeckhio. Cf. Herod. I, 105. Pausan. I, 14, 6. — δεῦτε, nunc pr. δεῦρο, ut videtur. — φορβάδες dicuntur meretrices, credo, quod gregatim vivebant. Sic ex Sophoclis Phoenice memoratur φορβὰς γυνή Eustath. Il. XVI. p. 1114. p. 12. Vide

plura in Stephani edit. Lond. — *τελέαις εὐχωλαῖς ἰανθείς*, laetus perfectis votis ante victoriam nuncupatis, nunc magnam cohortem adduxit.

Sequitur Fragmentum secundi Scolii, quod Theoxeno scriptum erat, pulcro puero Tenedio, quem senex Pindarus eximie amabat, si verum est, quod traditur, in gremio eius Argis defunctum poetam. Quum in Tenedo etiam Boeotiae gentes haberentur, prisca migratione eo delatae, cf. ad Nem. XI, 36., Theoxenus videtur e tali gente ortus tum Thebis degisse apud cognatos, unde a Pindaro conspectus et amatus hunc etiam in itinere Argivo aliquando comitatus est. Hoc autem Scolium Thebis cantatum videtur, fortasse in epiniciis pueri, si ad Heraclea Thebana venerat ibique vicerat. — *χρῆν μὲν κατὰ καιρὸν* sqq., oportebat quidem iusto tempore amoribus frui, in iuventute; at Philoxeni pulcritudo etiam senem incendit. — *ἀκτῖνας ὄσσων μαρμαριζοίσας*. Meleager de Myisco Epigr. 38. *ἤστραψε γλυκὺ κάλλος, ἰδοὺ φλόγας ὄμμασι βάλλει.* Add. Rhian. Epigr. IV. Anthol. Lips. I. p. 231. Cf. etiam Maxim. Tyr. Dissert. VIII. de Anacreonte: *μεστὰ δὲ αὐτοῦ τὰ ᾄσματα τῆς Σμέρδιος κόμης καὶ τῶν Κλεοβούλου ὀφθαλμῶν καὶ τῆς Βαθύλλου ὥρας.* Ceterum Veneris *ὄμματα μαρμαίροντα* Homerus laudat Il. III, 397. — *πόθῳ κυμαίνεται*, qui non cupiditatis fluctibus movetur. Dicunt *κυμαίνειν* de curarum et affectuum aestu, cf. Iacobs. ad Anthol. T. VII, 355. Sic *κῦμα Κύπριδος* Meleagr. Epigr. XIX., et *ψυχῆς πνιγομένης κύματι Κυπριδίῳ* Macedon. Epigr. III. Anthol. Lips. IV. p. 82. et *κυμαίνει δ' ὁ βαρὺ πνεύσας πόθος* Meleagr. Epigr. XXIX, XLV.; ubi tamen simul maris notio valet. Adde *κυμαίνειν ἐν ψυχῇ* de amore Demosth. Encom. c. 13. Lucian. Bip. IX. et vid. praeterea Steph. ed. Lond. Latine aestus pectoris de amore est Ovid. Heroid. 16, 25., et fluctus amoris Catull. 64, 97. — *ἐξ ἀδάμαντος* sqq., ex adamante aut ferro cusum habet nigrum cor gelida flamma. Vide de notissima loquutione Wyttenb. ad libr. De Ser. N. Vind. p. 69. Mitscherl. ad Horat. I, 3, 9. et Blomfld. ad Aesch. Prometh. v. 250. Add. Antip. Sidon. Epigr. 31. Anthol. Lips. II, 14. Simillimus locus Heliodor. 14. *τίς οὕτως ἀδαμάντινος ἢ σιδηροῦς τὴν καρδίαν;* — Porro *μέλαιναν καρδίαν* nunc

dicit ferum et immitem animum. Confer Scholia Aristoph. Ran. 473., ubi ad verba *μελανοκάρδιος πέτρα* Scholiastes monet: *ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἀγρίων ἀνθρώπων, οὓς διὰ τὴν ἐνοῦσαν αὐτοῖς ἀγριότητα μελανοκαρδίους φασί.* Alia videbis ap. Musgrav. ad Soph. Ai. 955., unde patet loquutionem omnino etiam de malo, improbo, malevolo homine usurpari. Add. Gatacker. ad M. Anton. IV. p. 115 sqq. — *πρὸς δ' Ἀφροδίτας ἀτιμασθεὶς κ. τ. λ.*, a Venere autem spretus aut opibus colligendis vehementer incumbit aut muliebri nequitia vagatur huc illuc animo, omnem viam sequens. — *ἑλικοβλεφάρου* suaviter additum, quod primus Veneri tribuit Hesiod. Theog. 16. Add. Hom. Hymn. V, 19. — *μοχθίζει περὶ χρ.*, ut *μάχεσθαι, μάρνασθαι, τετάσθαι ἀμφί, περί* vidimus. — *θράσος* est temeritas, impudentia, nequitia, *ἀναίδεια*, cf. ad Pyth. II, 83. et add. Sophocl. Electr. 626., et Valcken. Diatrib. p. 99., quae propria mulieribus, docente Boeckhio ad propositum fragmentum. Illud vero non credam amico, sententiam ad mulierum obnoxios cultores referri. Generalius loquitur. — *φορεῖται* est huc illuc fertur (cf. supra Fragm. Prosod. I.), mobilis, inconstans, nullo amore altius tactus, alias aliam cupiditatem sequens, ut mulierum levium vaga nequitia facit, quales prae ceteris in animo habet. Quum autem placuisset *φορεῖται*, continuata metaphora addit *πᾶσαν ὁδὸν θεραπεύων*, omnem viam amans, sequens, pr. *πᾶσαν ἡδονὴν θεραπεύων.* Verum quaeras, quum duo omnino hic ponat poeta, rectene cum hac sententia composita sit altera de pecuniae studio. Optime, aio. Hoc vult: talis homo a Venere spretus aut omnino non amat personas, sed rem et pecunias quaerit, aut certe a veri solidique amoris sensu alienus est. — Pergit poeta: Sed ego pulcritudinis amabilis causa liquesco ustus ut cera apum, ubi puerorum conspexi iuvenilem pubertatem. — *ὥρας ποθεινᾶς* supplevit Boeckhius, recte puto, ac ne offendaris repetitione rei in fine periodi, *εὖτ' ἂν ἴδω παίδων νεόγυιον ἐς ἥβαν*, frequens est haec forma orationis et suavis. — *δαχθείς*, de morsu amoris, cf. Valck. ad Phoeniss. v. 386. — *κηρὸς ὣς μελισσᾶν τάκομαι*, nota comparatio, cf. Ovid. Met. III, 487. Vid. Iacobs. ad Anthol. Gr.

T. VI. p. 32. Adde alia ap. Mitscherl. ad Horat. I, 13, 8. — ἐλαιηρᾶν coniecit Boeckhius, quasi oleo unctarum, quum corpuscula mellificorum animalculorum melle madeant. In membranis est ἐλεηράν, unde Hermannus ἐλειηρᾶν dedit, quod a pratis palustribus videtur ductum, in quibus apes florum causa versentur. Alii coniecerunt μελιχρᾶν, spretis membranis. Boeckhii lectio Scoliorum certe orationi dulci et iucundae accommodatissima.

Tertium Fragmentum, quod in Scolio lectum fuisse Suidas docet v. Ἀθηναίας, initium fuit Scolii Agrigentum ad Thrasybulum missi, quum is, acutissime explicante Boeckhio meo, epinicia victoriae Panathenaicae, Athenis a patre Xenocrate per Nicomachum reportatae, aliquando repeteret post mortem patris. Vidimus de hac victoria Isthm. II, 20. Et illud quidem carmen nunc video primum fuisse, quod post sublatam Agrigenti ann. 76, 4. tyrannidem Thrasybulo mitteret; quod enim in fine ibi expresse hortatur de hymno laudibusque patris non tacendis, consentaneum est in primo post mutatam Thrasybuli conditionem carmine dictum esse. Quare hoc Scolium, quod ipsum etiam mortuo patre cantatum censemus, tertium fuit carmen Thrasybulo scriptum. — Vertit Boeckhius: O Thrasybule, amabilium rhedam carminum hanc tibi mitto mensis secundis aptam. In communi conventu fuerit convivisque et Bacchi fructui vino poculisque Atticis dulcis stimulus. Victoria Xenocratis Panathenaica curulis fuit equis parta, quo alludens poeta, ut solet metaphoras suaviter accommodare argumento, ὄχημα ἀοιδᾶν dixit, quum ἅρμα ἀοιδᾶν dici non posset bene. Requirit enim genitivus ἀοιδᾶν notionem ferendi, vehendi, quae in v. ὄχημα inest; ac ponitur ὄχημα Graece omnino de unaquaque re, qua quid fulcitur, tenetur, continetur, cf. Iacobs. ad Achill. Tat. p. 471. Vides non opus esse, ut de Thrasybuli aliqua mulabus parta victoria cogitemus. — ἐν ξυνῷ κεν εἴη, commune, spero, erit, h. e. sit commune, canatur publice in communi convivarum conventu et delectet omnes. Iterum sed lenius quam Isthm. II fin. monet non celandum se carmen mittere. — κυλίκεσσιν Ἀθαναίαισι, h. e. Panathenaicis dictis poculis, eximie explicante Boeckhio, quem

vide; his utebantur, ut videtur, in conviviis Panathenaeorum, et in epiniciis victoriarum Panathenaicarum, ut nunc Thrasybulus.

Fragmentum quartum verte: (Laudo mihi) dulcedines Venereorum amorum, ut cum torrente ebrius aestuem, Agathoni vero pulcro cottabum. De cottabi ludo in conviviis vide Groddeck. Antiquarische Versuche, T. I. p. 163. Beck. Comment. Soc. phil. Lips. I, 1. p. 100. et Wieland. Mus. Att. III, 3. Adde Passov. Lex. Ad rem cf. Athen. X. p. 427. *ἀλλ' ἦν ἀπ' ἀρχῆς τὸ μὲν σπένδειν ἀποδεδομένον τοῖς θεοῖς, ὁ δὲ κότταβος τοῖς ἐρωμένοις*, locum etiam a Boeckhio allatum. — *σὺν χειμάῤῥῳ*, proverbialis loquutio pr. cum cetera convivarum ebria turba. — *ὄφρα μεθύω*, ut insaniam. Sic *μεθύων ἔρωτι* Anacr. in fragmentis.

Scripserat Pindarus etiam Hieroni Scolium, cf. Athen. XIV. p. 635., quo regem aegrotantem et tristem hortatus esse videtur, ne iucunditatibus vitae pulcrioribus et musicarum artium oblectationi se subtraheret. Revocandum igitur carmen videtur ad ea tempora, quae Pyth. III. spectat. — Primum (no. 5.) Fragmentum verte: Quem Terpander olim Lesbius invenit, primus in conviviis Lydorum pulsationem respondentem altae pectidis audiens. — *τόν*, scil. *βάρβιτον*, ut Athenaeus significat. Intelligit vero, eodem Athenaeo notante, Pindarus magadin dictam, genus fidium, quod inventum a Lydis ferebatur et Mitylenis maxime usitatum erat, unde Pindarus Terpandro tribuit, Aristoxenus cum aliis Sapphoni. Continebat duo eiusdem modi diapason eandem divisionem servantia (zwei Octaven einer Tonart mit gleichem Fortschritt der Töne), ita facta, ut bini soni sibi respondentes consonarent diapason. — Hunc *ψαλμὸν ἀντίφθογγον* Pindarus dicit, h. e. antiphoniam duorum diapason, gravioris et acutioris, sibi respondentium. Usurpatur etiam *ἀντισπαστός*, *ἀντίζυγος* de eadem re, et *μέλη* sunt *ἀντίφθογγα*, *ἀντίσπαστα*, quae canuntur ad tale instrumentum. *Ψαλμός* autem manuum pulsatio sine plectro est, altera manu gravius, altera acutius diapason tangente. Simile instrumentum erat pectis Lydorum, de qua cf. Athen. IV. P. 183. E. et libr. XIV. P. 626. Inde Terpander rem sumpsisse dicitur. Vide plura ap. Boeckh. de Metr. Pind. III. p. 261 sqq. — *ὑψηλός* ad longitudinem s.

altitudinem instrumenti pertinet. Perperam Plehn Lesb. p. 154. de sonis acutis interpretatur. — Ceterum Pindarus de his rebus dixit, quia in convivio Hieronis canebatur ad magadin Lydio modo s. harmoniae attemperatam. Et vulgo quidem hoc instrumentum virorum et feminarum choris coniunctis adhibitum traditur, idque maxime consentaneum videtur; vix enim intelligas, quem usum antiquioribus certe temporibus tale instrumentum apud Graecos habere potuerit, nisi aderant qui gravius et acutius diaposon canerent. Crediderim sic etiam Mitylenis factum, ubi plurimus eius usus fuit, cf. Athen. XIV. P. 635., v. c. si in hymenaeis, in threnis, iuvenes et puellae canebant. Quae res duplici modo fieri poterat, nunc ita, ut ambo chori simul canerent comitantibus duobus diapason, alio vero tempore sic, ut alternatim iuvenes et puellae canerent, quemadmodum pulcherrime apud Catullum fit, et iuvenum cantum diapason gravius, puellarum diapason acutius comitaretur. A Pindaro nunc in Scolio vides adhibitam magadin, quod quomodo ab eo factum sit difficile dictu; tamen non sine causa factum credo. Quodsi vere Boeckhius iudicat non cecinisse chorum in Pindari Scoliis, sed saltasse tantum, restat, ut in hoc carmine a convivis singulis alternatim per gravius et acutius diapason strophas et antistrophas cantatas dicamus, epodum vero ab ambobus strophae et antistrophae cantoribus simul. Quod videtur iucundissimum. — Alterum Fragmentum (no. 6.) verte: Neve obscura oblectationem in vita; longe certe praestantissima homini res iucunda aetas. — *μαύρου* sive *ἀμαύρου*, ne deficere, evanescere sinas. — Sequentia (sub no. 7 allata) fragmenta si ex eodem carmine sunt, ut suspicantur, non improbabile dixerim tempore Aetnaeorum hoc Scolium in convivio cantatum esse, quod festum Hiero instituit in honorem Iovis Aetnaei. — Verba: *ἀλλ᾽ οἶος ἄπλατον* cet. verte: Sed solus deorum horrendum domabas Typhonem centicipitem necessitate, Iuppiter, in Arimis olim. — *ἀνάγκᾳ*, quum *ἐνὶ βλέμματι* monstrum deiiceret, ut narrat Iulianus Epist. XXIV. Pro corrupto *πεντηκοντακέφαλον* Hermannus correxit *ἑκατοντακάρανον*. — *Ἀρίμοις*, Il. II, 783.

Ex alio denique Scolio ultimum Fragmentum est: Coe-

na desinente dulcia bellaria, post cibum quamvis copiosum. Pro singulari *τρωγάλιον* frequentior pluralis. — *πέδα*, Pyth. V, 44.

X. THRENI.

Threni canebantur ad tibiam, quae flebilis, cf. Pausan. X, 7, 3.; neque in funere tantum, sed etiam post funus, alio tempore, uti ex Procli Chrestom. ap. Phot. constat. Et Pindarici quidem post funus fere cantati videntur, quum inferiae defuncto a cognatis fierent epulumque sollemne haberetur, in quo saltaret chorus. Colebantur autem pluribus diebus mortui. Talia sunt *τὰ ἔνατα*, sacra nono post mortem die in sepulcro facta, cf. Isaeum d. Chiron. §. 39. Bekk. et Aeschin. c. Ctesiph. §. 225. collat. Demosth. d. Coron. Pag. 308., memorantur etiam *τὰ τρίτα καὶ τὰ ἔνατα* ap. Isae. de Menecl. §. 36, 37. Alia sacra stata erant, quotannis certo tempore redeuntia, *ἐν ἱκνουμένᾳ ἁμέρᾳ, ἐν ταῖς καθηκούσαις ἡμέραις*, Demosth. in Macart. pag. 1072, 3. Pertinent huc loci ap. Platon. d. Legg. IV, 8. p. 717. *τὰς κατ' ἐνιαυτὸν τῶν ἤδη τέλος ἐχόντων ἐπιμελείας ἀποδιδόναι*, et ap. Is. d. Menecl. §. 54. *ἐναγίζειν (τῷ τελευτήσαντι) καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν*. Huiusmodi erant etiam *τὰ γενέσια*, de quo v. cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 104. Vides non defuisse festa, quibus Threni cani possent. Ceterum iudicant veteres Simonidem *παθητικῶς*, Pindarum *μεγαλοπρεπῶς οἰκτίζεσθαι* in Threnis, quod Fragmenta sequentia confirmant. Propria Threnorum querela erat, sed iuncta querelae consolatio fuit, atque huc pertinent magnifici loci Pindari de praemiis piorum.

Fragmentum primum. Dicit de felicitate piorum in Orco. — *λάμπει τὰν ἐνθάδε νύκτα*, sol lucet iis infra per noctem superam s. dum hic terrarum nox est. Differt paullum locus Ol. II, 61., ubi, quum dies noctesque sol lucere dicatur apud inferos, patet alium illum solem esse quam nostrum; hic autem nostrum solem descendere ad inferos statuit vespere; idque meo iudicio suavissime. Fac enim cantari carmen *ἐν δυ-*

σμαῖσιν αὐγᾶν, quo tempore inferias fieri mortuis ad Isthm. III, 83. vidimus, add. Lobeck. in nuperrime edito Aglaophamo T. I. p. 412., quid pulcrius tali sententia audita, dum sol inferis et huic defuncto oriebatur? Ceterum posse descendi ad illa loca a Sole, vel ex Homero patet Od. XII, 383., ubi Sol iratus minatur se in perpetuum superas regiones relicturum: δύσομαι εἰς Ἀΐδαο καὶ ἐν νεκύεσσι φαείνω. — Particulae μέν in primo versu respondet τέ in secundo. — προάστιον. Est urbs in Orco, ubi Pluto cum Proserpina habitat et heroes ceterique mortui, ante urbem vero amoenis in pratis suburbium pulcherrimum, veluti Athenis Κεραμεικός fuit. Etiam hic locus Pindarico more praesentibus rebus accommodatus. Videtur enim defunctus, qui canitur, in suburbio sepultus esse, ubi, credo, cognati fundum habebant. — καὶ λιβάνῳ σκιερᾷ cet., et thurifera arbore umbrosa et aureis pomis gravatur, h. e. et odoriferis arboribus umbrosis et frugiferis impletum suburbium. λιβάνῳ, cf. supra ad Scol. I. Singularis est pro plurali. Ceterum cf. Tibull. I, 3, 61. de Elysio: „Fert casiam non culta seges totosque per agros floret adoratis terra benigna rosis." — Porro suaviter opposita sunt σκιερᾷ et χρυσέοις. — Denique ad βέβριθεν cf. Hom. Il. XVIII, 561. σταφυλῇσι μέγα βρίθουσαν ἀλωήν. — ἵπποις, h. e. certaminibus equestribus et curulibus, ut γυμνασίοις gymnicae exercitationes significantur. Iuvenis, credo, erat mortuus. — πεσσοῖς, dum requiescunt, puta, ab exercitationibus gymnasticis. Est vero πεττεία ex antiquissimis ludis, cf. Herod. I, 94., usurpata iam heroico tempore, Hom. Od. I, 107. — εὐανθὴς ἅπας τέθαλεν ὄλβος, omnis opum copia viget maxime. Isthm. III, 6. πλαγίαις δὲ φρένεσσιν οὐχ ὁμῶς πάντα χρόνον θάλλων ὁμιλεῖ. — ὀδμὰ δ' ἐρατὸν κατὰ χῶρον κίδναται cet., et semper odor suavem per regionem spargitur miscentium igni splendenti omnis generis suffimenta in deorum aris. Sentis cum iucunditatis significatione pulcherrime pietatis laudem coniunctam; atque ita addito, quod unum ut adderetur restabat, absolvitur perfectissima descriptio. Ceterum iunge ὀδμὰ μιγνύντων, h. e. odor sparsus ab iis qui miscent. — Opposuerat in sequentibus impiorum sedem poenasque, quo pertinent verba haec: Unde immensas eru-

ctant tenebras ignavi caliginosae noctis fluvii. — βληχρός, debilis, cf. Valcken. ad Adoniaz. p. 218. Nunc Boeckhius optime explicat ignavus, de lento, tardo, flumine; perperam veteres ἰσχυρούς interpretantur. Horat. Od. II, 14, 17. „visendus ater flumine languido Cocytus," ubi cf. Mitscherl. — ἔνθεν ad ἔρεβος καὶ βάραθρον pertinet ante hos versus memoratum, cf. Plutarch. d. Occulte vivendo c. 7. — Τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον, exhalant fluvii atri vaporem sulphuris et picis densum, caliginosum, quo tota regio impletur.

Sequitur secundum Fragmentum, ex alio Threno. Loquens de piis dicit: Beata omnes sorte ad finem curis vacuum accedunt. — μεταvίσσονται Boeckhius de coniectura supplevit. — ὀλβίᾳ αἴσᾳ moriuntur, utpote quibus non mala sed gaudia maxima afferat mors, solvens aerumnis huius vitae. — Pergit: Et corpus quidem omnium mortem sequitur validam, sed vivum relinquitur vitae simulacrum; hoc enim solum a diis est. Anima humana, ait Pindarus, vivum hominis simulacrum, est immortali natura, pars divini aetheris, unde deorum animae; demissa a diis e locis superis in terram, ubi corpus terrenum adscivit in his regionibus natum eaque de causa mortale. Tradita talia a philosophis erant ante Pindarum, ut ab Heraclito inprimisque a Pythagoreis, unde etiam Orphici poetae susceperant et cecinerant. — εὕδει δὲ πρασσόντων μελέων κ. τ. λ., dormit vero agentibus membris, sed dormientibus multa per insomnia aperit futura post mortem bona et mala. Eximie primus haec explicuit Boeckhius. — πρασσόντων, absolute dictum, ut πράσσει σθένος, φρήν Nem. I, 26., operantibus, agentibus, et vigilantibus membris. Interdiu, ait, dormit animae natura, consopita et oppressa vinculis corporis non potest exserere omnem suam vim; noctu vero, dormiente corpore, soluta expergiscitur et prodit se luculenter in somniis, futura post mortem indicans. Ostendit quidem anima divinans saepe etiam praesentes vitae res futuras, ut constat, sed ostendit etiam, quod huius loci est eaque de causa solum nunc a poeta commemoratur, post mortem futurum praemiorum et poenarum iu-

dicium, ut sciant homines, quid exspectare debeant pro rebus gestis. Ceterum ipse Pindarus multum tribuebat somniis, vid. Pausan. IX, 23. coll. Vit. Pind. p. 9.

Fragmentum tertium, quod Pindaro tribuunt, hoc est: Animae vero impiorum sub coelo circa terram volant cruentis in doloribus, sub iugis malorum inevitabilibus; sed piorum animae in coelo habitantes cantu beatum magnum celebrant in hymnis. Leguntur haec apud Clementem Strom. IV. p. 640, 22. sine nomine Pindari, Theodoretus autem Gr. Affect. Cur. VIII. p. 599. C. ultima sic affert: *Πίνδαρος ὁ λυρικός — λέγων ὧδί. Ψυχαὶ δ᾽ εὐσεβέων ἐν οὐρανοῖς ναίουσαι μολπαῖς μάκαρα μέγαν ἀείδουσιν ἐν ὕμνοις.* Sed vehementer dubito locum, ut legitur, a Pindaro profectum. Non est Pindaricum in coelo vivere piorum animas, quod philosophus isto tempore dicere potuit, poeta lyricus qualis Pindarus non potuit, qui Orcum et Elysium laudat, neque alias sedes piorum agnoscit quam has mythicas universo populo creditas; apud philosophos autem Pythagoreos, Platonem, alios finita migratione in sideribus habitant animae. Postea res etiam in poesin illata. Adeat qui plura de talibus cognoscere cupit Procli hymnos Anthol. Lips. T. III. p. 148 sqq. cum Animadverss. Iacobs. T. X. p. 273 sqq., Voss. ad Virg. Georg. IV. p. 805 sqq. Creuzer. Mytholog. T. III. p. 424 sqq., ne dicam de libris Historiae philosophiae. — Nec magis Pindarica verba: *μάκαρα μέγαν ἀείδειν*, pro quibus saltem dicendum erat: *μάκαρας θεοὺς ἀείδειν.* Porro est *γαίᾳ* male pr. *ἐν γαίᾳ* s. *περὶ γαῖαν.* Exspectabam *χαμαί.* Insuavis etiam et arguta meo iudicio oppositio: *ἀσεβέων ὑπουράνιοι, εὐσεβέων δ᾽ ἐπουράνιοι.* Denique metro quidem convenit *νάοισαι* ap. Clementem, a Pindaro autem vix scriptum est pr. *ναίοισαι.* Ceterum non nego nonnulla Pindarica inesse, ut illud *ὑπὸ ζεύγλαις ἀφύκτοις κακῶν*, et fortasse etiam dixerat *Ψυχὰς ἀσεβέων* ante sepulturam aliquamdiu *χαμαὶ πωτᾶσθαι, ἀλᾶσθαι ἐν ἄλγεσι φονίοις*, antequam in Orcum detruderentur, uti vel in Orco Clytaemnestra se *αἰσχρῶς ἀλᾶσθαι* dicit Aesch. Eumenid. 98.

Eximium quod sequitur quartum Fragmentum Plato servavit in Menone, unde exscripsit Stobaeus Sermon. CXLI. Prima haec sunt: A quibus vero Proserpina poenam pri-

stinae culpae repetiverit, illorum animas ad superum solem nono anno reddit rursus. Est ποινή proprie debita ob φόνον ἀκούσιον cognatis occisi satisfactio. Qui enim commiserat caedem abire debebat in exsilium per aliquod tempus, quod antiquiori tempore octo fere annorum erat, quum cyclus chronologicus ἐνναετηρίδος admodum usitatus esset in sacris rebus; Athenis tamen nullus certus terminus praescriptus fuisse videtur. Absentia dicitur ἀπενιαυτισμός, quo finito tempore reconciliatus familiae mortui reus post exhibitam ποινήν expiatur ritibus sollemnibus et in patriam redit ἁγνισθείς, Athenis tamen post reditum demum expiatio facta. Vid. Müller. Dor. I. p. 334. Pro satisfactione autem s. ποινῇ antiquissimo tempore arietem Müllerus censet cognatis occisi datum, quem sacrificarent, mox tamen pretium substitutum, quod iam apud Homerum videmus. Construitur vox cum genitivo personae, ut ποινή ἀνδρὸς ἀποφθιμένου, aut rei, ut ποινή φόνου, et dicuntur δέχεσθαι ποινήν cognati, cf. Hom. Il. IX, 633. Haec sunt quibus felicissime utitur Pindarus, ut etiam Hoeckhius noster notavit Hist. Cretae T. III. p. 213. Igitur degit in Orco homo ob culpam in terra admissam per octo annos sumitque Proserpina ποινήν, h. e. nunc omnino τιμωρίαν ab eo, sic expiatus anno nono redit. — πένθεος, h. e. ἁμαρτημάτων. Quomodo? Dicas peccata per euphemismum triste malum appellari quod acciderit homini, ut πάσχειν, συμβαίνειν, γίγνεσθαι passim pr. ποιεῖν, πράττειν ponuntur suaviter, veluti Demosth. de Coron. P. 290. οὐδὲ μνησικακῶν, εἴ τι πρότερον γέγονεν ἀλλότριον ταῖς πόλεσι πρὸς ἀλλήλας, h. e. ἐπέπρακτο, consulto enim lenius dicit. Sed obstare videtur hic, quod non bene puniri aliquis dicitur propter calamitatem, quae ei acciderit. Atque observanda comparatio est. Proprie familia occisi δέχεται ποινήν propter luctum sibi allatum caede cognati; similiter nunc Proserpina luctus olim excitati poenam sumit. Sed cuinam illatus hic luctus? Deam, licet laesam quodammodo peccatis hominum, lugere nemo unquam dixerit. Quid multa? Pindarus comparationes personis accommodat, quas canit, ut toties vidimus; cantatus igitur hic threnus in virum nobilem est, qui quum casu hominem occidisset, forte tum ποινήν non dedit et nunc in Orco a Proserpina expiatur. Praesentem

rem poeta more suo mutavit in generalem sententiam, ex uno genere culpae universe designans peccata hominum. — Ceterum de constructione οἷς δέξεται cf. Pyth. IV, 23. et δέξεται per futurum exactum verte. — Pergit: Ex quibus reges generosi et robore prompti et sapientia maximi viri exsistunt, in futurum autem tempus sancti heroes ab hominibus vocantur. Praeter reges nominat primum corporis robore insignes, ut Hercules fuit, ut duces bellici sunt et quidni etiam athletae eximii, quales Milo Crotoniata, Diagoridae Rhodii, alii fuerunt, deinde sapientia maximos viros dicit, in quo σοφίαν intellige vatum, poetarum, medicorum, quales Asclepiadae, aliorum. Empedocl. Fragm. v. 407. Sturz p. 532. ita dicit: εἰς δὲ τέλος μάντεις τε καὶ ὑμνοπόλοι καὶ ἰητροὶ καὶ πρόμοι ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισι πέλονται, ἔνθεν ἀναβλαστοῦσι θεοὶ τιμῇσι φέριστοι. Non dubito vero Pindarum, ab inanibus fictionibus alienum, simul religiones Graecas hic spectasse. Nam ut reges mythici temporis heroicis honoribus colebantur, sic vel historica aetate Gelo Syracusanus et Thero Agrigentinus heroes facti, cf. Diodor. XI, 38, 53., atque etiam Spartani reges heroicis propemodum honoribus post mortem lugebantur, vid. Müller. Dor. II, 98. E ducibus autem bellicis nunc οἰκισταί urbium nominandi, quos constat pro heroibus cultos, cf. ad Ol. VII, 78. Verum etiam vates priscos suspicor, si non omnes, at plures, heroicis honoribus cultos, ut Calchantis Heroum memoratur apud Daunios, ubi ἐναγίζουσι μέλανα κριὸν οἱ μαντευόμενοι Strab. VI. p. 284. Nec Homerum poetam improbabile habeo ab Homeridis in Chio cultum, et Orpheum ab Orphicis. Adde quae de Hesiodi sepulcris traduntur, vid. Welcker. in Iahnii Annalibus, Vol. IX, fascil. II. Ad eandem normam etiam futuro tempore censuisse videtur Pindarus eximios duces, athletas, poetas, vates, sapientes a posteris pro heroibus habitum iri. Nimirum ne Empedocles quidem philosophus deos ex his animabus fieri dicens plane inania finxit, quum Hercules deus factus sit et Diomedes (Nem. X, 7.) aliique, ut Tlepolemus apud Rhodios, Ol. VII, 89., Menelaus Therapnae divinis honoribus cultus, Isocrat. Encom. Helen. p. 245. Bekk. Frequentior etiam res in Italicis religionibus, quod obiter comparo, ubi ex humanis animabus saepissime dii facti, quales sunt penates

et lares, vid. Müller. de Etruscis II. p. 92. Nam heroicum cultum domesticum Itali non videntur mihi habuisse, unde etiam Imperatores, qui consecrabantur, non heroes, sed dii facti sunt. Sed redeo. — *ἐς τὸν λοιπὸν χρόνον* est post finitam hanc alteram vitam. Vides enim Pindarum hic non tres migrationes statuere, ut Ol. II., sed duas; ac quum *ποινῆς* et *ἀπενιαυτισμοῦ* comparatione usus sit, vix bene nova expiatio posita esset. Semel purgati, *ἁγνισθέντες*, ubi iterum moriuntur, sunt heroes *ἁγνοί*. Male hunc locum cepit Schneiderus Vit. Pind. p. 54.

Fragment. 6. beatorum felicitas non fugitiva dicitur, sed constans et diuturna.

Fragmentum 7. est de Oenomao tredecim procos filiae qui occidit, a decimo quarto vero Pelope ipse interfectus est. Quum Pindarus in Threnis etiam raptos flebilibus sponsis iuvenes ploraverit, Horat. IV, 2, 21., in tali Threno memorari potuit haec res. — *τετράτῳ* scil. *καὶ δεκάτῳ*, cf. Fragment. inc. nr. 54. — *πεδάθη*, Nem. V, 26.

Ultimum Fragmentum est in virum Atheniensem Eleusiniis initiatum, notante etiam Boeckhio, qui addit fortasse Hippocratem fuisse Megaclis filium, Clisthenis fratrem, in quem Threnum scriptum a Pindaro testatur Schol. ad Pyth. VII, 18. Verte: Beatus qui illis spectatis cavam sub terram ibit; novit ille vitae exitum et a Iove datum principium. — *ἐκεῖνα*, mysteria. — *βίου τελευτάν*, novit quae sors hominem post mortem maneat. — *διόςδοτον ἀρχάν*, novit originem hominis divinam, si recte intelligo. Ceterum cf. Sophocl. notissimum locum *ὦ τρισόλβιοι κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη μόλωσ᾽ ἐς ᾅδου· τοῖςδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ ζῆν ἔστι, τοῖς δ᾽ ἄλλοισι πάντ᾽ ἐκεῖ κακά.* Add. Crinagorae Epigr. 30., Anthol. Gr. T. II. p. 135. Iacobs. et Isocrat. Panegyr. p. 50. Bekk.

XI. FRAGMENTA, QUORUM GENERA INCERTA.

Agmen ducunt ex Boeckhii dispositione ea, quae sunt de diis. Ac de prioribus non est quod moneam. Fragmentum quartum, ubi dii omnium laborum mortisque dicuntur expertes,

Boeckhius e Threnis suspicatur esse. — In sequenti loco (no. 5.) ἐλασιβρόντας, ut legendum cum Schneidero et Boeckhio, est ἐλατὴρ βροντᾶς Ol. IV init. Ceterum cf. ad Ol. II, 12. p. 26. Idem mox dicitur diis ceteris maius quiddam sortitus, h. e. ceteris diis omnibus maior, potentior, augustior. — Fragmento 9. Iovis filia Minerva laudatur sic: Ignem halanti fulmini quae proxima sedes ad dextram patris. De Minerva proximum a Iove locum occupante vid. Spanhem. ad Callim. Hymn. Apoll. 29. Mitscherl. ad Horat. I, 12, 19. Ac sedet ἄγχιστα κεραυνοῦ, ut etiam κλῇδας οἶδε δωμάτων μόνη θεῶν, ἐν ᾧ κεραυνός ἐστιν ἐσφραγισμένος, Aesch. Eumenid. 825. Ac mutuatur passim Iovis fulmen, quod iacit in Syracusanis et Atticis nummis, cf. Müller. d. Etruscis II. p. 50. Fragmentum 12. fortasse initium Hyporchematis fuit. Verte: Saltator festivitatis dux, pharetrate Apollo. — ἀγλαΐα, ut Pyth. I, 2. — ἀνάσσων, qui praeit, regit et moderatur, ut in Monimento Regillae v. 58. Anthol. Lips. T. III. p. 17. χοροστασίῃσιν ἀνάσσειν, moderari choreas. Denique εὐρυφαρέτρας lectum Pyth. IX, 26. — Sequens locus (no. 13.): condemnatus est Apollo, ut mortalibus mitissimus esset, quo nexu sententiarum dictus sit, non constat. Videtur tamen ironia inesse. Ad construct. cf. Herod. VI, 85. καί μιν κατέκριναν ἔκδοτον ἄγεσθαι ἐς Αἴγιναν. — Ad Fragmentum 15. de propheta Musae poeta cf. Plat. d. Legg. IV. p. 719. ποιητὴς ὁπόταν ἐν τῷ τρίποδι τῆς Μούσης καθίζηται. Add. dicta ad Prosod. fragment. 3. — Fragmentum 22. de Baccho verto: Arborum autem arva Bacchus iucunditatis auctor augeat, clarum lumen auctumni. Fuit Bacchus etiam Δενδρίτης, εὑρετὴς μήλων, Συκίτης, vide quae docte congessit Welckerus meus in Addendis ad Librum de Aeschyl. Trilog. p. 186 sqq. Hos dulces fructus alens, πολυγηθέα καρπὸν ἀέξων, ut est in Orphic. Hymn. 49, 4., nunc πολυγαθής dicitur. — νομὸν δενδρέων Boeckhius interpretatur arva arboribus consita (Baumtrift), ut mox νομὸν Κρήτας. Adde νομὸν ὕλης Hom. Od. 10, 159. et Simm. Rhod. Epigr. IV. Anthol. Lips. Tom. I. p. 137. Porro est Bacchus φέγγος ὀπώρας, ut frugiferum auctumni numen. — ἁγνόν, lucidum, ut ἁγνοτάται πυρὸς παγαί Pyth. I,

21. — Ob similitudinem dictionis Boeckhius statim subiecit proximum Fragmentum (no. 23.), quod vertit: Exigua cupresso contentus esto, et valere iubeto Cretae circum Idam saltus. Mihi quidem parvus agellus contigit, unde prunum; sed luctus non sortitus sum neque turbas. Hortatur poeta, ut parvo contentus sis. Laudat igitur parvum hortum suum, ubi minuta cupressus crescit, et pruna ad edendum, nec magnifica cupresseta ditiorum postulat arvaque ampla segetum, ut Nem. VIII, 37. est: *χρυσὸν δ' εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι ἀπέραντον, ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἁδὼν καὶ χθονὶ γυῖα καλύψαιμ'.* — *ἐλαφράν*, levem, minutam, non tam robustam, altam ramisque gravem quam Cretenses, ubi haec arbor sponte nascebatur maxima et pulcherrima, inprimisque Idae magnam partem cingebat, cf. Boeckhium h. l. Vossium ad Virg. Georg. II. p. 294. Hoeckium in Creta T. I. p. 6. Hinc pro praeclaro cupresseto *νομὸν περιδαῖον* dicit, h. e. saltus circa Idam, ut Pyth. III, 52. vidimus *περάπτων*, Nem. XI, 40. *περόδοις*. Adde alia ap. Boeckhium. — *φιλέειν*, *ἐᾶν*, pr. imperativis sunt. — *ἄδρυς* obscura lectio; videtur *ἄδρυον* sive *ἄδρυα* cum Heynio et Boeckhio legendum, h. e. poma et maxime pruna, vide locos ap. Boeckh. Sic, ait, licet tenui victu, vivo securus, *ἀστοῖς ἁδών*, et non implicor turbis civilibus, nec lugeo ex meis qui in iis perierint. Contra divites et potentes fundos habent ampliores et cupressos magnificentiores, sed etiam pericula multa et plus luctus. Alludit enim praeclare ad feralem usum cupressi. Postremo suspicor eximium hunc locum e Scolio esse, cui oratio plane convenit, ac notum Scoliorum argumentum de contemnendis divitiis. — Similem sententiam sequens Fragmentum (no. 24.) habet: Quid faciens carus tibi, fulminator Iuppiter, carus vero etiam Musis laetitiaeque dilectus sim, hoc rogo te. — *φίλος δέ* Boeckhius retinuit, quum *τέ* — *δέ* etiam alias habeantur, vid. ad Ol. VIII, 56., ac prudenter *δέ* non *τέ* hic positum a poeta, quum duo sint, non tria, sententiae membra, alterum autem fortius. — *εὐθυμίᾳ μέλων*, ut Aristoph. Eccles. 938. Inv. *σὺ δ', ὦ γραῦ — τῷ θανάτῳ μέλημα*, et Anacreon LI. *τόδε (τὸ ῥόδον) καὶ μέλημα μύθοις*. Et vide ad Ol. I, 89. Postremo optativus nunc sine particula *ἄν* positus. — Pergimus ad proximum Fragmentum

(no. 25.): de Sileno: O miser mortalis puerilia garris opes mihi iactans. Verbum ἐφήμερος vidimus Pyth. VIII, 95. Nota vero fabula est de Sileno capto a Mida in rosariis ad Bermium; apud alios Satyrus a Mida capitur. Cf. Boettiger. in Mus. Att. I, 354 sqq. et Iacobs. ad Philostrat. I. p. 340. Suavissime porro finxerunt Midam, opulentum, mollem regem Phrygum, quum divitiis gloriaretur, a Sileno castigatum, qui talia non curat et praecepta philosophica ei exponit. Pindarum credo hanc rem in Scolio tractasse pleno iucundissimis dictis; substitutus autem pro Mida, ut Müllero meo videtur, Olympus est, mythicus heros Phrygum. Nam Olympo nunc haec dici e Scholiis Aristoph. Nub. 223. novimus. Dicitur Olympus vulgo Marsyae discipulus, Marsyas autem Silenus Phrygius fuisse videtur, coll. Herodot. VII, 26. Obiter annoto etiam a Bacchylide rem tractatam videri, cf. Ptolem. Hephaest. ap. Phot. Biblioth. p. 135. Bekk. τί ἔστι τὸ παρὰ Βακχυλίδῃ ὡς ἀπὸ Σειληνοῦ εἰρημένον καὶ πρὸς τίνα εἶπε τὸ ἔπος. — Fragmentum 26. Boeckhius suspicatur ex Hymno in Proserpinam esse, de quo supra Hymn. fragm. 8. dictum. Melissae sunt maxime Cereris et Proserpinae sacerdotes; vid. locos a Schneidero et Boeckhio notatos, et adde Serv. ad Virg. Aen. I, 430. De Pythia Apollinis lecta vox Pyth. IV, 60., ubi hoc fragmentum in Scholiis affertur. — Porro de tempore multa constat dicta exstare apud veteres. Ad primum locum cf. Ol. I, 33. In altero dicitur rex omnibus diis praestans, in quo notabis veteribus tempus non tam abstracta notione intellectum, ut hodie, sed revera daemonica vi visum esse praeditum. Moneo hoc etiam propter Pherecydem philosophum. — Subiecit Boeckhius Fragmentum (no. 31.) fortasse Titanes tangens: Illi quidem capitibus deorsum pendentibus sunt vinculis constricti. — κατωκάρα, ut ἀνάκαρ, ἐπίκαρ. Atque haec hactenus.

Succedat aliud Fragmentorum agmen, in quibus heroicae res tractantur. Fragmento 34. Otus et Ephialtes Aloidae, ut ex Apollonio de Syntaxi patet, dicuntur mutua caede se interfecisse. Memorati sunt Pyth. IV, 88. Add. Heyn. ad Apollod. Observatt. p. 42 sqq. Interitus eorum non uno modo traditus fuit; de hoc genere nihil aliunde constat. — Ad ἐπάξαντο λόγ-

χας cf. Nem. VII, 26. — Porro dixerat Pindarus in aliquo carmine de Persei rebus; fortasse huc pertinuerunt verba φιλόμαχον γένος ἐκ Περσέος (lecta in Fragm. 39.), bellicosum genus a Perseo oriundum, quanquam etiam alio loco potuerunt lecta esse. Filios Persei, si hos intelligit, vide ap. Apollodorum. — Ad sequens Fragmentum (no. 43.) haec tene: Fuit suavis fabula de Rhoeco Cnidio, cui quum aliquando quercum caducam fulcimento subiecto firmasset, Nympha arboris ab interitu servata gratias se reddituram promisit quas vellet. Petit eius amplexum, dea non recusat, si aliis feminis abstineat; apem internuntiam futuram, quoties eum admittere velit. Rhoecus spondet, sed post aliquod tempus taedio captus, ut fit, quum aliquando πεσσεύοντα adiret apis, acerbius in eam invectus, πηρωθεὶς poenas a Nympha tulit. Res non uno modo narrata, quum etiam Arcas Iovis aut Apollinis filius simili modo Hamadryadem ab interitu servasse dicatur. Ceterum tradiderat has fabulas Charon Lampsacenus logographus, vid. Boeckhium h. l. et Creuzerum Historic. Graecor. Fragment. p. 130 sqq. Pindarus in hoc carmine de ape dixit: Tu molitrix favorum parva, perfidum quae puniens Rhoecum stimulo pupugisti eum. Propositum fragmentum verte: Hamadryades parem cum arboribus finem aevi nactae, et vide de hoc genere nympharum Voss. ad Virg. Eclog. X. p. 529. Ceterum nisi sensus meus me fallit, etiam hoc dulce argumentum in Scolio tractaverat Pindarus; atque observes velim, quam diversis rebus ingenium huius poetae par fuerit. Atque etiam per se memorabile hoc genus fabularum, quod vellem conquireret aliquis et tractaret scite. Verum haec obiter. — Accedimus ad Fragmenta 44 et 45., quae spectant notissimam pugnam Lapitharum et Centaurorum in nuptiis Pirithoi et Hippodamiae. Prima verba cum Boeckhio verte: Postquam vero viros domantem odorem dulcis vini Centauri senserant, confestim de mensis candidum lac manibus deiiciebant, ultroque argenteis ex cornubus bibentes perturbabantur mentibus. — Φῆρες, Pyth. III, 4. — ῥιπή vulgo impetus, vis, nunc de odore esse sequentia docent, ut Soph. Electr. 105. ἄστρων ῥιπαί de luminibus sunt et Pind. Pyth. I, 10. citharae ῥιπαί de sonis. Odore vini exci-

tatos Centauros etiam in alia fabula habes Apollod. II, 5, 4. — δάεν a δαῆναι doceri, discere, nunc pr. αἰσθάνεσθαι. — αὐτόματοι, antequam mensis remotis ad bibendum invitarentur. — κεράτων, quum Athenaeo notante XI. p. 476. olim et historico etiam tempore passim cornubus biberent; nunc pocula argentea cornuum specie intellige. Cornibus similia etiam ῥυτά, de quibus vide Iacobs. Anthol. VII. p. 336. — ἐπλάζοντο, Hom. Od. II, 396. Add. οἶνος ἠλεός Od. XIV, 464. — Pertinent eodem proxima (no. 45.) de Caeneo Lapitha robustissimo: Ille vero virentibus abietibus percussus abiit in Orcum, scissa terra recto pede. Descendit enim ἄῤῥηκτος, ἄτρωτος, ut ait Apollon. Rhod. I, 63. et Plutarch. de Absurd. Stoic. opin. init. — Ceterum universum locum e convivali carmine esse petitum monuerunt iam alii. Atque ego quidem Scolium fuisse puto, cantatum fortasse in nuptiali convivio Athenis, ubi Pirithoidae habebantur, cf. Müller. Orchom. p. 203. In talis enim viri nuptiis cantatae Pirithoi et Hippodamiae nuptiae laudesque regum, per quos cecidere iusta morte Centauri (Horat. IV, 2, 14.), eximie placuerint. — Ex alio Scolio quod sequitur Fragmentum (no. 47.) est iucundissimum de Hercule apud Caenei filium Coronum, ut liquet ex Philostrato Imagg. II, 24., optime monente Boeckhio, aliquando coenante: Bina boum calentia comedit corpora, quae carbonum acervum cingebant et ignem exhalabant; ac tum ego carnium vidi et audivi strepitum ossiumque gemitus graves; videnti autem opportune multum temporis erat ad cognoscendum, ut vertit Boeckhius. De Herculis edacitate nota omnia; cf. Müller. Dor. I. p. 456. Unde βουθοίνας audit, maxime amans hoc genus cibi, veluti etiam Aristoph. Ran. 509. βοῦν ἀπανθρακίζει ὅλον. Apud Pindarum ἀνθρακιὰν στέψαντα sunt pr. ἀπανθρακισθέντα. — σαρκῶν ἐνοπάν, ὀστέων στεναγμόν, sub dentibus puta Herculis. — εἶδον, cf. Hom. Od. IX, 167. — διακρῖναι, cernere, accurate cognoscere, Hom. Od. VIII, 195. Narrat unus eorum, qui affuerunt, fortasse Coronus, addens cum otio se spectasse, ut fidem faciat verbis; quod monet Boeckhius. Denique e Scolio haec esse nemo dubitabit, veluti egregie placuerint in Herculis aliquo templo

cantata coenantibus cum deo parasitis. Vide de parasitis Herculis Athen. VI. c. 26. — Fragmentum 48. ita vertit Boeckhius: Secundum rerum naturam....... Lex omnium domina mortalium et immortalium affert vim maximam, iustam eam afficiens potentissima manu. Locus celeberrimus, saepe a veteribus, inprimis a Platone, memoratus; vide uberrimam annotationem Boeckhii mei. Ac primum quidem verba: *νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων* ita iunge, ut vertas: lex ea, quae omnes mortales et immortales regit; hoc autem dictum est pr. lex suprema fati. Confert Boeckhius Eurip. Hec. 799. *ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε κἀσθενεῖς ἴσως, ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι χὠ κείνων κρατῶν νόμος,* ubi vox de ethica lege mundi, ut alias passim; cf. Lobeck. in Aglaophamo p. 533. et vid. Heracliti locum ap. Stob. Sermon. IV, 48. Schleiermach. Heraclit. p. 350. *Τρέφονται γὰρ πάντες ἀνθρώπινοι νόμοι ὑπὸ ἑνὸς τοῦ θείου. Κρατεῖ γὰρ τοσοῦτον, ὁκόσον ἐθέλει, καὶ ἐξαρκεῖ πᾶσι καὶ περιγίγνεται.* Verum, ut redeam, initium loci varie olim lectum videtur, quum et *κατὰ φύσιν* haberetur, quod Sophistis maxime placebat, et *παρὰ φύσιν*, opinor, veluti Plato Protag. p. 337. d. dicit: *ὁ δὲ νόμος τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων πολλὰ παρὰ τὴν φύσιν βιάζεται.* Atque ego a Pindaro profectum credo: *Πολλὰ δὲ παρὰ φύσιν*, hoc sensu: multa contra naturam lex fatalis adducit suprema manu, iusta reddens etiam violentissima. Quae plana sunt. Alterum vero, lege suprema secundum naturam adduci res quae tamen violentae sint, mihi quidem non videtur clare dictum. — Mox *τεκμαίρομαι*, concludo ex, ut notum. — *Κυκλώπια πρόθυρα* Eurysthei erant Mycenis, cf. Müller. Dor. I, 78. Memorantur nunc ad potentiam regis declarandam, cui tum parebat Hercules lege fatali. Est vero *ἐπὶ προθύρων* pr. *εἰς αὐλήν.* — *ἀναιτήτας* Boeckhius de coniectura posuit pr. corrupto *ἀναιρεῖται.* — Ad sequens Fragmentum (no. 51.) notanda verba Strabonis III. p. 232. B. de Lusitanis: *Ποιοῦσι δὲ καὶ ἑκατόμβας ἑκάστου γένους Ἑλληνικῶς, ὥς καὶ Πίνδαρός φησι, πάντα θύειν ἑκατόν*, ex quoque genere immolare centena. Fuit enim *ἑκατόμβη* proprie centum boum, ut constat, veluti Argis in Hecatombaeis immolabant, cf. Schol. Pind. Ol. VII, 152. — Fragmentum 54.

Boeckhius ad Herculem trahit, qui Nelei filios occidit ipsumque patrem, ac quum Nestor superstes fuerit, ex alia traditione tredecim putat Nelei filios fuisse. Sed non opus videtur hac coniectura, si Hippocoontis duodecim filios intelligimus, una cum patre ab Hercule occisos, vid. Apollod. III, 10, 5. — θάλλοντας pr. θάλλοντα, cf. ad Nem. V, 43. — Mox τρίτον pr. τρίτον καὶ δέκατον, vid. Fragm. Thren. 6. — Pergimus ad praeclarum locum de Peleo (no. 55.) — ἐπέλαμψαν, nonne Pelei labores iuventutem illustrarunt multis, h. e. nonne Pelei praeclara facinora ad virtutem excitarunt plurimos iuvenes, ut rebus gestis iuventutem suam illustrarent? Vel ex his verbis intelligas locum non ex Epinicio aliquo deperdito Isthmio esse, nusquam enim in Epiniciis talem sententiam heroum fabulis praemissam invenias. At Encomio egregie convenerit hoc fragmentum. Ceterum ἐπιλάμπειν c. accusat., ut Apoll. Rhod. II, 159. — Peleum socium Herculis in expeditione adv. Troiam fuisse post Pindarum etiam Euripides dixerat, cf. Schol. Eurip. Matth. T. V. p. 582., ubi propositum fragmentum legitur. — μετὰ ζωστῆρας, ad Hippolytae Amazonis zonam petendam, quam Alcides Eurystheo afferre debebat, cf. Apollodor. II, 5, 9. Vulgo etiam in hac expeditione Telamo solus Herculis socius, sed etiam Peleum a nonnullis addi Scholiastes ad Nem. III, 64. tradit. — ἐκτελευτάσαις, et perfecta navigatione in Colchidem, cuius Iason dux, h. e. quum multum fortitudine sua contribuisset ad perficiendam Iasonis navigationem. — ἕλεν Μήδειαν, fuit inter eos qui Iasonem adiuvarent in rapienda Medea, sed iterum magnificentius loquitur, veluti Homerus Od. I, 2. de Ulysse ait: Τροίης πτολίεθρον ἔπερσεν. Postremo Peleum igitur inter Argonautas fuisse etiam in Hymnis alicubi memoratum videtur a Pindaro; cf. Boeckh. ad Fragmenta p. 566. — Ceterum oblata hac occasione verbum addam de Pyth. IV, 159., ubi Pelias Iasonem ad iter Colchicum hortans dicit: δύνασαι δ' ἀφελεῖν μᾶνιν χθονίων, quod non satis explicui. Respicit locum Tzetzes ad Lycophr. 174. p. 443. ἔφη γὰρ ὑπὸ δειμάτων νυκτερινῶν θορυβεῖσθαι διὰ τὸν Φρίξον. Vide plura de δείμασι mortuorum ap. Lobeck. in Aglaopham. p. 302. — Fragmentum 57. de Amazonibus est, ut ex Strabone XII. p. 819. patet, Syrium exer-

citum ducentibus. Syri sunt Leucosyri s. Cappadoces, unde originem traxere Amazones, ad Thermodontem, Chadesium, Lycastum in ora Themiscurae vulgo positae, cf. Müller. Dor. I. p. 391. — *εὔρυαίχμαν*, cuius hastae latae. — Et *διέπειν στρατόν* est Hom. Il. II, 207. Add. Ol. VI, 93. et *βασιλῆς δίοποι* Aesch. Pers. 44. — Fragmentum 61. Boeckhius probabiliter de Oedipo intelligit, qui fatum constitutum hominibus perniciosum fecit ut abiret atque ita gloriam sibi paravit. — *μετατραπεῖν*, verti, pr. *μετατρέπεσθαι*, ut *προςτραπών* Nem. IV, 55. — *οὐδὲ σιγᾷ κατεῤῥύη*, neque inglorius defluxit, mortuus est. Suaviter verbum de eo, qui paullatim non animadversus evanescit. — Pertinent eodem sequentia verba (no. 62.) de Sphinge. *ἀγριᾶν*, epitheto personae ad os translato, cf. Nem. I, 42. — Fragmentum 64. Boeckhius ingeniose sic explicat, canere Achillem in Chironis antro velociter decurrens canticum ad citharam, filiae autem Chironis, *Κενταύρου κοῦραι* Pyth. IV, 103. cantabant ei Chironis praecepta, *Χείρωνος ἐντολάς*, notatas supra ad Pyth. VI. p. 275. — Eodem interprete verba sequentia (no. 65.) agunt de patre Achillis Peleo olim in dumosis Pelii desertis errante, quum Acastus crudeli mente insidias ei strueret, cf. ad Nem. IV. p. 404. — Sequens Fragmentum (no. 67.) Amythaonidas laudat; sunt hi Bias et Melampus cum posteris, inprimis celebres Melampodidae. — *ποικίλον ἄνδημα*, cf. ad Nem. VIII, 14. — Pergimus ad Fragmenta 68, 69, 70, 71., quae Boeckhius egregie perspexit unius carminis esse, in quo praecepta Amphilocho a patre Amphiarao data tractabantur. Idem pulcre monet Scolium fuisse. In Scoliis enim etiam praecepta moralia tradita constat, ut supra iam notatum est; in qua re heroum quoque priscorum dictis suaviter utebantur, velut in notissimo Scolio: *Ἀδμήτου λόγον, ὦ 'ταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει, τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς, ὅτι δειλοῖς ὀλίγη χάρις.* Et Amphiarai quidem praecepta a cyclio aliquo poeta primum exposita videntur, unde Pindarus haurire potuit. Scriptum vero puto hoc Scolium puero, qui peracta puerili aetate diem tirocinii celebrat, postquam *ἱμάτιον τετράγωνον* sumpsit, ante sola tunica indutus, cf. Boettigerum in Arch. Pictur. p. 211. ceterum male Graecanicum

nescio quod distinguentem, et crinem primum detonsum Apollini fluviisque consecravit, vid. ad Pyth. IV, 227., et in ληξιαρχικὸν γραμματεῖον inscriptus est. In tali igitur tempore probabile est convivium sollemne gentis habitum, cui maxime aptum Scolium, in quo docetur adolescens, quomodo iam publice versari et cum hominibus consuescere debeat aliaque similia. Videamus singula. — μὴ ἀναῤῥῆξαι, ne proloquere libere, temere, ut alias saepe ῥῆξαι φωνήν, φθόγγον, αὐδήν, Herodot. V, 93. Iacobs. ad Anthol. Tom. X. p. 385. Markland. ad Eurip. Suppl. 710. Wakefield. Silv. Crit. IV, 172. — τὸν ἀχρεῖον λόγον, inutilia, levia, quae melius tacentur. — πιστοτάτα, interdum certissima, tutissima silentii via est. Sententia lecta Nem. V, 16. — ὁ κρατιστεύων λόγος, stimulus rixae est oratio praevalens (das vorherrschende Wort), quum quis plus loquitur ceteris et maiore voce, ut molestus fiat. — Sequentia vulgo separatim habentur; primus Boeckhius utrumque fragmentum coniunxit. Quam rem non diiudico. Recte fecit amicus, si Pindarus in hoc Scolio diversas sententias nullo transitu interposito composuit; fortasse tamen maiorem artem adhibuerat, ut omnia suaviter nexa essent. — μὴ προφαίνειν, alienis ne aperias quae nobis aerumna habeatur. Confer ad haec et sequentia Pyth. III, 82, 3. — φέρεται pr. τίνα μόχθον φέρομεν, ἔχομεν. — Verba τοῦτό γέ τοι ἐρέω referenda sunt ad sequentia, monente Boeckhio. — Καλῶν μὲν ὦν μοῖράν τε τερπνῶν, quae nobis iucunda contigerunt. De collocatione vocis μοῖραν adi dicta ad Ol. VI, 42. Add. Pyth. XI, 64. — σκότει κρύπτειν, ne sciant homines iratos nobis esse deos. Ita enim hic censeam, quanquam apud alios etiam alia habetur dicti ratio haec, ἵνα μὴ τοὺς ἐχθροὺς εὐφράνῃς, cf. Welck. ad Theogn. p. 34. — Alio loco Scolii lectum sequens fragmentum (no. 70.): O fili, marinae bestiae corpori maxime mentem assimilans omnibus in civitatibus versare; praesenti vero cuique ultro assentiens alias alia cense, ut vertit Boeckhius. Petita haec ex antiquioribus esse notatum est; Athenaeus VII, 317. affert cyclii, ut videtur, poetae versus: Πουλύποδός μοι τέκνον ἔχων νόον, Ἀμφίλοχ᾽ ἥρως, τοῖσιν ἐφαρμόζου, τῶν κεν κατὰ δῆμον ἵκηαι. Add.

Theog. v. 215. Dixit deinde etiam Sophocles. Constat autem polypodes colorem mutare ad similitudinem locorum, ubi versantur, vid. Plin. Hist. Nem. IX, 29. — προςφέρων, vid. Nem. VI, 6. — ὁμίλει πολιέσσι, Pyth. VII, 9. Theogn. v. 216. — ἐπαινεῖν c. dat. est assentiri, Hom. Il. XVIII, 312. Post haec ad universam sententiam quod attinet, Amphilochum, qui varia loca atque etiam barbaras gentes adire debebat, moneri puta, ut moribus populorum et iudiciis hominum, quos visurus sit, se accommodet; sic eum carum futurum ubique. Quae nunc suaviter praesenti iuveni proponuntur, si itinera faciat et in aliis urbibus versetur, quo primum pertinent usitatae adolescentium ἀποδημίαι ad cognatos hospitesque paternos, cf. Böttig. Arch. Pict. p. 216. — Postremo, optime monente Boeckhio, etiam Fragmentum 71., lectum in Schol. ad Nem. VII, 89., puta eiusdem carminis esse. Noli te tuosque praedicare, aiebat, nam domestica laus reprehensioni mixta est et displicet. Atque haec hactenus. — Pergimus ad alia. Fragmentum 72. ita habet: Proh dii, quantopere fallitur mens mortalium ignara, quod propter Eriphylam dictum fuit, Amphiarai uxorem, marito quae persuasit, ut cum ceteris adversus Thebas proficisceretur. — Proximis verbis (no. 74.) laudatur Phoenix, cuius Homerus non memorat exercitum, quanquam in Phthia Dolopibus imperabat sub Peleo, Hom. Il. IX, 484. Iunge vero θρασὺν σφενδονᾶσαι, et πρόςφορον verte aptum, utilem telis Danaorum. — In sequenti Fragmento (no. 76.) notandus est vocativus ἀκαμαντόχαρμαν, ut ὦ Εὐρυδάμαν apud Alcaeum, notante Choerobosco ap. Bekker. Anecd. Gr. Vol. III. p. 1183. — Mox (no. 81.) ἀνακηκύει est large, cum vi profluit, surgit. Boeckhius de Troia dictum credit. — In Fragmento 82. loquitur heros aliquis. Me ipsum, ait, ante omnes conditorem communem adscisce templi dominum. — συνοικιστήρ lectum Ol. VI, 6. — In sequenti loco (no. 83.) μίγνυσθαι est de congressu et convictu amicorum, ut saepius, cf. Hom. Odyss. I, 209. IV, 178. Ac θαμά est ἅμα, quod ipsum praefert Hermannus metro aptissimum.

Accipe hinc tertium genus fragmentorum varii argumenti. Primum (no. 87.) verte: Dictum quidem pervulgatum Po-

lymnesti viri Colophonii nosti, quod ex Encomio aut Scolio est, notante etiam Boeckhio. Vixit Polymnestus circ. Ol. 20 — 30. Vide de eo Müller. Dor. II. p. 321. Hoeck. Creta T. III. p. 377. — Proxima (no. 93.), quae hinc vides, e Plutarcho novimus de pugna ad Artemisium dicta, ubi Atheniensium iuventus splendidum fundamentum libertatis iecit. Prior haec Salaminia pugna. — Xerxis autem exercitus, ait poeta in sequentibus (no. 94.), ingenti omnium terrore super Helles fretum sacrum advenit. — Ἕλλας πόρος illustratur Boeckhio, ut est Ἕλλας ἀμφὶ πόρον Aesch. Pers. 874. — Fragmentum 95. videtur ex Epinicio aliquo Isthmio deperdito esse in Aeginetam quendam Midylidam, quem Boeckhius Clitomachum fuisse suspicatur, Pyth. VIII, 37. laudatum. — Verba sequentia (no. 96.) sunt de Pythea Aegineta Lamponis filio mortuo, ut liquet e Schol. ad Isthm. IV. init. De carminis ratione non constat. — Fragmentum 98. verte: Aeolensis vir ibat Doriam hymnorum viam, Dorio cantu usus est. — Ad κέλευθον cf. Ol. IX, 47. De sensu fragmenti nihil praeterea constat, vid. Boeckhium. — Sequens locus (no. 101.) petitus e Delphico carmine aliquo, Paeane vel Prosodio, est. Sensus: Delphici oraculorum prophetae Apollinei, in quo θεμιστάς notabis oracula dicta, ut Hom. Od. XVI, 403. Hymn. Apoll. 210. Verbum Ἀπολλωνίδαι proprie accipio de gente aliqua prophetica apud Delphos ab Apolline originem repetente. Similis carminis etiam proximum Fragmentum (no. 102.) est: Quinquennale festum boum pompis insigne, in quo primum in lecto collocatus sum dilectus sub fasciis. Intelliguntur Pythia, ubi natus Pindarus, cf. Vit. Vratisl. p. 9. Agebantur autem Pythia tertio quoque Olympiadum anno, ut constat, et primo die fiebant βουθυσίαι sollemnes. — Accedimus ad Fragmentum 103., quod Boeckhius vertit: Iactum est aureum fundamentum sacris canticis, prouti struimus iam affabre factum ornatum vocalem verborum: qui quamvis celebrem Theben magis etiam per deorum et hominum vicos illustrem reddet. Non dubita haec ex Hymno esse, ut ostendunt ἱεραὶ ἀοιδαί. Comparat cum templo carmen cantatum in templo; vide quae monui

ad Ol. VI. p. 60. Hinc Plutarchus De Profect. in virtute extr. *Ἀλλ' οἵγε προκόπτοντες οἷς ἤδη καθάπερ ἱεροῦ τινος οἰκοδομήματος καὶ βασιλικοῦ, τοῦ βίου κεκρότηται χρυσέα κρηπίς.* Subiecerat autem Pindarus haec verba prooemio magnifico, quod fecerat. — *κρηπίς* proprie est fundamentum aedificii, non illud sub terra latens, sed moles graduum quibus reliquum aedificium superstructum; unde supra Fragm. inc. 93. *κρηπὶς φαεννά.* Vide plura ap. Boeckh. — *κροτεῖν* est pulsare, tundere, densare fundamentum, ut *κροτητά, ἐπίκροτα* saepius pedum pulsu trita et quasi pavita loca, Schneid. ad Theophr. Hist. Plant. VI, 6. — *οἷα τειχίζομεν*, prouti struimus, h. e. fundamentum iecimus accommodatum operi praeclaro quod struimus. — Ad *κόσμον λόγων* vide notata Ol. X, 13. Suaviter vox nunc de eo, quod artificiose structum est (kunstreicher Bau). Hom. Od. VIII, 492. *ἵππου κόσμον.* — *ἐπασκήσει*, ornabit, illustrabit, cf. Nem. IX, 10. — *θεῶν κατ' ἀγυιάς*, apud deos, ait, quum Hymnus hic esset audireturque diis. Puta vero extra Thebas alia in urbe cantari carmen, quod poetae Thebano urbique Thebarum magnam gloriam parabit. Haec hactenus. — De sequenti Fragmento (no. 104) vid. ad Isthm. I init. — Tum (no. 106.) magnam rupem Thebarum intellige Cadmeam. — Fragmentum 108. verte: Melliflua ambrosia aqua de pulcro fonte Tilphossa. Erat prope Haliartum et Alalcomenas. Vid. Müller Orchom. p. 47. — Sequitur (no. 108.) eximia laus Spartae: Ubi consilia senum et iuvenum excellunt hastae, et chori et Musa et festivitas. Similiter Terpander ap. Plutarch. Lycurg. 21., ubi etiam Pindari verba, dicit: *ἔνθ' αἰχμά τε νέων θάλλει καὶ Μοῦσα λιγεῖα καὶ Δίκα εὐρυάγυια.* Disputat de his locis Müller. Dor. II. p. 373. — Fragmentum 111. agit de Locris Epizephyriis in Italia, qui apud candidum Zephyrii collem habitant. — *ἀργείλοφος* ab *ἀργός*, candidus, quum cretaceum vel calcarium esset promontorium Zephyrium, ut *ἀργάεις μαστός* dictus Cyrenis Pyth. IV, 8. *ἀργὴς Κολωνός* in Attica Soph. Oed. Col. 670. collat. Schol. Adde *ἀργινόεντα Λύκαστον* et *Κάμειρον* Hom. Il. II, 647, 656. In Italia inprimis Lucania multis talibus montibus distincta. — Fragmentum 112. ita habet: Aegyptiam Mendeta ad maris praecipitium, extre-

mum Nili cornu, caprarum mariti ubi cum mulieribus consuescunt. Non noverat Pindarus accurate Aegyptum; neque enim ad mare sita urbs Mendes fuit, sed in magna planitie. Cultus vero ibi Pan fuit, ac notissimus ὁ ἐν Μένδητι τράγος, Diod. Sic. I, 84. ibiq. Wessel. Suspicatur igitur Boeckhius carmen Pani scriptum. — γυναιξὶ μίσγονται, cf. Herod. II, 46. Aelian. Hist. Anim. VII, 19. Alludi credas ad talia in Bibliis sacris nostris Levit. 17, 7. — Mox (no. 113.) candidis equis vectorum Mycenaeorum vates quos dixerit, non constat. — Sequens Fragmentum 114. cum Boeckhio verte: Genus quoddam hominum cupiditatem stulte dissimulans Scythae mortuum equum verbo aversantur palam occisum, clam vero incurvos malis suis excoriant pedes et capita. Erat proverbium Σκύθης τὸν ἵππον, ἐπὶ τῶν κρύφα τινὸς ἐφιεμένων, φανερῶς δὲ ἀπωθουμένων καὶ διαπτυόντων αὐτό, ut referunt proverbiorum scriptores. — ἀκκίζεσθαι est cupiditatem stolide dissimulare, verbum inprimis apud Atticos lectum. Vide quae notavit Boeckhius. — λόγῳ, ut alias λόγῳ et ἔργῳ opponuntur, cf. Porson. ad Phoeniss. 512. — Pergimus ad Fragmentum 118. Ait autem: Principium magnae virtutis, o regina Veritas, ne meam fidem allidas aspero mendacio. — ἀρχά, caput, dux virtutis omnis. — σύνθεσιν, pactum, promissum quale hoc loco dicat ignotum. — μὴ πταίσῃς, h. e. serva me a mendacio, ne sinas impingi fidem meam in mendacii scopulum. Facere quis dicitur etiam quod sinit fieri. — Proxima verba (no. 119.): Iuxta Lydium currum pedes incedens, proverbialem loquutionem habent de eo, qui frustra cum superiore certet. Notavimus Λύδιον ἅρμα in Introd. ad Ol. I. — Fragmentum 120. verte: Tartari fundus obscuri premet te ferrea necessitate. — σφυρήλατοι ἀνάγκαι sunt δεσμοὶ σιδήρεοι, ἀδαμάντινοι, quibus affixi imo fundo iacent improbi. Suspicatur Boeckhius haec e Threno esse, quum in Threnis per oppositionem etiam improborum poenae exponerentur, veluti vides Thren. Fragm. I. — Sequens Fragmentum (no. 121.), Furores et clamores concitatorum cum capitis iactatione, est de saltantibus divino furore correptis

in sollemnibus deorum, ut patet ex Plutarcho; vid. Boeckh. — Ad *ὀρινόμενοι*, furentes, concitati, cf. Hom. Od. XXII, 360. — Fragmentum 122. ita habet: Audi, Clamor, Belli filius, armorum prooemium; adite sacram mortem pro patria viri. — *Ἀλαλά*, ut apud Homerum *Κυδοιμός*, *Ἀλκή*, *Δεῖμος*, *Φόβος* dii sunt. Talia enim veteribus daemonicam vim habere videbantur. De qua re dixit Nitzschius in Praefat. Animadverss. ad Odysseam. — *ἐγχέων προοίμιον*, praeludium hastarum, appellat hoc carmen cantatum ante exitum ad pugnam. — Mox *ἱερόθυτος θάνατος* (Opfertod) eximie dictus est mors, quae diis quasi sacrificium pro patria offertur. Confer ad loquutionem Eurip. Herc. fur. 1022. *φόνον ἔχω λέξαι θυόμενον Μούσαις*, quo loco bene iudicat Müllerus meus Ityn a Procne Musis sacrificatum dici, quas contemserat Zethus. Non credo igitur cum Lobeckio ad Phrynichum p. 159. *ὡραιότατον* aut *ἱερώτατον* in Pindaro corrigendum esse. — Sed verbum *ἀμφύετε* s. *ἐνφύετε* corruptum est. Nimis recedunt a lectione librorum formae *ἀμφιέννυσθαι*, *ἀμφιτίθεσθαι*, *ἀμφιβάλλεσθαι θάνατον*. Postremo moneo carmen ante exitum exercitus cantatum mihi videri sive Thebis, v. c. ante Tanagraeam pugnam, sive alia in urbe. Apud Aeschyl. Sept. 249 sqq. Eteocles, antequam copias ad portas instruat, sollemniter precatur diis, *κἀμῶν ἀκούσασ᾽ εὐγμάτων, ἔπειτα σὺ ὀλολυγμὸν ἱερὸν εὐμενῆ παιάνισον, Ἑλληνικὸν νόμισμα θυστάδος βοῆς, θάρσος φίλοις, λύουσα πολεμίων φόβον. Ἐγὼ δὲ χώρας τοῖς πολισσούχοις θεοῖς — ὧδ᾽ ἐπεύχομαι.* Apud Spartanos rex ante exitum Iovi duci sacrificium offert, Xenoph. d. R. Lac. 13, 2. Igitur nunc *ἐξιτήρια*, ut hoc nomine utar, celebrari putem diis, maxime bellicis Apollini et Marti, in publico loco urbis, et inter sacrificium canere et saltare chorum. Iam a praesenti sacrificio pulcre duxit loquutionem *ἱερόθυτος θάνατος*. Grammaticos suspicor carmen in paeanum libro posuisse; nam Hymnis quidem annumerari non potuit, quod non esset a stante choro cantatum nec sine tibiis. — Verba sequentia (no. 124.) sunt ex aliquo carmine, ubi Pindarus physiologos obiter tetigerat, ut ex Stobaei Sermonibus scimus. Sed non plenus est locus, habentur apud Platonem in Theaeteto et alios similia nonnulla, quae Boeckhius cum proposito fragmento acute coniunxit

sic: ὃς πέταται τά τε νέρθεν γᾶς ἐφύπερθέ θ' ὕπερθέν τ' οὐρανοι ἐξερευνάσων, ἀτελῆ σοφίας καρπὸν δρέπει. — Eximium Fragmentum 125., ad quod nunc accedimus, verte: Rempublicam quisque civium in laeto statu ponens exquirat magnificae tranquillitatis hilare iubar, seditionem ex animo evellens infestam, egestatis effectricem, inimicam iuventutis nutricem. Posita haec erant in carmine, fortasse Paeane, Thebis cantato, cui intexerat quaedam de praesentibus rebus. Scripta sunt ante pugnam Plataeensem, ut tradit Polybius IV, 31, 6. Hortatur poeta cives ad concordiam, ut missis dissidiis factiosis, legibus reipublicae et imperio constituto omnes pareant. Cf. Boeckhium in Explicatt. ad Pyth. XI. p. 340. — τίς, cf. ad Isthm. VII, 1. — ἐν εὐδίᾳ τιθείς, quisque pro virili parte rempublicam in sereno collocare studeat, h. e. operam det, ut cessent procellae seditionum et tranquillitatis et concordiae serenum lumen redeat. Constat χεῖμα, χειμών, χειμάζεσθαι saepe etiam de publicis calamitatibus dici. Praeterea cf. ad loquutionem Pyth. IV, 273. πόλιν ἐπὶ χώρας ἕσσαι. Praesens τιθείς est de studio et conatu. — ἐρευνασάτω, studiose quaerat. — Porro μεγαλάνορα possis generosam intelligere concordiam, quae aliena sit a pusillanimibus rixis, sed rectius vertes, quae magnos et fortunatos reddit viros, ut μεγάνορα πλοῦτον dixit Ol. I init. Atque ita pulcrior oppositio sequentium. — ἀπὸ πραπίδος ἀνελών, ubi potius εὐνομία ἀπόλεμος regnare debet, Pyth. V, 62. — πενίας δότειραν, quum στάσιν exsilia et ademtiones bonorum sequantur. — Hinc ἐχθρὰ κουροτρόφος, quoniam evertens fortunam familiarum non robustam alit civitati iuventutem, sed invalidam egestate. Ceterum cf. ad loquutionem Hom. Od. IX, 27., ubi Ithaca ἀγαθὴ κουροτρόφος dicitur, et Rhian. Ep. III. Antholog. Lips. I. p. 230., ubi ἡ Τροιζὴν ἀγαθὴ κουροτρόφος. — Verba quae sequuntur (no. 126.): ἄγαν φιλοτιμίαν μνώμενοι cet., habet Plutarchus de cohibenda ira c. 8. Nimis ambientes, ait Pindarus, honorem in civitatibus viri aut seditionem, aerumnam manifestam. — In proximo Fragmento (no. 127.) sermo est de κακίᾳ, quae malignum exserat animi fructum. — Ad loquutionem πραπίδων

καρπόν cf. Pyth. II, 74. et Aeschyl. Sept. 578., quem locum laudavimus ad Nem. IV. p. 396. — Fragmentum 129. verte cum Boeckhio: Utrum iustitia munimentum altius an obliquis dolis escendat terrenum hominum genus, de ea re verum dicturo suspensa mens est. Quo nexu sententiarum haec dicta sint, ignoramus. Quaeritur vero, utrum iustitia an malis artibus magis fortunam suam firment et muniant homines s. maiora sibi parent munimenta fortunae. Similiter murus Latine. E Pindaro conferam aliam metaphoram: *βίον κορύσσειν* Pyth. VIII, 75. — *δίχα νόος*, scil. *γίγνεται.* Similes loquutiones vide ad Nem. X, 89. — Fragmento 130. laudatur, ut e veterum locis apud Boeckhium patet, fortuna iustorum et piorum hominum etiam in senectute. Dulcis illum, ait, cor alens nutrix senectutis comitatur spes, quae maxime mortalium volubilem mentem gubernat. Non metuit poenas post mortem, sed sperat gaudia. Decrescentibus igitur viribus corporis spes nutrit senectutem et sustentat pectoris vim vitalem. — *γλυκεῖα* cum *γηροτρόφος* iunge, ut explicant veteres *ἡδεῖαν καὶ μακαρίαν* aut *ἀγαθὴν γηροτρόφον.* Sic supra *ἐχθρὰ κουροτρόφος.* — *καρδίαν*, in qua sedes vitae. — *συναορεῖ*, cf. *συνάορος* Nem. IV, 4. — *ἃ κυβερνᾷ*, quae, ait, maximam vim habet in homine et inprimis dominatur in animo volubili mortalium, alias alia agitante. — Ceterum fortasse e Threno petitum hoc fragmentum. — Sequens locus (no. 132.) ita habet: Sapientes vero etiam hoc verbum, ne quid nimis, laudarunt magnopere. Auctorem dicti notissimi, de quo vide Erasmi adagia, alii alium ferebant, Pindarus Chilonem dixerat, cf. Schol. Eurip. Hippol. v. 265. — Fragmentum 133. verte cum Boeckhio: Sit et amare et amori morigerari in tempore; ne vetustiorem iusto numero persequere, anime, amoris exercitationem. — *ἔρωτι χαρίζεσθαι* est amari, ut saepe dicitur *τῷ ἐρῶντι χαρίζεσθαι.* — *πρᾶξιν*, fructum amoris, per euphemismum. Sic Plat. Phaedr. P. 232. *ὅσοι — δι᾽ ἀρετὴν ἔπραξαν ἃ ἐδέοντο*, qui suis meritis non artificiis amatoriis assequuti sunt quod cupiebant. Add. ibid. P. 233. Denique *ἀριθμός* iustum numerum videtur significare. — Sequentibus (no. 134.) verbis dicit: Dulcis est furtiva gra-

tia Veneris. Est *μέλημα Κύπριδος* res Veneri grata, *φιλοτήσιον ἔργον*. Frequentem usum v. *μέλειν* pr. *φίλον εἶναι* ex Homero nosti. — Accedimus ad Fragmentum 136., quod ex Encomio aut Scolio depromptum vim vini in compotatione describit sic: Quando hominum laboriosae curae pectoribus excedunt et in Oceano aureae opulentiae omnes perinde natamus falsam ad oram, qui inops, tum dives est, opulenti vero ditiores. — Operae pretium est, ut Boeckhius monet, conferre Bacchylidem ap. Athen. II, 39. Neue p. 40., ut discas, quanto nervosior, ingeniosior, sublimior Pindari poesis fuerit. Quod Bacchylides pluribus exponit sic: *χρυσῷ δ᾽ ἐλέφαντί τε μαρμαίρουσιν οἶκοι, πυροφόροι δὲ κατ᾽ αἰγλάεντα νᾶες ἄγοντ᾽ ἀπ᾽ Αἰγύπτου μέγιστον πλοῦτον, ὣς πίνοντος ὁρμαίνει κέαρ*, Pindarus magnificentius dicit: natantem animo inter opum aureas copias quasi amplo in mari tendere ad oras imaginarias speratae felicitatis. — Mox desiderari aliquid inter verba *πλουτέοντες* et *ἀέξονται* certum, et dicit Athenaeus XI. p. 782. *εἶτ᾽ ἐπάγει*, antequam ultimum versum afferat. Tamen pauca verba desunt, opinor, et *ἀέξονται* cum *πλουτέοντες* iunctum fuisse videtur. Neque enim alium sensum video quam hunc: pauperes sibi divites videntur, divites autem etiam ditiores et maiores, uti etiam in Heynii editione res intellecta est. — *φρένας ἀμπελίνοις τόξοις δαμέντες*, telis vitis domiti, h. e. ebrii. *τόξα* sagittae sunt, veluti in Delect. Epigr. Iacobs. p. 143. Ceterum Mitscherl. ad Horat. II. p. 708. confert Sermon. II, 1, 24. Saltat Milonius, ut semel icto accessit fervor capiti, et Daphnen mero sauciam Apul. Met. XI. p. 601. Oud. Ceterum alia sunt *Βακχίου τοξεύματα* Eurip. Oenei fragm. VIII. — In sequenti Fragmento (no. 137.) notanda forma *ἄφνος* pr. *ἄφενος*, ut observat Etym. M. 178, 10. — Locum, ad quem hinc accedimus, affert Plutarchus Sympos. Quaest. VII, 5, 3. de dapibus dicens, quas multo quam prava musicorum carmina innocentiores censet. Pindarus quo nexu dixerit, non novimus. Ait vero: Horum enim nec reprehendendum quidquam nec mutandum, quae praeclara tellus et maris venti apportant. Utima verba sunt de rebus per mare advectis. — *Μεταλλακτόν* obscurum est. — Pergimus ad Fragmentum 139.

Sunt ἵππων τίμια καὶ στέφανοι, honores et coronae, quas equi reportant. τίμια metri causa emendavit Boeckhius pr. τιμαί. Dictum τὸ τίμιον pr. τιμή ap. Diod. 3, 9. — βιοτά, alios, ait, delectat victus in auratis conclavibus. Ad θαλάμοις cf. Ol. V, 13. — διαστείβων, alius denique gaudet incolumis per mare navigare mercator. Notat Schneiderus: στείβειν de navigatione legitur etiam in Antholog. Stephani I. p. 4. et p. 411. Conf. etiam Menag. ad Diog. p. 434. — Ad universum denique locum cf. Horatii carmen notissimum et quae ibi afferunt interpretes. Apud Pindarum talis plurium rerum enumeratio aliena est ab Epiniciis, apta vero hyporchemati, ut monui ad Hyporch. 2., apta etiam Encomio et Scolio. Atque hunc locum ex Encomio esse credo, cf. ad Fragm. 155. — Proximum Fragmentum (no. 140.) Pindari esse, non Sapphonis, iudicarunt Schneiderus, Blomfieldus et Boeckhius, quem vide ad Schol. Pyth. IV, 408. collat. Neue Fragm. Sapph. p. 99. Ait vero poeta Iove prognatum esse aurum, quum sit ἄφθαρτον, ut deorum natura. Illud, pergit, non tinea neque vermiculo roditur, domat vero mortalium mentes praestantissimum bonorum. Agnosces Pindaricam gravitatem et vim positam in praeclara ultimorum duorum versuum oppositione. Ceterum comparant Theognidis v. 451, 2. χρυσοῦ χροιῆς καθύπερθε μέλας οὐχ ἅπτεται ἰὸς οὐδ' εὐρώς, αἰεὶ δ' ἄνθος ἔχει καθαρόν. — Locus sequens (no. 141.) tangit avaros sic: Et mittuntur quodammodo sub servilem conditionem captivi et aureis telis vulnerati sunt. — ὑπὸ τύχαν, a iugo ducta comparatione. — φέρονται, trahuntur, deferuntur. — χρύσεα βέλη suaviter de vi auri. — Fragmentum 144. habet Schol. Ol. II, 40. praemissis verbis, πρὸ τῶν ἀγαθῶν γὰρ τὰ κακά. Verte: Quando deus homini laeta mittit, ante solet triste pectus percutere. — μέλαιναν, quod dictum per prolepsin, de qua vide ad Ol. I, 68., significat tristis. Cf. Theogn. 1199 (1151. Br.). καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν, ὅττι μοι εὐανθεῖς ἄλλοι ἔχουσιν ἀγρούς, et Aesch. Pers. 112. ταῦτά μοι μελαγχίτων φρὴν ἀμύσσεται φόβῳ, ubi vid. Blomfld. Pindarus fortasse de luctu aliquo domestico dixerat. De alia adiectivi significatione vidimus ad Scol. 2. — Proximum dictum (no. 145.), nemo

volens sibi malum parat, notissimum vel ex Platone. — Fragmenti 147. sensus ita habet: Iuvenum curae et cogitationes si non ignava mente volvuntur, agitantur, sed cum laboribus, h. e. ita ut simul labores adeas et rebus gerendis operam des, gloriam assequuntur. — Ad *μέριμναι* cf. Ol. I, 108. — *πόνοι* vero sunt certaminum, ut saepissime vidimus. — *ἑλίσσειν*, quod cum *ὁρμαίνειν* et *κυλίνδειν* (Nem. IV, 40.) conferes, est circumagere, versare, agitare huc illuc. Pergit: Splendentque aliquando facinora in aetherem sublata. Vox *λαμπευθέντα* corrupta est; Boeckhius coniecit *ἀερθέντα*, collat. Nem. VIII, 41. Ceterum fragmentum ex Encomio esse videtur. — Proxima verba (no. 149.) verte: Propositis certaminibus praetextus virtutem in profundas tenebras deiicit. — *πρόφασις*, cunctatio, tergiversatio praetextus quaerens; potius enim praesentia animi in certaminibus opus. Est proverbium, *ἀγὼν οὐ δέχεται σκῆψιν*, de quo Zenob. II, 45., notante Boeckhio. — Fragmentum 150. ita habet: Victi enim viri pudore et taciturnitate vincti tenentur, ut in conspectum amicorum non veniant. Opposita sunt suaviter verba *δέδενται* et *ἐλθεῖν*. Ceterum vide ad Ol. VIII, 69. Pyth. VIII, 86. Est ex Epinicio aut Encomio Scoliove in victoriam ludicram cantato. — Verba quae sequuntur (no. 151.): Exili ramulo insistere, proverbialiter dicta sunt. — Fragmentum 152. de certatore est, opinor, quem audacia animosa et prudentia provida servavit. Affertur in Scholiis ad Nem. VII, 87. — Accedimus ad Fragmentum 153., cuius sensus est: aliud animal in alio genere excellere. Verte c. Boeckhio: In curribus equus habetur, in aratro bos; iuxta navem fertur celerrime delphinus, qui vero capro necem intendat, canem laborum tolerantem exquirere debet. De Delphino vid. ad Fragm. Hymn. IV. — Credo verba ex Scolio esse, cantato in curulis victoriae Epiniciis. Contra Fragmentum 139. ex Encomio dixi mihi videri petitum, in quo iudicio comparationis genus respicio sublimius illic quam hic. Neque enim dubium est etiam talia cum delectu accommodata singulis carminum gene-

ribus. — Fragmentum 156. vertit Boeckhius: Excitor ad cantum marini delphinis ad instar, quem tranquilli in maris unda tibiarum cantus amabilis commovit. Deest, ut Boeckhius monet, ἐρεθίζομαι, quod habet Plutarchus d. sollert. animal. c. 36. — ὑπόκρισιν, ut alias δίκην, proprie ad instar, s. per imitationem delphinis, ut ὑποκρίνασθαι σχῆμα, πρόςωπον est exprimere imitando et repraesentare. — De delphinis etiam sequens locus (no. 157.) est, uti scimus ex Eustathio et Schol. Hom. Od. X, 240., qui ex hominibus mutati in pisces, narrante notissimo Hymno Homerico V., retinuerunt hominum amantem vitam. Est enim φιλάνθρωπον ζῶον delphinus, cf. Creuzer. Symbol. T. II. p. 601. — Fragmentum 158., quod ita habet: Pone improbas vulpes iaceo fulvus leo, secundum Aristidem T. II. p. 378. Pindarus de se dixit πρός τινα τῶν ἀκροατῶν, ἐπειδὴ νυστάζοντα ἑώρα καὶ οὐκ εἰδότα ὅτῳ σύνεστιν. Sed nisi fallor, adversarios irridet, qui vulpibus pessimis similes callida consilia agitant, sed κενεὰν γνώμαν σκότῳ κυλίνδοντι χαμαιπετοῖσαν (Nem. IV, 40.); pone enim adest leo, qui uno impetu eos deiicere potest. Ceterum ad θρασειᾶν vide Scol. Fragm. 2. — Proximus locus (no. 159.) haec habens, ubi greges mansuescunt aprorum et leonum, affertur in Schol. ad Pyth. II, 31., ut doceatur τὸ τιθασσεύεσθαι Pindaro κτιλεύεσθαι dici. — Mox in verbis (no. 162.) λάχει ἀγέλαι nota iterum schema Pindaricum. — In sequentibus (no. 163.) γλυκερώτερος ὀμφά dictum ut ὀλοώτατος ὀδμή, alia, de quibus vide Buttm. Gr. ampl. T. I. p. 247. — Quae sequuntur verba (no. 166.), Μὴ σιγᾷ βρεχέσθω, tetigimus ad Isthm. IV, 51. — De Fragmento 175. Apollonius in Lex. Hom. V. ξεινοδόκος notat dictum ξεινοδοκεῖν pr. μαρτυρεῖν, affertque etiam Simonidis versum, ξεινοδόκων δ' ὄχ' ἄριστος ὁ χρυσὸς ἐν αἰθέρι λάμπων, h. e. Sol. Similiter etiam ἐπιξενοῦσθαι dictum. Vide plura ap. Albert. ad Hesych. II. p. 702. Videtur significatio inde ducta, quod ξεινοδόκοι a ξείνοις pro testibus adhibebantur. — Mox (no. 177.) ποτίκολλον, conglutinatum ut lignum ligno, fortasse in Scolio de carmine dictum fuit, cuius verba apte iuncta. Sic conferri potest ἁρμόζειν et τέκτων Pyth.

III. fin. — Ad verba (no. 182.): ὑψικέρατα πέτραν alludit Aristoph. 593. κέρατα dicta πάντα τὰ ἄκρα, ut ait Etym. M. p. 504. 3. — Ultimum Fragmentum nunc addidi ex Herodiano Περὶ Σχημάτων ed. Dindorf. p. 60. Loquitur Pindarus de Pirithoo et Theseo, ut ex loco laudato liquet. Ille Ixionis, aut secundum Hom. Il. II, 740. aliosque Iovis filius erat, hic Neptuni aut Aegei, ut constat.

INDICES

IN

PINDARUM A LUD. DISSENIO EDITUM.

---

1. *Index scriptorum veterum, qui laudantur, illustrantur, emendantur.*
2. *Index Graecorum vocabulorum, quae in commentario explicantur.*
3. *Index Latinus rerum ad antiquitates vel ad grammaticam spectantium, quae in commentario explicantur et illustrantur.*

COMPENDIA SCRIPTURAE.

O. significat Commentar. in carmina Olympica.
P. . . . . Pythica.
N. . . . . Nemea.
J. . . . . Isthmica.
O. annot. crit., significat annotationes criticas in carmina Olympica etc.
Intr., significat introductionem in carmen.
Fragm., . . . annotationes ad Fragmenta.

I.

INDEX

SCRIPTORUM QUI LAUDANTUR, ILLUSTRANTUR, EMENDANTUR.

II. INDEX GRAECUS.

A.

ἄνδρες et *νῆες*, de terra et mari. O. VI. 10. — *ἄνδρες* et *θνητοί* confusa. O. XI. 9. ann. crit.
ἄνεσθαι, de significatione verbi. O. VIII. 8.
ἄνθος ὕμνων. O. VI. 106. — *ἄνθος κυμαίνει*, de metaphorae usu. P. IV. 158. — *ἄνθεα τεθρίππων*, coronae a quadrigis reportatae. O. II. 50. — Cf. *καρπός*.
ἀνοίγειν, de significatione. P. V. 82.
ἀνορέαι, animosa consilia. P. VIII. 90.
ἀντέχεσθαί τινος, de significatione. N. I. 33.
ἀντίον ἐννέπειν, statim dicere coram. O. VIII. 41.
ἀντίτομα. P. IV. 221.
ἄντλος, aestus aquarum. O. IX. 53. — *ἐν ἄντλῳ τιθέναι* P. VIII. 12.
ἄνω καὶ κάτω μεταστρέφειν et similia, quo sensu. O. XII. 6.
ἀνωφελής, noxius. O. I. 53.
ἀοιδός, vox generis communis. P. I. 3.
ἀπανήνασθαι, quae sit vocis significatio et structura. N. V. 32.
ἅπας κίνδυνος et similia. N. VIII. 21.
ἀπείρατος, inaccessus, non pervius. O. VI. 53.
ἄπεπλος. N. I. 50.
ἀπήορος cum genitivo. P. VIII. 86.
ἀπὸ γλώσσης, palam. O. VI. 13. — *ἀπὸ ματρός* pro *ἐκ μητρός*. P. V. 107.
ἀποδημίαι deorum. P. IV. 5.
ἄποινα ἔργων, μόχθων, νίκας hymnum dici in laboribus pugilatus, pancratii, quinquertii inprimis aptum. O. VII. 16.
ἀποπνεῖν ἡλικίαν, pro mori. J. VI. 34.
ἀπτὼς δόλος. O. IX. 92.
ἄπυρα ἱερά, quae eorum ratio. O. VII. 49.
ἀργήεις, quid significet. O. XIII. 70.
ἄρδειν pro *αὔξειν*. O. V. 23.
ἀρεταί, egregii conatus. O. V. 1.
ἄριστον ὕδωρ dicitur, quod saluberrimum habetur. O. I. 1.
ἅρμα ἀοιδᾶν non recte dicitur. Fragm. p. 645.
ἁρπαλέος, cupide expetitus, iucundus. P. VIII. 53.
ἀρχαγέτης, coloniae. O. VII. 78.
ἄρχεσθαι, et *κατάρχεσθαι*, verba religiosa. Fragm. p. 624.
ἀσκεῖν proprium de virtutibus ac vitiis. O. VIII. 22.
ἄσκιος, umbrosus. N. VI. 45.
ἀσθμαίνειν, *ἆσθμα*. N. III. 48. annot. crit.
ἀστύνομος. N. IX. 31.
αὐδᾶσθαι, vi activa. O. II. 92.
αὔλειος θύρα. N. I. 10.
αὐλεῖται μέλαθρον, cantus tibiae auditur in conclavi. O. XI. 76.
αὔξειν πόλιν, δῶμα, μέλαθρον. O. V. 4. — *αὔξειν μέγα*. P. X. 10.
αὖτε pro *δέ* praecedente *μέν*. P. II. 89. ann. crit.

B.

Γ.

γνώσομαι non potest activo sensu dici. O. XIIII. 3.
γράφειν, verbum proprium de legibus. N. VI. 7.

Δ.

δάκνειν, de morsu amoris. Fragm. p. 644.
δάκος, bellua et morsus. P. II. 53.
δάκρυα thuris. Fragm. p. 641.
δαφνηφορία, Apollinis festum, multis Graeciae locis celebratum. Fragm. p. 605.
δέ post plures voces ponitur. O. VI. 74. annot. crit. — inter praepositionem et nomen collocatum O. VI. 74. P. IV. 229. — cum vi positum in apodosi. P. XI. 57. — ubi cum imperativo iungitur, praeter substantivum etiam pronomen flagitat. O. III. 4. — δέ simplex ponitur pro τὰ δέ, praecedente τὰ μέν. Fragm. p. 607.
δεδαϊγμένος, saucius, tropice: contristatus. P. VIII. 87.
δέλτοι φρενῶν, de metaphora. O. XI. 1.
δέρκεσθαι, benigne respicere. O. VII. 11. — δέδορκα vim perfecti habet. N. III. 33.
δεύματα κρεῶν, carnes embammate sive iusculo imbutae. O. I. 50. — δεύματα et δεύτατα confunduntur a librariis. O. I. 50. annot. crit
δεῦρο de eo loco positum, de quo sermo est, etsi qui loquitur alio loco sit. O. VIII. 51.
δεύτερος χρόνος. O. I. 45.
διά, pro ἐν. Fragm. p. 638.
διακλέπειν, arte componere. P. XII. 8.
διαστείχειν πλοῦτον pro usitatiore ἰέναι διὰ τύχης. J. III. 15.
διδάσκεσθαι, active pro: docere. O. VIII. 59.
διδόναι ψῆφον, quo sensu. P. IV. 265. — διδόναι τινὰ φόνῳ, μόρῳ etc. O. II. 82. P. V. 56. N. I. 66. [Cf. annot. ad Theocr. Id. IV. 40. VII. 123.]
δινάζεσθαι μυχούς. ad Fragm. p. 630.
διορθοῦν, accuratius tractare. O. VII. 21.
Διὸς ὄμβρος, οὖρος, de magno imbre, de forti vento. J. IV. 49. — Διὸς ὁδός. O. II. 70. — Διὸς Κόρινθος. N. VII. fin.
διψῆν, desiderare. N. III. 6.
διώκειν, urgere, celeriter movere. N. V. 24. — imitari. N. V. 42. cum simil.
δοκεῖν, famam habere. O. XIII. 56.
δρέπειν pro δρέπεσθαι. O. I. 13. — δρέπειν et δρέπεσθαι μέλι. Fragm. p. 618.
δρόσος ἀμπέλου, vinum. O. VII. 2.
δύ᾽ ἄγκυραι, proverbialis loquutio. O. VI. 101.

E.

ἐξυφαίνειν μέλος. P. XII. 8.
ἔξω ἀγῶνος. P. I. 44. — ἔξω τινὸς εἶναι, non participem esse rei. J. V. 71.
ἔοικεν, in re certa. O. XIII. 102.
ἑός pro σφέτερος rarum. P. II. 91.
ἐπαινεῖν τινι, assentiri. Fragm. p. 664.
ἐπεὶ αὐτίκα, simulac. N. I. 35.
ἐπείγειν, intransitivo sensu positum. O. VIII. 47.
ἔπειτεν, Pindaricum pro ἔπειτα. P. IV. 211.
ἕπεσθαι, convenire. O. II. 22. — cum accusativo iunctum quid significet. N. X. 37.
ἐπέτοσσα, aor. forma verbi antiqui. P. III. 27.
ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν, proverbialis loquutio. O. VI. 101. — ἐπ' ἄλλοις ἄλλοι μεγάλοι, super aliis alii magni. O. I. 111. — ἐφ' ἡμέραν, in diem. J. VI. 40.
ἐπιβαίνειν, de reditu dictum. N. X. 43.
ἐπιδέξια χειρός, quid. P. VI. 19.
ἐπιδημίαι deorum. P. IV. 5.
ἐπιμάσασθαι γᾶν. N. XI. 15.
ἐπικρέμαται θάνατος, πότμος, alia. J. VIII. 14.
ἐπιλάμπειν, cum accusativo iunctum. Fragm. p. 661.
ἐπιφέρειν τιμήν, auctoritatem afferre rebus ut fidem reperiant. O. I. 30.
ἐπιφήμισμα, ἐπιφημίζεσθαι. O. VI. 56.
ἐποίχεσθαι τραπέζαις, alia, diis sacrificare. O. III. 40.
ἐποπτεύειν, benigne respicere. O. VII. 11.
ἔπος. O. IV. 7.
ἐπώνυμος cum genitivo et dativo. P. I. 30.
ἔρεισμα, de significatione. Fragm. p. 622.
ἐρήμα αἰθήρ, vacuus et desertus aër. O. I. 1.
ἐρημοῦν, gravius quam στέρειν. J. III. 35.
ἕρκος, rete. P. II. 79.
ἔρχεσθαι, contingere. O. I. 99. — non de vera profectione, sed de poeta, qui mente ad alium tendit. O. IX. 83. P. I. 75. J. IV. 21. Cf. καταβαίνειν. — ἐλθεῖν de reditu dictum. N. X. 38. Cf. μολεῖν.
ἐς τοπάν, omnino. O. II. 85.
ἐσκαμμένα, τά, quae sint in saltus certamine. N. V. 19.
ἔσοδοι ἵππιαι P. VI. 50.
ἑσπέραι, horae vespertinae. J. VII. 44.
ἑστία ἀφνεά, magnificus apparatus convivii. O. I. 10.
ἕτερος, per euphemismum de rebus asperis. N. VIII. 3. — ἕτερος, infestus, adversus. P. III. 34.
ἑτοῖμος γάμος diverso sensu apud Graecos dicitur. O. I. 68.

Z.

H.

Θ.

I.

K.

Λ.

M.

N.

Ξ.

ξενικαὶ τράπεζαι. N. XI. 9.
ξεινοδοκεῖν, i. q. μαρτυρεῖν. Fragm. p. 674.

O.

ὁδὸς λόγων, genus laudum. O. I. 105. N. VII. 51. — ὁδὸς πραγμάτων, βουλευμάτων. O. VII. 44.
οἷ in dativo tertiae declinationis pro οἷ. J. VI. 51.
οἷ non cum substantivo, sed cum verbo iungendum. O. I. 57.
οἰκεῖν ποταμόν, loca fluvii vicina ad habitandum occupare. O. II. 9.
οἴκοθεν οἴκαδε, proverbialis loquutio. O. VI. 99. — ad phialam suaviter translata. O. VII. 4.
οἶκος omissum etiam apud poetas. J. II. 33.
οἶμος ἀοιδῆς. O. IX. 47. Cfr. κέλευθος, ὁδός.
οἴχεσθαι, de mortuis. N. VI. 31.
ὁμιλεῖν, de rebus. J. III. 6.
ὁμόκλαρος, aequam hereditatis sortem habens. O. II. 49.
ὀμφαλός, lapis Delphicus. P. IV. 11. — ὀμφαλὸς ἄστεος, de Athenis, quo sensu. Fragm. p. 617.
ὄνων ἑκατόμβαι. P. X. 33.
ὀξύνεται γλῶσσα, στόμα. O. VI. 82.
ὀξύς. ὀξεῖα Ἐριννύς, speculatrix. O. II. 41. — ὀξεῖα μελέτη, propter irae magnitudinem. O. VI. 36. — ὀξύς, de hieme. P. I. 20.
ὄπις, hominum reverentia erga deos. O. II. 6.
ὁπλίτης δρόμος, cursus in armis. J. I. 22.
ὀπώρα, de maturitate et pubertate. N. V. 6.
ὀργή, indoles, ingenium. P. I. 89.
ὀρθὰ χείρ, manus minantis. O. XI. 4.
ὀρθόπολις, qui urbem claram, florentem facit. O. II. 7.
ὀρθοῦν ὕμνον, qua metaphora dictum. O. III. 3. -- ὀρθοῦσθαι, de aegrotis. P. III. 53.
ὁρμαίνει θυμός, quo sensu apud Pindarum. O. III. 25.
ὀρφανίζειν, privare, cum vi dictum. J. III. 26.
ὅτι particula, semel posita, ad duo membra pertinet, licet mutata sit constructio. O. II. 57.
ὀτρύνειν λόγον, excitare priscam fabulam. N. I. 34. — ὀτρύνειν τινί, ut κελεύειν τινί. P. IV. 40.
ου genitivi formam non habet Pindarus. P. IV. 113. ann. crit.
οὖρος ἐπέων, ὕμνων. P. IV. 3. N. VI. 29.
οὔτε semel positum. P. VI. 48. — post οὐ positum. P. V. 46. — οὔτε . . . οὐδέ, neque . . . neque vero. P. VIII. 84.
οὔτε που, interrogatio admirantis. P. IV. 87.
οὗτος, de eo, quod adest, quo utimur. O. I. 115. — pro τοιοῦτος. O. IV. 25. — de rebus famosis. N. IX. 29.

P.

Σ.

στάδιον, de cursu dictum. O. XI. 64.
στάζειν, hoc verbo seriores delectantur. P. IV. 136.
σταθμοί, domicilia. O. V. 10.
στέγεσθαι, arcere a se. P. IV. 81.
στέφανος, murus. O. VIII. 32.
στεφανηφόρος, *στεφανηφορία* duplicem significatum habent. O. VIII. 10.
στομοῦν, *στόμωσις*. O. VI. 82.
συλαθεὶς ἀγενείων, quo sensu. O. IX. 89.
συμβάλλειν pro usitatiore *συμβάλλεσθαι*. N. XI. 33.
σύμπειρος cum dativo iunctum. N. VII. 10.
σύν τε, simulque. J. V. 12.
συνάπτειν, de significatione. P. IV. 245.
σύνδικος, passiva significatione. P. I. 2.
σχάζειν, verbum proprium de remigantibus. P. X. 51.
σχοινοτενής. Fragm. 623.
σώματα pro personis, ubi corporis nomen aptum. P. VIII. 82.
σώτειρα, quarum dearum epitheton. O. VIII. 21. XII. 2.

T.

ταμία forma feminina. O. XIII. 7.
ταμίας in Iovis fatidica ara, quo sensu dictus Agesias. O. VI. 5. — *ταμίαι Μοισᾶν*, *ἀέθλων*. Fragm. J. 4.
τανύειν, incitare. O. VIII. 49.
τε, rarior eius collocatio. O. XIII. 97. N. III. 11. — post plures voces ponitur. O. VI. 74. annot. crit. — etiam integras sententias nectit. J. V. 19. [quanquam ibi ob maiorem vim nunc *δέ* malim. Dissen.] — particulae *μέν* respondet, usu apud Pindarum frequentissimo. O. III. 9. V. 11. VI. 4. Fragm. p. 649. — *τέ* — *δέ*. O. VIII. 56. — *τε καί* inter numeros cardinales interiecta. O. I. 79. — *τε καί* pro simplici *καί* amplificationis causa. ib. et O. XIV. 5. — *τε καί* post *πολύς*, quod fortius est quam simplex *καί*. P. IX. 21. — *τε* — *ἤ*. J. VII. 31. — *τε* — *ὅς* pro *ὅςτε*. O. IX. 112.
τέγγειν, de significatione verbi. N. IV. 4. — *δάκρυα*. N. X. 75.
τεθμός, de carminibus epiniciis dictum, quid significet. N. IV. 32.
τεῖχος ξύλινον, de rogo. P. III. 38.
τεκμαίρειν activo sensu positum primus habet Pindarus. N. VI. 8.
τέκτων, de medico. P. III. 6. — *τέκτονες*, de poetis. P. III. 113. [Cfr. Herm. ad Soph. Trach. 65.]
τελεῖσθαι, de mortuis, vox euphemismis adnumeranda. O. VI. 15. N. IX. 24.
τελευτᾶν, perfici. O. VII. 68.
τελευτή, vide *τέλος*. — *τελευτή* rariore significatu. N. XI. 15.

Υ.

ὑπαντιᾶν τινα. P. V. 41.
ὑπασπίζειν, quid sit. N. IX. 34.
ὑπέρ, eius significatio quaedam. P. I. 17. — ob, rariore significatione. J. V. 29. — ὑπὲρ ἁλός. N. VII. 65. — ὑπέρ τινος μάχεσθαι. N. VII. 42.
ὑπέρδικος, severus. P. X. 42.
ὑπό, praepos., ὑπ᾽ ἀοιδαῖς, alia. O. IV. 2. — ὑπ᾽ εὐχαῖς, cum precibus. J. V. 44.
ὑποκεῖσθαι, proprie de materia, quae artificibus subiecta est, tum de aliis rebus, in quas quis incumbit. O. I. 84.
ὑποκνίζειν. P. X. 6.
ὑποκρέκειν, neutrali sensu, de cithara voci respondente. O. IX. 39.
ὑποφαύτιες et ὑποφαύσεις quomodo differant. P. II. 76.
ὑφαίνειν μέλος. P. XII. 8.
ὑψοῦ πατεῖν aliquis dicitur regia potentia ornatus. O. I. 115.

Φ.

φάρμακόν τινος. P. IV. 187. — φάρμακον αὐρᾶν de pallio. O. IX. 98. — φάρμακον, de freno. Ol. XIII. 85. [Conf. ἀκεστῆρα χαλινόν Soph. Oed. Col. 714. Dissen.] — φάρμακα πλαστά. P. III. 52.
φάτις βροτῶν, fama rei apud homines, opp. μύθοις, narrationibus, quae a poetis exornatae sunt. O. I. 28. annot. crit.
φείδεσθαί τινος, abstinere aliqua re. N. IX. 20.
φέρειν circumscriptioni inservit. N. III. 18.
Φερένικος, nomen nobilis equi. O. I. 18.
φημίζειν, φημίζεσθαι, nomen dare. O. VI. 56.
φθόνος, de invidis. O. VIII. 55.
φιάλη μύθων καὶ λόγων. J. V. 2.
φίλος epico more locum pronominis possessivi apud Pindarum obtinet. Ol. I. 38.
φόβη ὕλης, etc. Fragm. p. 619.
φοινικόπεζα, epitheton Cereris. O. VI. 94.
φόνος ἑκούσιος, ἀκούσιος, quid. N. V. 16.
φορβάδες audiunt meretrices. Fragm. p. 642.
φραδάζειν idem videtur quod γνωρίζειν. N. III. 26.
φραδή, i. q. γνῶσις. N. III. 26.
φροντίδες, de curis poeticis, de canendi studio. O. I. 19.
φυὰ εὐάνθεμος, adolescentia. O. I. 67.
φυλλοβολία. P. IX fin.

X.

χάλκασπις, cursor armatus. P. IX. 1.
χαλκός, vasa aheneá. O. VII. 83.
χάρις, gloria. O. I. 18. O. II. 10. — χάριν genitivo praepositum. P. II. 70. — χάριν sine praepositione dicitur. N. I. 6.

III. INDEX LATINUS.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

U.

N.

X.

Z.

CORRIGENDA.

P. 21. Introd. fin. 3. l. Tisameno pr. Thisameno.
— — lin. 8 a fin. l. exitiosa pr. ixitiosa.
— 26. lin. 18. l. ἐλασίβροντα pr. ἐλασίβροντε.
— 27. lin. 2 a fin. l. obversabatur pr. observabatur.
— 32. lin. 13 a fin. lege acri pr. aeri.
— 34. lin. 10. post potiorem dele comma.
— 36. lin. 8. l. ἐνναετηρίδα pr. ἐννεατηρίδα.
— 42. lin. 12. l. ταύταν pr. τούταν.
— 43. lin. 14. l. Tyndaridis pr. Tyndaritis.
— 43. lin. 7 a fin. l. παρίστα pr. παρέστα.
— 51. lin. 12 a fin. l. reducentia pr. redeuntia.
— 52. lin. 8. l. impositum Typhoni pr. compositum Typhoei.
— 70. lin. 13. l. decore pr. docore.
— 74. lin. 5 a fin. l. Aetnaei pr. Aetnani.
— 77. lin. 12 a fin. l. familiaeque pr. familiaque.
— 82. lin. 5. l. ἰθύμαχος pr. εὐθύμαχοι.
— 91. lin. 9. l. Ἀταβυρίον pr. Ἀρταβυρίον.
— 96. lin. 17. l. Hellanodicarum pr. Hellenadicarum.
— 102. lin. 14. l. suas intendebant pr. sua siutend.
— 102. lin. 7. a fin. l. nono pr. orto.
— 105. lin. 1. l. oppositionem pr. appos.
— 108. lin. 17. l. ex pr. et.
— 111. lin. 8 a fin. l. Epizephyriis pr. Epizephyreis.
— 112. lin. 7 a fin. l. δαιμονίᾳ pr. δαιμοίᾳ.
— 118. lin. 12. l. Pisatas pr. Pisates.
— 119. lin. 7 a fin. l. Ol. VII. pr. Ol. VIII.
— 126. lin. 14. l. nodum pr. notum.
— 154. lin. 11 a fin. l. Ol. IX, 83. Nem. IV. pr. Ol. IX, 89. Nem.
— 161. lin. 16 a fin. l. Cumas pr. Curias.
— 183. lin. 8 a fin. l. videbimus pr. videbamus.
— 197. lin. 5. l. V. 77. pr. V. 72.
— 223. lin. 5 a fin. l. Argolide pr. Argolida.
— 231. lin. 6. l. Ocyroe pr. Olyroe.
— 260. lin. 10. l. potest pr. post.
— 262. lin. 7. l. appositione pr. oppositione.
— 268. lin. 6. l. νιφέτω — ὑέτω pr. νιφέτῳ, ὑέτῳ.
— 331. lin. 10. l. obversantur pr. observantur.
— 354. lin. 7 a fin. l. ἀελπτία pr. ἀελπία et lin. seq. ἀελπτίης pr. ἀελπίης.
— 358. lin. 11. ad v. ἄμπνευμα adde Iacobs. ad Antholog. Gr. T. XI. p. 231.
— 368. lin. 12. l. ὁ κυριός τις pr. ὁ κυριός τον.
— 400. lin. 12. l. collocationem pr. collationem.
— 431. lin. 2. l. Ol. VII, 15. pr. Ol. VII, 81.
— 452. lin. 8. dele comma post virtutibus.
— 472. lin. 10 et 11 a fin. dele verba: Neque tamen dea — Nem. IV, 3. et scribe: Est vero dea Ὥρα.

P. 491. lin. 10. l. Aetnaeae pr. Aetnaeea.
— 495. lin. 3 a fin. Pro verbis: promittit vero Encomium, scribe Promittit vero Scolium aut Encomium.
— 511. lin. 5 a fin. Ad ἀνὰ δ' ἔλυσεν adde: Ap. Euripid. Rhes. 8 est λύειν βλέφαρα de eo, qui suos oculos aperit.
— 517. lin. 3 a fin. l. sententia pr. sen ntia.
— 525. lin. 3. l. ἐν pr. ἐκ.
— 560. lin. 9 a fin. l. tempora pr. tempore.
— 567. lin. 11. l. V. 19 pr. V. 10.
— 636. lin. 8. l. mentibus pr. menitbus.
— 640. lin. 3. l. canebantur pr. canebatur.

ERFORDIAE,
TYPIS GUILIELMI HENNINGS.
1830.

TABULARUM GEOGRAPHICARUM EXPLICATIO.

Gemina haec adumbratio, I) agri Delphici et sacri, II) Delphorum urbis cum delubro Pythio, confecta est ex comparatis scriptoribus antiquis cum itinerariis peregrinatorum nostri temporis, ex quibus adhibui W. Gell, Dodwell, Clarke, Hughes, Turner, Squire et Raikes apud Walpolium. Usus sum etiam tabula geographica Graeciae, quam nuper edidit Francogallus Lapie.

Agri Delphici et sacri limites designavi ex documentis, quae praebent marmora Corpor. Inscript. Berolinensis n. 1711. Delphos, Amphissam, Neonem s. Tithoraeam certis monumentis et vestigiis agnoscere licet. Supersunt vestigia antiquitatis etiam ubi Phaestum (ex Plinio), Oeantheam, antiquam Cirrham posuimus. De Anemorea et Anemaeis cf. Strabon. IX. p. 423 cum Inscr. n. 1688. l. 34. De Lycorea, nunc Diagorea, pago Delphidis (v. Etymol. M.), incertus potius rumor in itinerariis illis quam testimonium cuiusquam, qui viderit, invenitur. De Catopterio s. Catopteuterio loco cf. cum Strabone l. l. Schol. Eurip. Phoen. 240.

Ab antiqua Crisa s. Cirrha, urbe maritima, cuius ager etiam delubrum Pythium olim complectebatur (Hymn. Homer. in Apoll. Pyth.), distinguendus est pagus, qui nunc Criso dicitur, eo loco situs, quo convallis Plisti angustior in campum Crisaeum patescit. Hoc loco Hippodromum Pythium situm fuisse intelligitur ex Pausan. X, 37, 4. cf. Sophocl. Electr. 730. Schol. Pind. P. VI, 4. Posui eum eo loco, quo Gellius (p. 194) Circi planitiem sibi agnovisse videtur, cf. Hughes p. 365, 366. Apposui Stadium ob Pind. P. VIII, 19. X, 15, monente Dissenio. Hae sunt *Κρισαῖαι πτυχαί* P. VI, 18. Quum hunc ludorum locum Pindarus saepius Cirrham nuncupet, antiquum id nomen his ceterisque ad ludorum usum destinatis aedificiis praecipue adhaesisse videtur, cuius rei vestigium est nomen pagi, qui adhuc ibi exstat, Criso. De Crisaco colle v. P. V, 35 cum Commentario.

TAB. I.

In Delphorum urbis situ describendo recentiorum itineraria, quae memoravi, optime consentiunt cum Strabone IX. p. 418, Iustino XXIV, 6, Heliodoro Aethiop. II, 26. Est locus *θεατροειδής*, gradibus distinctus, in quibus erant aedificia et viae. Totius urbis ambitum Strabo auctor est fuisse XVI stadiorum. Distinguitur summa, media et infima urbis pars. In summa urbe maximam partem situm erat delubrum Pythium, v. praeter alios Hymn. Hom. in Apoll. P. v. 103 sqq. Paus. X, 8, 5. Mediae pars dicebatur *Νάπη* (*βῆσσα τρηχεῖα* in Hymno Hom.), v. Pind. P. VI, 9 cum Scholiis, Paus. X, 6, 1., Hesych. s. v. *Τοξίου βουνός*, Schol. Iliad. II, 519. Ad imam pertinere videtur Pylaea suburbium, de quo praecipue v. Plutarch. de Pyth. orac. 29. Intra fines delubri Pythii, quod proprie *ἡ Πυθώ* dicebatur et muro (*τῷ ἱερῷ περιβόλῳ* Paus. X, 8, 5) continebatur, haec numeris consignavi: quorum quae proxime sequuntur, Aula inclusi, quam cum templo coniunctam memorat titulus Corp. Inscr. 1688. l. 35.

1. Templum Apollinis, cuius locus vestigiis quibusdam in medio pago Castri repertis (v. max. Gell. p. 189) et Cassotide fonte designatur. Paus. X, 24.
2. Ara magna, Paus. X, 14, 4. Eurip. Ion. 115. 1269.
3. Lupus aeneus, de quo Paus. X, 14, 4. Plut. Pericl. 21. cf. Polemo ap. Aelian. de N. A. XII, 40. Serv. ad Aen. IV, 377.
4. Varia donaria apud Paus. X, 13 sqq.
5. Locus, quo ὁ ὀμφαλός Pausaniae tempore situs erat.
6. Neoptolemi sepulcrum, Paus. X, 24, 5. Heliodor. III, 5. Pind. N. VII, 34. Eurip. Androm. 1244.
7. Cronius lapis, Paus. X, 24, 5.
8. Fons et rivulus Cassotis, Paus. X, 24, 5.
9. Cnidiorum Lesche, Paus. X, 25 — 31.
10. Theatrum, Paus. X, 32, 1. cf. Corp. Inscr. n. 1695, 1700, 1703, 1710, 1720. Cyriacus pro amphitheatro habuit. V. etiam Heliodor. IV, 19, 21.
11. Bacchi statua, Paus. X, 32, 1.
12. Atheniensium porticus, Paus. X, 11, 5.
13. Curia (*βουλευτήριον*) Plut. Pyth. Or. 9. Idem fortasse aedificium dicitur Tholus ap. Vitruv. VII. Praef. Supra eminet rupes Sibyllae. V. Plut. l. l. et Paus. X, 12, 1.
14. Statuae, Paus. X, 9. 10. 11.
15. Thesauri Sicyoniorum, Siphniorum, Thebanorum, Atheniensium, Cnidiorum, Potidaeatarum, Syracusiorum, Cypseli,

Clazomeniorum, Acanthiorum, Spinetarum, Agyllaeorum. Paus. X, 11. 13. Herod. I, 51. Plut. de Pyth. or. 14. 15. Strabo V. p. 214, 220. IX. p. 421. Dionys. Hal. Ant. Rom. I, 18.

16. Terrae delubrum, Plut. Pyth. or. 17.
17. Fons Stygis vel Musarum (Plut. l. l.). Hunc fontem sine dubio Python serpens custodivisse ferebatur, quippe Terrae oraculi defensor; idem dictus esse videtur Delphusa (Steph. Byz. s. v. *Δελφοί*).
18. *Τοξίου βουνός*, in *νάπῃ* Delphica, Hesych. s. v. Ab hoc loco Delphorum nomen progressum esse Delphorum fabulae significant.

Notatu dignum Delphorum periegetas res memorandas eodem ordine recensere apud Plutarchum de Pythiae oraculis atque apud Pausaniam, quod plurimum valet in loco situque eorum demonstrando.

Extra Peribolum haec numeris indicata sunt:

19. Castalius fons et rivus. Paus. X, 8, 5. alii.
20. Autonoi delubrum. Herod. VIII, 39.
21. Phylaci delubrum. Herod. VIII, 39. Paus. X, 8, 4.
22. Gymnasium (Panagiae monasterium). Paus. X, 8, 4.
23. Minervae Pronaeae templum. Herod. l. l. Paus. X, 8, 4.
24. Aedes sacrae ap. Paus. Plura his locis conspiciuntur fundamenta antiquorum aedificiorum.
25. Stadium ap. Paus. X, 32, 1. Heliodor. IV, 1. Viderunt multi ex recentioribus, Cyriacus dixit: ornatissimum gradibus marmoreis hippodromum DC ped. longum.

TAB. II.

Graphicae huic Olympiae descriptioni fundamento posita est delineatio locorum accuratissima, quam continet opus luculentissimum: Olympia; or Topography illustrative of the actual state of the Plain of Olympia etc. by I. Spencer Stanhope. London 1824. Subsidio adhibiti sunt: Dodwell Classical Tour T. II. p. 328. Gell Itinerary of Morea p. 36. Pouqueville Voyage en Grèce T. IV. p. 282.: cui quidem, quum in nonnullis temere agere videatur, minor quam ceteris fides habita est. Sequitur indicatio locorum et aedificiorum, quae in hac Olympiae locorum adumbratione notata sunt.

I. Eorum, quorum situs natura locorum, quae etiam nunc obtinet, vel ruderibus effossis indicatur.

Alpheus fluvius. Insularum, quae nunc exstant, apud antiquos nulla mentio. Hinc dubitare licet, an olim cum terra continenti iunctae fuerint.

Cladeus fluvius, nunc Stavro-Kephali.

Cronius mons, altissimus huius tractus. Hic fere fuisse videtur Idaeum antrum. V. ad Pind. Ol. V.

Metroum templum, sub num. 1. Huic enim tribui rudera eo loco inventa, quae cellam indicant latam ped. 44, longam cum opisthodomo 156 (v. max. Gell. apud Wilkins Antiq. of Magna Graecia p. 72.), quum Iovis templum (longum ped. 230, latum ped. 95 cum porticu) etiam maius fuisse videatur, atque Metroum, μεγέθει μέγα (Paus. V, 20, 5.), Iovis templo, quod ὁ ναὸς ὁ μέγας dicitur κατ᾽ ἐξοχήν (Paus. V, 24, 3. 25, 5. Xenoph. Hell. VII, 4, 3.), magnitudine proximum fuerit. Idem suadet situs locorum, quum Iovis templum tam prope a Cladeo abfuisse vix crediderim. Quodsi rudera haec Iovis templo tribuis: totum τέμενος ad Cladeum magis contrahendum erit, sed ordo, quo singula monumenta posita sunt, non mutandus.

II. Eorum, quorum situs ex testimoniis antiquis ratiocinatione quadam efficitur. Ordo, quo enumerantur, idem est, quo ratiocinando constitui possunt. Sub num.

2. Crepido, in qua positi erant decem populorum Thesauri. V. Paus. V, 21, 2. VI, 19, 1 (ubi κατὰ νώτου Claviger, Siebelis et Bekker recte). VI, 20, 1. Cf. Athen. XI. p. 479 f. 480 a.

3. Ζᾶνες, Iovis statuae e multis athletarum positae, Paus. V, 21, 2.

4. Stadium Olympicum, de cuius longitudine agit Gellius N. A. I, 1. De situ Paus. V, 21, 2. VI, 19, 10. 20, 5. Cf. Strab. VIII. p. 353.
   a) Stadii κρυπτὴ ἔσοδος, Paus. VI, 20, 5. cf. V, 14, 7. 22, 1.
   b) Hellanodicarum sedilia, Paus. VI, 20, 5 — 7.
   c) Ἄφεσις cursorum, Paus. VI, 20, 6.
   d) Meta. Locus circa metam luctatoribus datus esse videtur; hunc descripsi ad exemplar stadii Ephesii. Cf. Hirt. Hist. Archit. T. III. p. 121. tb. 20, 1.

5. Endymionis monumentum, P. VI, 20, 6.

6. Hippodromus. Paus. VI, 20, 7. cf. V, 15, 4. Hunc in campo Olympiaco situm fuisse intelligitur e Diodoro IV, 14, sed longius a Cronio et Alpheo abfuisse ex epigrammate Anthol. Palat. XIV, 4. In orientali campi parte fuisse significat Lucianus de morte Peregrini 35, qui viam ab Olympia Harpinnam usque viginti stadiorum dicit, si ab hippodromo orientem versus perrexeris.
   e) Ἄφεσις equorum, delineata ex descriptione Paus. VI, 20, 1.
   f) Eius ἔμβολον.
   g) Agnapti architecti porticus.
   h) Neptuni et Iunonis Ἱππίων arae ἐν τῷ ὑπαίθρῳ τῆς ἀφέσεως, Paus. V, 15, 4. Eodem fere loco Dioscurorum ara, Paus. ibid.
   i) Martis et Minervae Ἱππίων arae ad introitum in Ἔμβολον, ib.
   k) Collis, alterum Hippodromi latus, Paus. VI, 20, 1.
   l) Cereris Chamynae ἱερόν, ib.
   m) Agger, alterum Hippodromi latus, idque longius, Paus. VI, 20, 8.
   n) Taraxippus, ib.
   o) Metae. De oleastris circa alteram metam v. Olymp. III, 33. Hippodromum hunc praeter alios lineis descripsere Viscontius P. Cl. T. V. tb. A, 1. p. 81. Choiseul Gouffier in Comm. Ac. Inscr. Paris. T. XXXXIX. p. 222, melius Alex. La Borde Descript. d'une Mosaique p. 63, et Hirt. Hist. Archit. III. tb. 20, 8. cf. p. 145, quem maxime in repraesentandis carceribus,

Cleoetae artificio, sequutus sum. Sed cursum circa metas quattuor fere stadiorum exhibui, quia tot tribuuntur δρόμῳ τῷ ἱππίῳ, τῷ ἱππικῷ a Paus. VI, 16, 4. Plut. Solone 23. Punctillis significavi, qua cursus ab initio dirigatur et circa metas peragatur, etiam ὕσπληγας, quae ante carceres deinceps ad currus exaequandos solvuntur, denique γραμμήν, quae terminum cursus constituit.

7. Iunonis aedis vetusta. Situm indicat Paus. VI, 19, 1. cf. VI, 1, 2. Polemo ap. Ath. XI. p. 480. Agaclytus de Olympia ap. Photium Lex. p. 194, 6.

8. Pelopium τέμενος, Paus. V, 13, 1. 24, 1. Heraeo versus orientem situm fuisse hinc intelligitur, quod Ara Maxima tum ante frontem Pelopii tum Heraei sita erat (προκείμενος πρὸ ἀμφοτέρων V, 13, 5). Atqui Pelopii frons occidenti obversa erat, V, 13, 1.

9. Iovis aedis. V. maxime Paus. V, 13, 1. coll. V, 10.

p) Opisthodomus, Paus. V, 13, 1. 15, 3.

q) Ἐλαία καλλιστέφανος, Paus. V, 15, 3. cf. Schol. ad Pind. Ol. 8, 1. 10, 11. Hic locus Pantheum dicitur. cf. Aristot. ap. Schol. Aristoph. Plut. 586. cum Schol. ad Ol. 3, 69 et nota Boeckhii.

r) Iovis Solium.

10. Ara maxima, Paus. V, 13, 5. 14, 5. VI, 17, 1. coll. Pind. Ol. 1, 93.

11. Oenomai domus quae dicebantur rudera, Paus. V, 14, 5. 20, 3. VI, 18, 5.

12. Ἡ πομπικὴ ἔςοδος ἐς τὴν Ἄλτιν, porta, qua sola intrabant, qua pompam ducebant. Paus. V, 15, 2. 4.

13. Leonidaeum, Paus. V, 15, 1. 2.

14. Hippodamium septum longum et latum pedes centenos, Paus. VI, 20, 4. coll. V, 22, 2, hinc πλέθριον dictum a Luciano de morte Peregr. 31.

15. Via a porta pompica ad Aram Maximam, quae dextra a Leonidaeo venientibus sita est, Paus. VI, 17, 1. 18 extr. coll. V, 15, 3.

16. Via a Leonidaeo sinistra, quae ducit ad Ἐλαίαν καλλιστέφανον, Paus. V, 15, 3. Videtur esse eadem, quae VI, 1, 2 usque ad 17, 1 describitur. — Eadem ducit ad τὰ ἐν τῇ Ἄλτει, qui lucus pertinet a stadio, Paus. V, 22, 1. coll. Strab. VIII, 353, atque thesauris, Paus. VI, 19, 1., πρόκειται Iovis aedi. Strab. l. l. cf. Paus. V, 10, 1., et medium quoque periboli locum occupat; V, 27, 7. VI, 2, 4. cf. V, 24, 1. In ea pleraeque athletarum statuae.

17. **Platani** in medio fere peribolo, Paus. V, 27, 7. — A τοῖς ἐν τῇ Ἄλτει distinguere videtur Paus. τὰ ἐντὸς τῆς Ἄλτεως, (v. maxime V, 15, 3. coll. VI, 17, 1.), quibus attribuit Hippodamium, Pelopium, Metroum, Prytaneum, Philippeum V, 13, 1. 15, 5. 20, 5. VI, 20, 4. Pugna Agidis cum Eleis ἐντὸς τῆς Ἄλτεως, intra peribolum, ad Heraeum fuisse dicitur, V, 4, 5. 20, 2. VI, 2, 1.

18. Locus in **Cronio** monte, quo Basilae Saturno sacra faciunt, Paus. VI, 20, 1. cf. Dionys. H. Antt. Rom. I, 34.

19. Templum **Ilithyiae** et Sosipolidos, Paus. VI, 20, 2.

20. **Philippeum**, Paus. V, 20, 5.

21. **Prytaneum**, Paus. V, 15, 5. 20, 5.

22. **Gymnasium** cum curriculis et athletarum palaestris, Paus. V, 15, 5. VI, 21, 2, unde ad Cladeum fuisse intelligitur, coll. Xenoph. Hellen. VII, 4, 30.

23. *Ἔξοδος* ultra gymnasium (e regione gymnasii, interpr. Buttmann Lexil. II. p. 29.) sita, Paus. V, 15, 5. 20, 5.

24. *Βουλευτήριον*. Id quo loco situm fuerit paene intelligitur coll. Paus. V, 23, 1. 24, 1. cum Xenoph. Hell. VII, 4, 31. In Alti fuisse intelligitur coll. Paus. V, 23, 1. VI, 10, 2. 17, 1.

25. **Vestae** templum et

26. **Theatrum** e Xenoph. Hell. VII, 4, 31, sed non satis certis indiciis posita sunt. Vestigia theatri ad Cronium, de quibus Pouqueville narrat, a Stanhopio non agnoscuntur.

27. **Echus porticus** ἑπτάφωνος, in Alti, Paus. V, 21, 7. Memorant Lucian. de morte Peregr. 40, Plinius, Plutarchus saepius, alii, sed nullus eorum locum accuratius indicat.

28. *Περιβόλου τεῖχος*, Paus. V, 24, 1. 25, 2. 4. cf. ad Pind. Ol. 11, 45.

29. **Campus apertus** (τὸ κύκλῳ πέδον), in quo populorum privatorumque hominum ἑστιατόρια et σκηναί struebantur, κῶμοι ducebantur etc. V. ad Pind. Ol. XI, 46. Andoc. in Alcib. §. 30.

30. **Oenomai** sepulcrum, Paus. VI, 21, 3.

31. **Olympiaca vel sacra via**, quae Elide per loca plana Olympiam ducebat, Paus. V, 25, 4. Xen. Hell. VII, 4, 29. cf. Paus. V, 16, 5. VI, 22, 5.

32. **Via**, quae Olympia Elidem per montuosa et Pylum urbem ducebat, Paus. VI, 22, 3.

33. **Via**, qua Peloponnesii pompam Olympiam ducebant. Cf. n. 12.

34. Locus vici, qui nunc dicitur **Miraka**. Hoc fere **Pisa**,

antiquissima urbs, sita fuisse videtur. Convenit enim, quod ab Olympia sex stadia distare dicitur (Schol. ad Ol. 11, 55), et quod Pausanias eius locum in via ad Harpinnam adiit.

35. Sepulcrorum antiquorum rudera, si fides Pouquevillio. Ne tamen hic Pisam ponas, vetare videtur, quod haec ἐφ' ὕψους sita monstrabatur. Strab. VIII. p. 356.

36. Rivus ex fonte Pisa (Strab. VIII. p. 356) decurrens.